5 T. 2.

5. 2. 379/3

Digitized by Google

Digitized by Google


VT LVCEANT.
VT PROSINT
NE PEREANT.

Digitized by Google

THESAURUS
ANECDOTORUM NOVISSIMUS:

Seu

Veterum Monumentorum,

præcipuè Eccleſiaſticorum, ex Germanicis potiſſimùm Bibliothecis adornata Collectio recentiſſima.

TOMUS II.

Pars I.

B. Flaccii Alcuini Opuſculum de Comparatione Veteris & Novi Teſtamenti à Denario usque ad Vnum &c. cum Epiſtolis VII. ad Arnonem Archiep. Salzburg. *col. 1.*

S. *Wolfgangi* Ep. Ratiſpon. Paraphraſis Pſalmi L. *13.*

Erhardi de Lainiz Abb. Petrenſis Paraphraſis Pſ. XII. *23.*

Walafridi Strabonis Augienſ. Abbatis Ord. S. Ben. Homilia de Genealogia Chriſti. *41.*

Theodorici Canonici Paterbrunnenſis anno MLXXX. Commentatio in Orationem Dominicam. *59.*

Honorij Auguſtodun. O. S.B. circa MCXX. Hexameron. *71.*

Idem de X. plagis Ægypti ſpiritualiter. *91.*

Idem in Pſalmos ſelectos. *97.*

Ejusdem Scala Cœli Major. *137.*

Ejusdem Scala Cœli Minor. *171.*

Ejusdem Summa Gloria de Apoſtolico & Auguſto. *179.*

Ejusdem Liber XII. Quæſtionum. *201.*

Ejusdem Libellus VIII. Quæſt. de Angelo & Homine. *215.*

Ejusdem Libellus de animæ exilio & patria. *228.*

Ejusdem Libellus de Libero Arbitrio. *237.*

Ejusdem Sacramentarium. *249.*

Ejusd. Evchariſtion ſeu Lib. de Corp. & Sang. Domini. *349.*

Idem de Vita Clauſtrali. *363.*

Irimperti Abbatis Admontenſis Ord. S. Ben. an. MCLXXV. Commentarius Allegoricus in Cantica Cantic. *369.*

Ejusdem Liber de X. Oneribus Iſaiæ. *427.*

Thomæ Abbatis Vercellenſis ad S. Andream Ord. Can. Reg. S. Aug. Commentarius Hierarchicus in Cantica Cantic. *503.*

Pars II.

Maxentij Patriarchæ Aquileienſis Epiſtola de ritibus Baptiſmi ad Carolum Magnum. *col. 1.*

Adelberi Epiſcopi Ord. S.B. ad Nonſvindam Recluſam Admonitio de laude Charitatis ſeu Liber de Studio Virtutũ. *19.*

Galtheri veteris Theologi Liber de Trinitate. *53.*

Placidi Nonantulani, Epiſc. Liber de Honore Eccleſiæ. *75.*

Helperici Monachi Sanct - Gallenſis Liber de Computo Eccleſiaſtico. *183.*

Gerhohi Præpoſiti Reicherſpergenſis Liber de Ædificio Dei ſeu de ſtudio & cura diſciplinæ Eccleſiaſticæ. *275.*

Ejusdem Dialogus de differentia Clerici Regularis & Secularis ad Innocentium II. P. M. *439.*

Idungi Cœnobitæ Emmeram. circa an. MCXC. Liber. IV. Quæſt. de Clericis, Monachis & Sanctimonialibus. *507.*

Anonymi Benedictini circa ſeculum duodecimum Dialogus de Eſu Volatilium. *545.*

Johannis de Spira Prioris Mellicenſis circa MCCCCXXX. Tractatus de eſu carnium Monachorum infirmorum. *569.*

Antiquus & amplus Ordo publicè pœnitentium. *611.*

Ordo diffuſior probandi homines de crimine ſuſpectos per ignitos vomeres &c. *635.*

Pars III.

Supplementum Hiſtoriæ Miraculorum S. Mathiæ Ap. Auctore *Anonymo* Benedictino Trevirenſi. *col. 1.*

Acta S. Chriſtophori M. Verſu & Proſa deſcripta à *Waltbero* Subdiacono Spirenſi, qui Ottone III. Imp. floruit. *29.*

Acta, & integra hactenus inedita Miracula S. Herculani Ep. Peruſini & M. auctore *Anonymo* Peruſino. *125.*

S. Liutbirgis Recluſæ in Diœceſi Halberſtadienſi ſeculo IX. Vita auctore Anonymo. *147.*

Vita S. Alberti Archiep. Caſſellenſis in Hybernia. *181.*

Ludus Paſchalis ſub Friderico I. Imp. de Adventu Antichriſti in ſcena exhibitus. *187.*

Henrici Archidiaconi Salzburg. Hiſtoria Calamitatum Eccleſiæ ſuæ ſub Adelberto Archiep. & Friderico I. Imp. *199.*

Vita Chunradi I. Archiep. Salzburg auctore *Anonymo* Reitenhaslacenſi Ord. Ciſt. Synchrono. *221.*

Vita S. Alrunæ Marchioniſſæ Chambenſis auctore *Anonymo* Nideraltahenſi Ord. S. Ben. *253.*

Ludovici Barbi Ep. Tarviſ. O.S.B. Lib. de Initio & Progreſſu Congregat. S. Juſtinæ de Padua, nunc Caſſinenſis. *309.*

Vita B. Nicol. de Pruſſia auctore *Juliano* Januenſi O.S.B. *311.*

Anonymi Epiſtola de rebus anni MCCCCLVI. *342.*

Monumenta Vetera res S. Simperti Ep. Auguſtani O. S.B. illuſtrantia. I. Adilberti Prioris Vdalricani Liber de eius Vita & Miraculis. II. Ejus Statuta Regularia pro Monaſterio Murbacenſi. III. Anonymi Vdalricani Liber de ejus Miraculis ab an. MCCCCLXV. ad MCCCCLXXI. IV. Anonymi Vdalr. Liber Miraculorum à MCCCCLXXXVIII. ad MCCCCXCV. V. Anonymi Vdalr. Acta ſecundæ Inventionis & Translationis S. Simperti MCCCCXCI. VI. Acta tertiæ Translationis &c. *à col. 354. ad 454.*

Ven. Georgij Prioris Gemnicenſis Ord. Cart. Diarium peregrinationis Transmarinæ per Ægyptum, & Syriam &c. *455.*

Omnia nunc primùm cum Præfationibus Obſervationibus prævijs & Indicibus neceſſariis publici juris facta.

A. R. P. BERNARDO PEZIO, Benedictino & Bibliothecario Mellicenſi, *operam & ſtudium conferentibus aliis pluribus tum ſui, tum aliorum Ordinum & Monaſteriorum eruditis Viris, quorum nomina ſuis quæque opuſculis præfixa ſunt.*

Cùm Conſenſu Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM & GRÆCII.

Sumptibus Philippi, Martini, & Joannis Veith Fratrum, Anno 1721.

DISSERTATIO ISAGOGICA
IN
TOMUM SECUNDUM
THESAURI ANECDOTORUM
NOVISSIMI.

Lterum hìc habes, Erudite Lector, Theſauri noſtri volumen, quod nec multitudine nec præſtantia monumentorum Primo quidquam concedit. Ut adeo cui primum perplacuit, ſecundum diſplicere neutiquam poſſit. Minutiora, fatemur, breviuſculáque hìc opuſcula quædam occurrunt, quæ aliorum fortè judicio, minori cuidam & ſtrictiori Collectioni, cujusmodi Mabillonij *Analecta* & Baluzij *Miſcellanea*, noviſſiméque Cl. Ludewigii *Reliquiæ MSS.* ſunt, commodiùs inſerantur. Verùm cùm apud nos dudum conſtituerimus, ea omnia, quæcunque ex veteribus manu exaratis Codicibus eruta indepti fuerimus, uni huic Theſauro Anecdotorum, velut communi cuidam promptuario inferre, ne monumentorum veterum ſparſione, ac editionum multiplicatione Typographis ſimul & antiquitatum ſtudioſis negotium faceſſeremus: ob quorundam opuſculorum brevitatem conſilium mutare haud libuit. Ad hæc, cùm ea vel Magnorum virorum, quorum nihil parvum dicendum eſt, reliquiæ ſint, vel unius ejusdémque Auctoris Operum, hactenus evulgatorum, numerum augeant compleantve, hocque modo priora lucem à poſterioribus accipiant, vel denique unum aliquem aut doctrinæ, aut rei geſtæ articulum contineant, ſine quo ampliſſimæ diſputationes narrationéſque veterum novorumve Scriptorum percipi nequeunt: æquum non eſt, ut miſſis brevioribus ſcriptis, diffuſioribus prolixioribúſque duntaxat commentariis in Theſauro noſtro locus concedatur: præterquam quòd in litteraria univerſim re non tam ad magnitudinem Operis quàm ad præſtantiam & uſum adtendendum ſit, quæ poſteriora duo in diffuſiùs æquè ac in contractiùs perſcripto libro poſſunt convenire. Sed hæc notiſſima ſunt. Aliud eſt, quod hoc loco diſſimulandum haud videtur.

Nimirum non decrunt, qui mirentur, in nominandis bibliothecis, ex quibus ſingula monumenta noſtra elata ſunt, adeò religioſos nos eſſe. Aſt id gravi ratione non vacat. Neque enim illorum inſtiturum probamus, qui vetera monumenta in lucem proferunt nulla bibliothecæ, cui ea debent, nec Patroni, cui Codices acceptos ferunt, facta mentione: quæ res ſi porro obtineat, vehementer veremur, ne idem olim hujusmodi editoribus eveniat, quod Sigonio, Eraſmo, Jo. Scaligero, ut plures alios ſilentio prætereamus, eveniſſe nemo ignorat. Nobis tum Editorum tum Lectorum, poſterorúmque plurimum intereſſe ſemper viſum fuit nôſſe, unde, ex quibus manibus, ex quo loco, Codice aut Bibliotheca vetus aliquod opus in lucem emerſerit. Hæc enim omnia, incredibile eſt, quantum ad conciliandam editori fidem, ad rectè ferendam de ipſis editis monumentis ſententiam, ad juvandas perpoliendáſque poſteriores editiones conferant, ſi quidem editor ſingula candidè apertèque promulget. Quod etſi univerſè perſpicuum ſit, noſtra tamen ætate, qua diverſarum in divina Religione partium & opinionum ſtudia vigent, rei veritas neceſſitáſque veluti manibus palpatur. Ecquis enim eorum, qui à Catholica Eccleſia ſeceſſionem fecerunt, Catholico editori facilè fidem habebit, qui primorum ſeculorum Auctorem, quo Lutheri vel Calvini ſcita planiſſimè convellantur, è manu deſcripto Codice, Romanis typis, in lucem primùm emittere ſe dicat, niſi etiam locum, ætatem, nomen poſſeſſoris & cætera, quæ per-

 fectam

ſectam Codicis cognitionem ſpectant, adjungat? Idem multóque frequentius erit Catholicorum judicium de Proteſtantium monumentis, è manu exaratis, ùt affirmant, Codicibus in lucem vendicatis, quorum fides tam diu vacillabit, dum nomen loci, bibliothecæ, poſſeſſoris, & id genus alia quæ cum Codice conjuncta ſunt, accuratè ac religioſè percenſeant. Sed quid nos hìc in Editores, qui plerumque viri docti, candidi, ac probi ſunt, declamamus? Ipſi veterum Codicum domini maxima tantæ in re litteraria perturbationis cauſa ſunt, qui ſua moroſitate ac puerili puſillanimitate illos nonunquam ad tam turpem conditionem adigunt, nec uſum veterum librorum indulgent, niſi iis ſuppreſſis, quæ ad conciliandam edito monumento fidem præprimis faciant. Miſerrimam profectò eruditorum hujusmodi virorum ſortem, quibus de Republica ſua benè mereri non conceditur, niſi in fraudis & furti ſuſpicionem veniant! Quàm multo æquior in noſtrum genus eſt Illuſtris ac Erudítiſſimus Zacharias ab Vffenbach, Germaniæ Decus, qui ſuorum Codicum MSS. uſum non ſolùm omnibus generoſè ac ultro ſpondet, ſed æquiſſimam etiam hanc utentibus legem ſcribit, ut *nullum Scriptum edatur ſine bibliothecæ, è qua ſubminiſtrantur, mentione!* Quam legem etſi eo maximè fine tulerit Erudítiſſimus veterum memoriarum Indagator & Conſervator, ut ingratos quosdam & acceptorum beneficiorum immemores homines à ſua Bibliotheca tempeſtivè arceret: eam tamen eo etiam nomine longè pucherrimam eſſe arbitramur, quòd omnibus veterum monumentorum poſſeſſoribus illuſtri documento ac incitamento eſſe poſſit, ut in illorum publicatione ſuum ſaltem nomen comparere patiantur, ſibique deinceps perſuadeant, gloriolam illam, quæ ab ejusmodi inſtituto abſiſtere ſolet, de modeſtia nihil decerpere, dum animus vanitate careat. Et profectò nihil anguſtius inepiùsve nobis videtur, quàm ideo in doctorum virorum ſcriptis adpellari nolle, ne animo intumeſcendi materies præbeatur, quaſi verò ea pugna tam ardua & diſcrimine plena ſit, è qua non liceat animo integro, & ſalva Virtute excedere. Quid hi homines cogitarent, ſi melioris luti quid nacti præclarorum Operum auctores ipſi eſſent, qui vel ad conſpectum in aliena lucubratione nomen ſuum adeò miſerè ſuæ Virtuti timent? Apage has vix unius palmi animas. Ii ſoli juſti & prudentes antiquorum librorum poſſeſſores ſunt, qui viris doctis largiſſimam poteſtatem faciunt eos ita tractandi, ut tam de fide depromptorum inde monumentorum, quàm ipſorum Editorum, omnibus pleniſſimè conſtare poſſit. Sed jam agamus, quod agimus.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
AD
PRIMAM PARTEM SECUNDI TOMI
THESAURI ANECDOTORUM
NOVISSIMI.

FLACCI ALCUINI OPUSC. DE COMPARAT. NOVI ET VET. TESTAM. &c EPISTOLÆ &c. à col. 1.

I. Flaccus Alcuinus, ſeu Albinus, Caroli M. Imperatoris Magiſter, Vir ubique pius, ùt rectè ex Baleo & Pitſeo Guilielmus Cave in Hiſtoria Litter. ad annum DCCLXXX. cenſet, *doctus, gravis, Theologorum ſuæ ætatis, immò omnium Anglorum ab initio poſt Bedam & Aldhelmum longè erudítiſſimus, Latinè, Græcè, & Hebraicè peritus, è vivis exceſſit* anno Domini DCCXC. Ejus Opera, quæ quidem reperiri potuerunt, ſtudio & diligentia Andreæ Quercetani Turonenſis prodierunt Lutetiæ Pariſiorum in majori forma anno MDCXVII. à quo tempore alia & alia nova Alcuini Opuſcula, à viris doctis detecta, in diverſis locis typis mandata ſunt. Non nulla hactenus, quod quidem ſciamus, inedita nobis in itinere Baioarico occurrerunt, quorum primum eſt *Opuſculum de Comparatione Novi & Veteris Teſtamenti à Denario numero uſque ad unum*, ùt ſe inſcriptio habet in Codice MS. Imperialis Monaſterij Sanct-Emmerammenſis nongentorum circiter annorum, ex quo id A. R. & Cl. Pater Joſephus, ejusdem loci religioſiſſimus Aſceta, exſcripſit. Alcuinus hìc nihil aliud agit, quàm ut *Gallicellulam*, diſcipulum ſuum doceat, quorum myſteriorum in novo Teſtamento figuræ, illi numeri veteris Teſtamenti extiterint, idque paucis, utpote *iter agens,*

agens, ùt in præfatiuncula ſcribit. Majoris momenti ſunt ejusdem Alcuini *Epiſtolæ ſeptem* in vetuſtiſſimo Codice Inclyti Monaſterij Benedictoburani à nobis repertæ, quas ad Arnonem ſeu Aquilam, primum Archiepiſcopum Salisburgenſem dedit. Inter bas notatu dignior eſt prima, in qua Arnonem admonet, ut cum neophytis Hunnis ſeu Hungaris mitiùs agat, ſibique proponat *Saxones, quorum fidem, ùt dicebatur, Decimæ ſubverterunt. Quid*, inquit, *imponendum eſt jugum cervicibus idioatarum, quod neque nos, neque fratres noſtri ſufferre potuerunt? Igitur in fide Chriſti ſalvari animas credentium confidimus.* Alia in his Epiſtolis ipſe Lector obſervabit.

S. WOLFGANGI EP. RATISBON. PARAPHRASIS PS. L. c col. 11.

II. Sanctum Wolfgangum aliquid litteris commendâſſe, nemo bactenus memoravit, tametſi ſanctiſſimum Ratisbonenſem Præſulem *litteras & Chriſtianos mores variis in locis reſtituiſſe* poſt veteres Auctor ſir Joannes Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæc. V. pag. 811. ubi ſancti Wolfgangi vita exbibetur, ſcripta aut potiùs interpolata ab Othlone Monacho Emmerammenſi, cujus integrum Prologum ex Codice Mellicenſi dabimus Parte II. Tomi Tertij, præmiſſa in Obſervationibus prævijs plurium monumentorum, quæ beati Antiſtitis res amplius illuſtrent, commemoratione. Hìc tantummodo Lectorem advertimus Eius piam & lachrymis ac ſuſpirijs plenam *Pſalmi Quinquageſimi Paraphraſim* A. R. Cl. & Doctiſſimo Patre Caſparo Erhart, Cœnobita Emmerammenſi & SS. Theologiæ in communi Congregationis Benedictino-Bavaricæ Studio Profeſſore ex ſui celeberrimi Monaſterij Codice, trecentis tamen annis vix antiquiore, in lucem revocatam nobíſque benevolè tranſmiſſam fuiſſe. Porro qui eam, ùt jacet, acceperit, nec ſanctuarij pondere expenderit, facilè crediderit, tantos gemitus non niſi à conſceleratiſſimo quondam, & veterum criminum conſcio animo proficiſci potuiſſe. Sed ùt ſanctorum vita longè alia quàm noſtra eſt: ita & ſenſa & lingua. Quò quisque altiorem ſanctimoniæ gradum attingit, eò modeſtius ac demiſſius de ſe ſentire novit: ac illi demum graviſſimis ejulatibus reſonant, & lacbrimarum torrentibus inundantur, qui divinis amoribus quàm vehementiſſimè ſuccenduntur. Spectavimus ipſi horrendam illam ſolitudinem, à S. Wolfgango, adbuc Eremita inhabitatam, quam bis planctibus & lugubri Threnodia ſæpius perſonuiſſe minimè dubitamus.

ERHARDI DE LAINIZ ABB. PETRENS. EXPOSITIO PS. XII.

III. Paraphraſi S. Wolfgangi in Pſalmum Quinquageſimum ob non nullam argumenti & orationis ſimilitudinem illico ſubjunximus *Paraphraſim admodum egregiam Pſalmi XII.* auctore *Erhardo de Lainiz*, qui col. 27. anno ætatis *trigeſimo ſexto* eam adornâſſe ſe conteſtatur. De eo ita ſcribunt Mezgeri noſtri in Hiſtoria Salisb. Lib. 4. cap. 39. in fine: *poſt ipſum* (Georgium Abbatem Petrenſem anno 1435. defunctum) *Erhardus de Lainiz ad mitram pervenit. Is bonarum artium & virtutum opibus dives, & diſcipulus olim famoſi Magiſtri Nicolai Tinckelſpilenſis, merces optimas ad S. Petri Ludimagiſter expoſuerat. Ductus religionis amore, etiam cucullum ſumpſit anno 1433. atque pro meritis intra anni ſpatium Profeſſionem, Sacerdotium, ac Prioris officium adeptus, expleto anno altero, etiam Abbatiam, communi voto delatam ſuſcepit. Sed tam celeriter cumulata munera, mors anno proximo, ſeculi 36. ſuperveniens ſimul abſtulit. Depoſitus eſt propè ſuum anteceſſorem Georgium loco memorato*, id eſt: in propylæo Eccleſiæ S. Viti. Ex quibus diſcimus, hoc Opuſculum ſuper Pſalmo duodecimo *de miſeria humanæ conditionis & ejus lamentatione* circa annum Domini MCCCCXXXIV. ab Erbardo concinnatum eſſe, utpote qui in Prologo ſe ad id *obedientia compulſum*, & *voti ligatione perſuaſum* teſtetur. Porro duos, quibus bæc moralis expoſitio duodecimi Pſalmi continetur, Codices novimus: unum in bibliotbeca Lunælacenſi, coæva manu exaratum in folio: alterum in Petrenſi membraneum in forma 8. ab auctoris ætate non admodum remotum, ex quo rogatus à nobis præſentibus A. R. P. Vitalis Potenboffer, Tyronum rum Magiſter, Vir ſincera & antiqua pietate, eam expromſit. Apograpbum Petrenſe libenter cum Codice Lunælacenſi contuliſſemus, niſi ratio noſtri itineris & longius locorum intervallum nobis volentibus obſtitiſſet. Itaque lacunæ, quæ noſtram editionem bìc & illic inficiunt, alio tempore explendæ erunt.

WALAFRIDI STRABONIS HOMIL. DE GENEALOGIA CHRISTI. a col. 39.

IV. Walafridus Strabo, Monachus primùm. deinde Abbas Augiæ Divitis, mortuus anno Domini DCCCXLIX. XVIII. menſis Auguſti, ætatis ſuæ anno XLIII. tot apud poſteros laudatores babuit, ut vel horum recenſio paginam excederet. Eorum catalogum vide apud Olearium Tom. II. Bibliothecæ Scriptor. Eccle. litt. W: cum quo confer, quæ Jodocus Mezlerus Lib. II. de Vir. Illuſt. S. Galli cap. 68. & Joañes Egon Tract. de Viris Illuſt. Augienſ. parte II. c. 13. de eodem diſputant, ex quibus utique fabella de duobus Strabis evaneſcet.

Is,

Is, teſte Egone Tract. cir. parte I. cap. XII. *tanta ſcripſit, docuit, & dictavit, quanta in homine rudis ejus ſeculi omnem admirationem exſuperent, præſertim in tantis laboribus & tam multis rei domeſtica ſolicitudinibus.* Inter hæc inſignis eſt *Commentarius Walafridi in priorem Pſalmorum partem* nondum editus, tam ab Egone quàm à Mabillonio Tom. IV. Analect. laudatus, cujus indipiſcendi ampliſſimam nobis ſpem fecit Plurimùm Reverendus & Cl. P. Maurus Hummel Prior Augienſis, quem litteris ea ſuper re compellavimus. Interim dum integrum ad nos Straboniani hujus Operis apographum perferretur, Viri docti in ejusdem Walafridi *Homilia in Initium Evangelij S. Matthai de Genealogia Chriſti* acquieſcant. Eam noſtri amore A. R. P. Caietanus Scellkopf, Aſceta Tegernſeenſis, Vir humaniſſimus ex Codice membraneo in minori folio exſcripſit, quem, cùm Tegernſeenſem bibliothecam luſtraremus, ſexcentorum annorum eſſe judicavimus. Eadem Homilia extat & in alio ejusdem bibliothecæ Codice, ſed qui à priori nec ætate nec lectione admodum diſcreper, ùt ex apographo, ab Adm. R. P. Bonaventura Pergboffer, ejusdem loci Cœnobita diligentiſſimo, nobiscum communicato, comperimus.

THEODORICUS PATERBRUNNENS. IN ORAT. DOMINIC. à pag. 19.

V. Ætatem & dignitatem hujus auctoris, qui hactenus omnibus incognitus fuit, oſtendit nobis ſola perelegantis & gravis Opuſculi ab eo editi inſcriptio: *Scriptum Theodorici, Paterbrunnenſis Canonici de Oratione Dominica*, *quod ob memoriam Immabi Venerabilis Epiſcopi, inſtinctu Reverendi Sacerdotis Reinboldi, per gratiam S. Spiritus edidit.* Succeſſit Immabus in Epiſcopatu Paderbrunnenſi Rudolpho ſeu Ruthardo circa annum Domini MLII. obiitque poſt inſtauratum ab incendio Monaſterium Abdinckboſenſe anno MLXXVII. ſi probus eſt calculus Gabr. Bucellini Germaniæ Sac. Parte I. pag. 20. ubi non *Immabum*, ſed *Imadum* vocat. Cùm itaque Theodoricus *in* ejus *memoriam* hoc ſcriptum ediderit, vero ſimile eſt, id circa annum MLXXIX. compoſitum fuiſſe. Nec plura de Theodorico aliunde nòſſe licuit. Ipſum verò ejus ſcriptum coæva ferè manu exaratum reperimus in Codice membraneo majoris formæ in bibliotheca Clauſtroneoburgenſi, unde hujus digniſſimus Præfectus, A. R. D. Evgenius Pyrckbauer id erutum, noſtro Theſauro inſerendum dedit. Libellus hic quidem perbrevis eſt, ſed noſtro judicio pluribus de hoc argumento recentiorum voluminibus præſtat. Notatu digniora videntur, quæ capite V. & VI. de Fide ac Pœnitentia Chriſtiana tradit, ubi etiam adverſariis, ſi quos nova quorundam Sacræ Scripturæ locorum interpretatio ſibi excitatura eſſet, non illepidè reſponder, eóſque cavere jubet, *ne de gratia Spiritus ſententiam pracipitent. Confido enim*, inquit, *eundem Spiritum, qui diviſit aliis pro ſua voluntate, & mihi quoque, prout voluit, diviſiſſe. Non eſt omnibus nobis idem intellectus, ſicut non omnibus membris idem actus &c.* Quæ iis inculcanda ſunt, quibus omnia, à recentioribus excogitata & inventa præ veteribus ſordent, quaſi Divinus ille Spiritus, qui adoleſcentem Eccleſiam docuit, ſeneſcentem deſ[t]ruiſſet. Prudentum virorum eſt, non quàm vetus, ſed quàm verum quodpiam dictum vel ſcriptum ſit, quærere. Sed de his alibi.

HONORII AUGUSTODUN. HEXAEMERON &c. à col. 71. Vid. n. 9.

VI. Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ in Burgundia Presbyter & Scholaſticus ab anno circiter MXC. usque ad annum MCXX. non modica ſcribendi laude floruit. Eum ante vitæ finem Monachum induiſſe, verò ſimillimum reddunt plurimi, iiſque Honorij temporibus proximi manu exarati Codices, qui nomen *Solitarij* diſſertiſſimè præferunt. Idem autem eſſe nomen Solitarij & Monachi conſtat ex Grimlaici Presbyteri *Regula Solitariorum*, cujus caput primum his verbis incipit: *primùm igitur indagare oportet, cur Monachus, vel cur Solitarius vocatur, & ſic demum auxiliante divina clementia, ad catera exponenda ritè tranſeamus. Monachus enim Graca Etymologia vocatur, eò quòd ſit ſingularis. Monas enim Gracè, Latinè ſingularitas dicitur. Ergo Solitarius interpretatur vocabulum Monachi. Idcirco enim ſive dicatur Monachus ſive Solitarius, unum atque idem eſt &c.* quæ eo fine prolixiùs excerpſimus, ut palam omnibus eſſet ratio, propter quam Honorius Monachis Benedictinis accenſendus nobis viſus fuerit. Arnoldus Wion in Ligno Vitæ Lib. II. cap. 69. ex Nicolao Aurifico & Melchiore Hittorpio Honorium non ſolùm *Monachum* ſed etiam *Abbatem* vocat, addit tamen, ab iis haud explicari, quo in loco eo munere Honorius functus fuerit. Aſt nobis eum *Monachum* dixiſſe ſatis fuerit, cùm Abbatialis nominis nullum in tot veteribus, quos inſpeximus, Codicibus veſtigium, aut veterum ea de re teſtimonium ullibi extet. Catalogum Operum ab Honorio editorum paſſim apud eos reperire eſt, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractàrunt. Iis porro

omni-

omnibus ipſe Honorius prævivit, qui accurata ſuorum Opuſculorum recenſione Librum Quartum *de Luminaribus* ſeu Scriptoribus Eccleſiæ concluſit. Cæterùm Honorium alia plura poſt mox laudatos libros de Luminaribus Eccleſiæ ſcripſiſſe, dubitare non ſinunt Codices Gemnicenſes, ex quibus non pauca hactenus inedita, & Honorij nomine inſignita nunc primum in lucem proferimus, benevolentiâ Ven. PP. Leopoldi Wydemanni & Sebaſtiani Tregeri, Cartuſianorum Gemnicenſium, quos alibi commendavimus. Quia verò in bibliothecarum perluſtratione quædam non ſperanda nobis occurerunt, è quibus etiam editi Honorij libri lumen accipiant, ejus Opuſcula non tantùm hìc à nobis evulgata, ſed etiam typis aliàs jam excuſa, ordine ab ipſo Honorio ſervato, paulò accuratiùs juvat recenſere, prætermiſſis tamen iis, quæ vulgo nota jam ſunt. Itaque ſcripſit

1. *Ellucidarium in tribus Libellis: primum de Chriſto, ſecundum de Eccleſia, tertium de futura vita diſtinxit.* Extat MS. in bibliotheca Clauſtroneoburgenſi in membraneo Codice in fol. Seculi XII. ubi *incipit Elucidarium, ùt dicitur, Anſhelmi M. ſæpius rogatus &c.* ùt in editis. In Codice membraneo Gemnicenſi annorum quadringentorum hæc præmittuntur: *Gregorius: Superfluum eſt quærere de auctore, cùm Spiritus S. credatur.* Ejuſdem Operis translatio Germanica habetur in duobus Codicibus MSS. bibliothecæ Mellic. quorum prior Seculi XV eſt, alter *anno* 1414. *explicit*, nec verſionis dialectus antiquior eſt.

2. *Libellum de Sancta Maria, qui Sigillum Sanctæ Mariæ intitulatur.* Extat paſſim in Bibliothecis Patrum editus.

3. *Vnum de libero arbitrio, qui inevitabile dicitur.* In Codice Mellicenſi membraneo fol. ſignato lit. b. num. 64. extant *excerpta libelli, qui vocatur inevitabile, editi à Solitario, genere & nomine incognito.* Codex is quingentorum annorum eſt.

4. *Unum libellum Sermonum, qui Speculum Eccleſiæ nuncupatur.* Hoc *Eccleſiæ Speculum* Baſileæ an. 1544. typis excuſum eſſe ex Daumio monet Olearius in Biblioth. Script. Eccl. Tom. I. litt. H. Sed & nos tam in bibliotheca Gottwicenſi quàm in B. Mariæ V. Scotenſi hujus Speculi excuſum exemplum *in* 8. *Coloniæ in ædibus Quentelianis* anno 1531. atque adeo tredecim annis editione Baſilaenſi antiquius vidimus. In Colonienſi hac editione Speculo Honorij adjunguntur etiam *Admonitio & Sermones Feliciarij Epiſcopi Arelatenſis*, quo tamen nomine in Catalogo Archiepiſcoporum Arelatenſium apud Dionyſium San-Marthanum in Galliæ Chriſt. Tom. I. nullus legitur.

5. *De incontinentia Sacerdotum, qui Offendiculum appellatur.* Hunc librum nullibi hactenus reperimus. Gottwici habetur Codex membr. in folio ſexcentorum annorum, in quo extat recenſio librorum, *quos Frater Heinricus huic contulit Eccleſiæ.* Hìc non pauca Honorij Opuſcula recenſentur, inter quæ etiam ſunt *Elucidarium benè correctum* & *Offendiculum de incontinentia Sacerdotum.* Sed hodie hi Codices Gottwici deſiderantur, uti & plerique omnes libri ex Heinrici donatione comprehenſi.

6. *Summam totius de omnimoda Hiſtoria.* Hoc Opus in mox laudata Heinrici donatione ita recenſetur: *Sacramentarium de Myſteriis: Summa totius, in quo Cronica ab initio Mundi uſque ad noſtra tempora.* Evolvimus quidem in bibliotheca Gottwicenſi ejuſmodi Chronicon ab Orbe Condito in Codice membraneo fol. manu ſeculi circiter duodecimi exarato, in quo multa præclara ad res Germanicas pertinentia inſunt. Verùm quia id Opus non niſi uſque ad annum MLVIII. pertingit, & auctor Adalbertum Auſtriæ Marchionem *ſuum* vocat, à *ſumma totius* Honorij diverſum eſſe credimus. Arnoldus Wion Lib. II. Ligni Vitæ cap. 69. auctor eſt, hoc *magnum opus olim apud Lazium fuiſſe, ſed nunc* (circa annum 1595.) *eſſe in bibliotheca Imperatoris Viennæ, MS.* Quod ſi verum eſt, fallit Got. Olearius, qui loc. cit. Opus Honorij de omnimoda Hiſtoria cum pluribus aliis *dubio procul interiiſſe* ſcribit. Immò Poſſevinus in Appar. pag. 767. id Baſileæ 1544. editum fuiſſe affirmat. Sed hic auctor in Honorio tot errores committit, ut nullam fidem mereatur.

7. *Gemmam animæ de Divinis Officiis.* Opus hoc ſæpius ſub prelum miſſum fuit. Johannes Mabillonius in Itinere Italico num. XXVII. *leve quidem eſſe, ſed tamen haud reticendum ſibi exiſtimavit, quòd liber de ritibus Eccleſiaſticis, qui Gemma animæ inſcribitur, Auctore Honorio Auguſtodunenſi, nomen Honorij Solitarij præferat in Ambroſiano Codice annorum quingentorum.*

8. *Sacramentarium de Sacramentis.* Quem libellum, ùt ipſe Honorius in Prologo ſcribit, collegit *ex Sanctorum ſcriptis, ut, quibus deeſt librorum Copia, per hoc compendium* SACRAMENTARIUM à col. 249.

illorum ſublevetur inopia. Vult autem ibidem Honorius, ut *hujus* Operis *nomem Sacramentarium ſcribatur, eò quòd per illum omne Sacramentum Divini Officij ignaris aperiatur.* Prodit id nunc primùm ex Codice Gemnicenſi ſeculi XIV. opera & ſtudio eruditi P. Leopoldi Wydemanni. Aliud ejusqem Operis exemplum MS. olim etiam Gottvvici extitiſſe, probat Donario Heinrici, in qua Honorij *Gemma animæ de divinis Sacramentis, Sacramentarium de Myſteriis* &c. memorantur. Sed is Codex periit.

HEXAMERON. à col. 71.

9. *Neocoſmum de primis ſex diebus.* Hoc Opus in mox memorata Heinrici Donatione præter alia Honorij Opuſcula recenſetur, cùm Codex nunc Gottvvici inter deperdita numeretur. In Monaſterio Benedictoburano duo adhuc manu exarata exempla extant: unum in Cod. membr. 4. annorum quingentorum, ubi *Honorij Auguſtodunenſis Hexameron* inſcribitur: alterum in Cod. membr. fol. annorum ſexcentorum, in quo *Neocoſmi* titulum præfert. Habetur & in Codice membr. in fol. B. 64. bibliothecæ Mellicenſis hoc titulo: *Opuſculum cujusdam Solitarij de Operibus, quæ fecit Deus in primis ſex diebus:* qui Codex Mellicenſis quingentorum annorum eſt. Nos id ex Codice Gemnicenſis Carthuſiæ annorum quadringentorum damus adjuti à ſæpius laudaro & laudando P. Leopoldo Wydemanno. Cæterùm Præfatiuncula illa, quæ in noſtra editione Capiti I. præfixa eſt, cùm à Codd. Benedictoburanis & Mellicenſi abſit, non videtur genuina nec ab ipſo Honorio profecta. Eam tamen à dicto loco abeſſe noluimus, propterea quòd Codex Gemnicenſis eandem haberet. Idem judicium noſtrum eſt de Capite hujus Opuſculi ultimo, quod pariter in Codice Mellicenſi deſideratur. Igitur genuinum ejus initium cenſemus eſſe caput I. Quia *multi multa de primis ſex diebus* &c. finem autem in Caqite V. bis verbis comprehendi: *per quem adhuc omnis corporea creatura in meliorem ſtatum transformatur*, tametſi in Codice Mellicenſi finis Opuſculo paulo ante ita imponatur: *in iſtis autem temporalibus omnia temporalia & corporalia realiter per ſpecies & formas fecit.* Poſtremò mirari lubet, cur Honorius in Catalogo ſuarum lucubrationum hoc Opuſculum *Neocoſmum de primis ſex diebus* inſcribat, cùm Capite I. quo genuinam Honorij præfationem contineri monuimus, ipſe optare videatur, ut *elucidario huic ſuo in capite præfigatur Hexameron.* Sed de inſcriptione libri, auctori arbitraria, non admodum quærendum eſt, dum de re ac opere modò conſtet.

EVCHARISTION DE CORPORE DOMINI. à col. 349.

10: *Evchariſtion de Corpore Domini.* Editiones Librorum Honorij de Luminaribus Eccleſiæ malè *Evchariſticon* habent. *Evchariſtion* enim, non *Evchariſticon* legendum eſſe docent omnes, quos vidimus, Codíces, io quibus extat hic *liber de Corpore Domini*, nominatim Sanct-Crucenſis in 4. membr. quingentorum annorum, Donatio Heinrici Monachi Gottwicenſis ſæpiùs jam citata, Dorotheanus ſignatus Num. 54. quadringentorum annorum, & denique Mellicenſis, ex quo Librum primi publicamus, in fol. chart. L. 52. quem Wolfgangus de Emerſtorf ad fidem *vetuſtorum exemplarium* exaravit, ùt ipſe in fine his verbis notavit: *volumen iſtud conſcripſit Frater Wolfgangus Friſchman de Emerſtorff, Cœnobita Monaſterij Mellicenſis, apicibus quidem ſimplicibus, nec benè comptis, de exemplaribus tamen vetuſtis. Cujus pro Dei amore meminiſſe digneris optime lector, quisquis ex eo profeceris. Opus quoque ipſum finem ſuſcepit in craſtino Margarethæ Virginis Anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo primo.* Pòrro in hoc Codice *incipit Evckariſtion, quod interpretatur bona gratia.* Denique *Evchariſtion*, non *Evchariſticon* diſſertè habet Opus Honorij de Luminaribus Eccleſiæ in eodem Wolfgangi manu exarato volumine, Quædam ſeculi XV. manus in laudato Mellicenſi Codice ad Librum Honorij de Corpore Domini adnotavit, *hunc Tractatum in publico non videri legendum propter quædam puncta in eo contenta, in quibus autor videtur errare, vel ſaltem magna indigere diſcretionis conſideratione*, quæ ſine dubio hominis Scholaſtici, & veterum dicta ad ſubtiles temporis ſui Quæſtiunculas exigentis animadverſio eſt. Nihil enim extat apud Honorium, quod à vulgari veterum Doctorum doctrina aut oratione diſſideat. Vel ſolum Caput V. demonſtrabit, quàm Catholicè de Sacramento Evahariſtiæ, quod *Tranſubſtantiatione* fit, ſenſerit. *Chriſtus*, inquit, *Verbum Patris extitit, per quod omnia condidit. Idem Verbum naturam panis & vini in ſubſtantiam ſuæ carnis & ſanguinis, ſicut aquam in vinum, convertit, & non aliud quàm ſuum ſubſtantivum de Virgine genitum corpus ſuis edendum tribuit, & idem in craſtino pro vita Mundi in ara crucis Deo Patri obtulit. Idem etiam & non aliud Eccleſia hodie per manus Sacerdotum conficit, quod Maria genuit.*

nuit. Idem nihilominus & non aliud, quamvis ex alio pane confectum, populus fidelium hodie accipit, quod & Chriſtus manibus ſuis tradidit. Et licèt ſinguli Sacerdotes ſingulas hoſtias offerant : non tamen ſingularia corpora, ſed omnes unum, quamvis diverſo tempore, conficiunt. Et licèt oblatas in plurima fruſta dividant, non tamen partes, ſed ſinguli totum accipiunt. Alioquin ſi Chriſtus ſemel diviſus à populo comederetur, non eſſet, quod denuo eſurienti daretur, aut tot eſſent Chriſti corpora, quot Sacerdotum ſacrificia. Nunc autem unum Chriſti corpus ab omni populo, & ab unoque totum comeditur: & tamen totum integrum in dextera Patris permanere veriſſimè creditur. Quodque humana ratio non poteſt probare, Catholica fides neminem ſinit dubitare. Qui autem non credit, hujus corporis non particeps erit, quia deterior infideli extitit. Et Capite VIII. ubi quærit, cur Eucbariſtia Sacramentum dicatur, vel utrum *veritas an figura credatur*, ſic planiſſimè reſpondet : *In Chriſto duæ ſubſtantiæ prædicantur, viſibilis humanitas, & inviſibilis divinitas. Sic in hoc Sacramento duo conſiderantur. Et quia ſpecies & guſtus panis & vini cernitur foris, intus autem corpus & ſanguis Chriſti intelligitur, ideo Sacramentum dicitur. Omne Sacramentum aliud foris oſtendit, aliud intus intelligendum innuit: ſicut & littera, in quibus figura exteriùs & Characteres videntur, ſed poteſtas & ſignificationes interiùs intelliguntur. Unde licèt in veritate caro & ſanguis Chriſti credatur tamen non incongruè Sacramentum vel figura nominatur &c.* quibus nihil magis Catholicè ſcribi potuit.

11. *Cognitionem vitæ de Deo & æterna vita.* Habetur in Codice Mellicenſi 8. P. 40. manu ſeculi XII. ſub nomine *beati Auguſtini*, quod tamen ipſum recentiori manu depictum eſt. Notat verò ibidem alia ſeculi XV. manus, *videri eſſe Honorij ex ſtylo & ex ſuo in de Luminaribus Eccleſiæ.* In alio Codice Mellic. membr. fol. B. 64. quingentorum annorum hoc Opuſculum ita inſcribitur: *Cognitio vitæ a Solitario quodam dialoicè edita*, ubi iterum alia, ſed ſeculo XIV. vix recentior, manus in margine advertit, hoc Opus *Honorio aſcribi.* Nec id in poſteriore iſthoc Codice obſervatione indignum, quòd in Dialogo non *Magiſter diſcipulis aut fratribus*, ſed *Solitarius Auditoribus* loquatur, quod noſtrorum Benedictinorum Patrum, qui hoc Opuſculum, S. Auguſtino aliquamdiu ſuppoſitum, in recenti hujus editione Tomo VI. primi Honorio Auguſtodunenſi vindicârunt, ſententiam egregiè confirmat.

12. *Imaginem Mundi de diſpoſitione Orbis.* Hujus Operis tres antiquas editiones vidimus : prima eſt Norimbergenſis in fol. per Caſparum Hochfeder anno 1491. adornata in qua auctor *Honorius incluſus vocatur*: altera eſt Baſileenſis in 4. anno 1497. per Mag. Johannem Amerbach emiſſa, in qua non Honorio, ſed Sancto Anſelmo id tribuitur, cujus Opuſcula utraque editio præcipuè ſpectat & exhibet. Tertia demum editio eſt in folio minori, in qua nec locus nec tempus, quo aut ubi procurata ſit, additur. Ejus exemplum poſſidet bibliotheca Mellicenſis in Codice partim MS. partim typis commiſſo, ſignato Lit. E. num. 55. Etſi autem hæc editio perquam rudibus typis curata ſit, ea tamen longè ſincerior & emendatior eſt, quàm illa, quam poſt Andream Schottum S. I. & Antonium Hieratum Theologi Colonienſes ſuæ Patrum Bibliothecæ inſeruerunt: ut adeò facile crediderimus, hanc ex veteribus à nobis memoratis editionibus eſſe antiquiſſimam. Inſcriptio trium Librorum Honorij in hac editione ſic habet: *Criſtianus ad Solitarium quendam de Imagine Mundi. Honorio: Septiformi Spiritu &c.* Tum ſequitur *Prologus de Imagine Mundi. Honorius: Sapientiæ alumno* &c. Opus hoc in pluribus Auſtriæ bibliothecis MS: ſervatur.

13. *Summam gloriam de Apoſtolico & Auguſto.* In hoc libro agit Honorius de præcellentia Sacerdotij præ Regno, qua de re magnum ſeculo undecimo & duodecimo certamen extitit, aliis contendentibus Regnum nulla ratione Sacerdotio ſubjacere, aliis contrariam ſententiam magnis clamoribus tuentibus. In illos non uno loco acerbiùs invehitur Honorius, utpote à quibus Sacerdotio Regnum exæquari non poſſe affirmet, niſi aut *adulatores Principum, aut ignari rerum, aut denique ſtupidi homines* audire velint. *Jam illos*, inquit Cap. VIII. *familiariter quæramus, quorum cauſâ hanc lucubratiunculam ſuſceperamus, qui ob pecuniæ amorem, ob laudis favorem, & pro adipiſcenda ab ipſis Principibus dignitatis alicujus honore prædicant indoctis ipſi maximè indocti, ubique in manu Regum omnes dignitates pendere. Hi, qui hæc dicunt, aut Laici, aut Monachi,*

SUMMA GLORIA DE APOSTOLICO & AUGUSTO à col. 179.

aut Clerici ſunt? Si Laici ſunt, tunc ùt inſipientes ſunt irridendi, vel potiùs ùt ignari à Sapientibus corrigendi. Si autem Monachi ſunt, tunc deſipiunt, qui aut veritatem ignorantes errant, aut ſcienter errorem ob avaritiam ſapientes, verum ſe ſcire diſſimulant. Si autem Clerici ſunt, veſani capitis ſunt, qui Eccleſiaſtico Ordini jus ab ipſo Domino collatum adimunt, illúdque laicali poteſtati conferunt, imò ſe ipſos propria libertate ſpoliant, ac ſervili laicorum diſpoſitioni cum Caïn ſubjugant. Igitur horum omnium ſtolidæ aſſertiones à ſenſatis ſunt confutandæ, imò ab omnibus ratione utentibus reprobandæ, cùm Regnum Sacerdotio, populus Clero jure ſubjaceat, & ſicut Sol Lunæ, Spiritus animæ, Contemplativa vita activæ, ſic Sacerdotium Regno præemineat. Hæc Honorius, qui ſi intra juſtos comparationis limites ſe continuiſſet, contentùsque fuiſſet genus generi prætuliſſe, nec ſuis nec noſtris temporibus, qui ab eo vehementer diſſentirent, reperiſſet. Nempe non tam de præcellentia horum duorum generum, ſed de neceſſariis conſecutionibus, quæ ex alterius præcellentia effluebant, diſputatio & controverſia fervebat. Itaque dum illas aliì coarctarent, ampliarent alii, Honorius noſter cum poſtetioribus faciens eo Cap. IV. progreſſus eſt, ut exiſtimaret, *Imperatorem Romanum debere ab Apoſtolico eligi conſenſu Principum, & acclamatione plebis in caput populi conſtitui, à Papa conſecrari & coronari. Sed hic fortè*, ſcribit Honorius, *contentioſi ſermone & ſcientia imperiti erumpent, & Imperatorem non ab Apoſtolico, ſed à Principibus eligendum affirmabunt. Quos ego interrogo, utrum Rex à ſubditis, an Prælatis ſit conſtituendus? A Prælatis, inquiunt. A quibus? A Ducibus & Comitibus. Sed Duces & Comites Epiſcopis, ut puta, Dominis ſuis ſubditi ſunt, quia ab eis beneficia & Eccleſiarum prædia habent: ergo Rex à Chriſti Sacerdotibus, qui veri Eccleſiæ Principes ſunt, eſt conſtituendus: conſenſus tamen laicorum requirendus. Igitur quia Sacerdotium jure Regnum conſtituet, jure Regnum Sacerdotia ſubjacebit.* Quæ ratiunculæ & conſecutiones, quatenus ad electionem Imperatorum & Regum pertinent, quantum inter ſe cohæreant, ab aliis doctiſſimis viris jam dudum demonſtratum eſt. Cæterùm hunc Honorij Librum, quem Antonius Hierat in Bibliotheca Patrum Colonienſi cum ejusdem Honorij *ſerie Romanorum Pontificum* perperam confundit, è MS. Codice Gemnicenſi trecentorum annorum extulit P. Leopoldus Wydemannus, cui & ſequens Honorij Opuſculum debemus. *Summa Gloria* extat & in bibliotheca Canoniæ Tirnſteinenſis in Codice Chart. 4. manu ſeculi XV. & in Codicibus Mellicenſibus membraneis E. 85. & L. 24. quorum ille quadringentorum, hic trecentorum annorum eſt.

SCALA COELI MAJOR à col. 517.

14. *Scalam cæli de gradibus Viſionum.* Etiam hunc libellum eundem eſſe, atque Honorij Opus *de Solis affectionibus*, malè opinatus eſt Antonius Hierat ſeu Andreas Schottus, quorum editionem adoptârunt Curatores Bibliothecæ Patrum Colonienſis, qua utimur. Neque enim *Scala cæli* argumenti Philoſophici, ùt *Liber de Solis affectionibus*, ſed Theologici ſeu Aſcetici eſt, quam Honorius eorum gratiâ ſtruxit, *qui ad ſpiritualia*, ùt ipſe in Prologo ait, *ſcandere nituntur, ſed ordinem graduum ignorantes, per abrupta ſe præcipitant, & dum non gradatim ſcandendo, ſed per præceps inconſultè ruendo, nec hujus nec illius retinaculum rectitudinis, quo greſſum firment, inveniunt, pondere penduli, viſu preſſi caſſum iter linquunt, atque in profundæ fabulæ opiniones & tenebras ignorantiæ errabundi reſiliunt. Quorum animi inopia piè permotus, navem eis de exilio ad patriam opimis opibus inſtruxi, & Scalam congruis gradibus ordinabiliter diſparatam de cœno ad cælum erexi. Quam ſi ritè ſcandere contendunt, regem gloriæ in decore ſuo videbunt. Unde ſi videtur, Libellus* Scala cœli *vocetur.* Porro iſtud Opuſculum Ven. Leopoldo, qui ex mox citato ſuæ Cartuſiæ Codice, lectu ſanè quàm difficili eruit, acceptum referendum eſſe, Lectorem jam monuimus. Idem in Donatione Heinrici Monachi Gottwicenſis his verbis recenſetur: *Neocoſmus de ſex primis diebus. Scala cæli de tribus cælis. Gemma animæ &c.* Sed horum nihil amplius in bibliotheca Gottwicenſi reſtat.

15. *De Anima & de Deo quædam ex S. Auguſtino excerpta, & ſub Dialogo exarata.* Hic Dialogus in Codice Mellicenſi membraneo, lit. P. 40. ſignato, & circa duodecimum ſeculum collecto ſupereſt, id quod nos non niſi poſt excuſum ſecundum Tomum deprehendiſſe ſeriò dolemus. Aſt illi ſuus locus in ſequentibus voluminibus erit, in quibus etiam *Liber amplus Theologicarum Quæſtionum* de Limbo Patrum, Inferno, Cœlo &c. indidem depromptus comparebit, quem tum ob ſimilitudinem ſtyli, tum ob Opinionum conſenſionem ejusdem Honorij eſſe non dubitamus. Interim Ordinem & initium *Dia-*

logi

logi de Anima & de Deo cape. Primó pluſculæ veterum ſententiæ de natura animæ ponuntur, ex Caſſiodoro, ùt ſcriba in margine notat, aliiſque decerptæ. Incipit prior: *anima hominis proprie dicitur, non etiam pecudum, quia illorum vita in ſanguine noſcitur conſtituta &c.* Tum ſequitur Honorij Præfatiuncula: *Quæ de Opere beati Auguſtini decerpſi, ſtudioſis, quibus libri deſunt, ſtylo tradere curavi.* Demum Dialogum orditur D. in hunc modum: *Sæpius mihi de anima cogitanti, & unde vel quid vel qualis, vel quanta ſit, penitus ignoranti, rogo, ut, quæ Deo inſpirante de his ſentis, pandas ſciſcitanti.* Reſpondet M. *Ad hoc negotium non ero imparatus, quia frequenti meditatione in hoc ſum occupatus &c.* Quæ omnia lectori perſpectiora in ipſa editione reddentur.

16. *Expoſitionem totius Pſalterij cum canticis miro modo.* Ita enim hunc locum interpungendum eſſe docet MS. Cod. Mellic. L: 52. non: *Expoſitionem totius Pſalterij cum canticis: miro modo Cantica Canticorum expoſuit* &c. ùt habet noviſſima editio Fabritiana. Extat hæc ampliſſima Honorij Expoſitio in duobus Monſeenſis ſeu Lunælacenſis bibliothecæ voluminibus Chartaceis in fol. in quibus Opus *Honorij Solitarij, viri religioſi explicit anno* 1438. & in Codice membraneo Clauſtroneoburgenſi, manu ſeculi decimi tertij conſcripto, in quo *incipit Prologus Honorij Solitarij, viri religioſi: Chriſtiano Patri &c.* Et in tribus membraneis voluminibus in fol. eadem ætate perſcriptis, bibliothecæ Mellicenſis, quorum primum Lit. h. 54. alterum J. 45. ultimum J. 14. ſignatum eſt. Cætera, quæ in Mellicenſibus Codicibus obſervatu digna ſunt, vide in margine col. 97. à qua usque ad col. 153. ſpecimen quoddam hujus Honoriani Commentarij ex Codice Gemnicenſi quadringentorum annorum habes, id eſt: Præfationem, Expoſitionem Pſalmi L. LI. C. CI. & CL. quæ ſi viris doctis non diſplicuerint, fortaſſis non deerit, qui ad integri Operis editionem ſe accingat.

EXPOSITIO PSALMORUM à col. 96.

17. *Cantica Canticorum, ita ut præexpoſita* * *non videantur.* Expoſitio Cantici Canticorum dudum typis exſcripta eſt, ſed ſine Prologo, quem tandem ex Codice Signiacenſi Cl. P. Edmundus Martene in Theſauri Novi Anecdotorum Tomo I. col. 363. & ſeq. publicavit. Porro ex eo fides Codicum Mellicenſium, in quibus Honorius Expoſitionem Pſalmorum *Chunoni Abbati* dicat & inſcribit, comprabatur, mutuoque ab his, quem illud C. in Prologo Cantici Canticorum notet, innuitur. Aſt cujus Monaſterij Abbas ille Chuno fuerit, adhuc incognitum manet. Prologus in Cantica à Marteneo editus etiam extat in Codice MS. Canoniæ Dorotheanæ chartaceo in fol. trecentorum annorum, Zvvetlenſi, & Axpacenſi.

* *Editi* ita ut prius expoſ.

18: *Evangelia, quæ B. Gregorius non expoſuit.* Hoc opus in nulla hactenus bibliotheca vidimus.

19. *Clavem Phyſicæ de naturis rerum.* Sunt, qui putent hoc Honorij Opus idem omnino eſſe, ac ejusdem editos *Libros IV. de Mundi Philoſophia.* Sed Codex Monaſterij Zvvetlenſis aliud nos docet, in quo iſthæc notantur: *iſte liber dicitur excerptus ab Honorio Solitario de quinque libris cujusdam Chriſotomij.* Tum *incipit Prologus in Clavem Phyſicæ: cum multos mente intuear &c.* Codex eſt quingentorum annorum, ſignatus num. 261. Itaque *Clavis Phyſicæ Honorij* adhuc inedita eſt, ſed à nobis tandem in ſequentibus Tomis in lucem vendicanda. Quod jam factum eſſet, niſi eruditorum virorum Opinatio nobis impedimento fuiſſet. Vide Bibliothecæ SS. PP. Colonienſis Tom. XII. Part. I. pag. 929.

20. *Refectionem mentium de Feſtis Domini & Sanctorum.* Latet adhuc Opus. Extitit olim in Monaſterio Gottvvicenſi, ùt conſtat ex Donatione Heinrici Monachi, ubi inter alia Honorij Opuſcula *Refectio mentium, in quo Sermones ad Fratres in Capitulo*, collocatur. Trithemius de Script. Eccle. c. 357. malè hoc Opuſculum vocat *Refectionem menſium*, niſi fortè is merus error Typographicus ſit, quem tamen recenſiores editiones retinuerunt.

21. *Pabulum vitæ de præcipuis Feſtis.* Id nullibi adhuc nobis occurrit. In Donatione Heinrici una cum aliis Honorij libris Monaſterio Gottvvicenſi confertur *Pabulum vitæ, in quo Sermones in feſtis diebus.* Sed Gottvvicenſe exemplum deperiit.

22. *Hunc libellum de Luminaribus Eccleſiæ.* Is ſimplici plus vice typis excuſus eſt, tametſi correctior & caſtigatior editio ab omnibus meritò flagitetur. Egregius eſt Codex Mellicenſis L. 52. in folio, à Wolfgango de Emerſtorf de *veteri exemplari*, ùt ait, de-

ſcriptus. Alius ejuſdèm Mellicenſis Monaſterij Codex eſt in 4. K. 24. ejuſdem ætatis, puta ſeculi decimi quinti.

Atque hæc ſint ad Catalogum Operum, quem ipſe Honorius concinnavit animadverſa.. Quia verò, ùt ſupra ſcripſimus, poſt Opus de Luminaribus Eccleſiæ is alia plura Opuſcula in lucem edidit, eorum etiam elenchum, quatenus quidem licet, attexamus.

DE X. PLAGIS ÆGYPTI à col. 91.

23. *De X. plagis Ægypti ſpiritualiter.* Opuſculum hoc perbreve ſub Honorij nomine babetur in membraneo Codice Gemnicenſi, quem ſeculo decimo quarto pereleganter exaratum eſſe V. P. Leopoldus teſtatur.

SCALA COELI MINOR. à col. 173.

24. *Scala Cœli Minor.* Deſideratur nomen Honorij in Codice Chartaceo Gemnicenſi in folio annorum trecentorum. Nec Opuſculum Honorio tribuit P. Leopoldus niſi conjectando. Nobis id nihil aliud, quàm Sermo quidam videtur.

LIBER XII. QUÆSTIONUM à col. 201.

25. *Liber Duodecim Quæſtionum.* Præcipua harum Quæſtionum eſt, *num Sanctus Archangelus Michaël beato Petro Apoſtolo, an Petrus Michaëli præcedat?* Honorius primas defert beato Petro C. VI. ubi bæc ejus verba legas: *igitur quantum ordo Seraphin præcellit dignitate ordinem Archangelorum, tantùm præcellit Petrus Princeps Apoſtolorum Michaëlem unum de Ordine Archangelorum. Hinc eſt, quòd Roma Caput Mundi Petro Apoſtolo, non Michaëli Archangelo primatum regiminis obtulit, & univerſa Eccleſia per Orbem non ſolùm in privatis locis, ſed etiam in præcipuis urbibus Epiſcopalem ſedem Petro contulit.* Ita Honorius. Opuſculum in publicum emergit ex MS. Cod. Gemnicenſi quadringentorum annorum.

LIB. VIII. QUÆSTION. DE ANGELO & HOMINE à col. 215.

26. *Quæſtiones VIII. de Angelo & de Homine.* Erutæ ſunt ex laudato ejuſdem Carthuſiæ MS. Codice. Porro hæ Quæſtiones non ſunt de nihilo, ſed earum quædam res apud graviſſimos Auctores hodieque controverſas attingunt, cujuſmodi illa eſt, *cur Deus quoſdam innocentes, videlicet infantes, quos unda Baptiſmatis non regeneravit, in miſeria relinquat?* Quod Honorius ait *non plus à nobis poſſe inveſtigari, quàm illud poſſit indagari: cur Angelos non fecerit Archangelos, vel illos non fecerit Thronos, vel fœminas non fecerit viros, vel beſtias non fecerit aves, vel cur pavoni tantum decorem pennarum præ cæteris avibus dederit, & multa his ſimilia. Omnia enim, quæcunque voluit, fecit & facit.* Hæc Honorius prudenter ſanè ac ſobriè.

LIBEL. DE ANIMÆ EXILIO ET PATRIA. à col. 227.

27. *De animæ exilio & patria*, aliàs *de Artibus.* Libellum bunc idem oobis Codex Gemnicenſis bibliothecæ ſuggeſſit, curante P. Leopoldo, cujus benevolentia & ſtudio etiam ſequentia omnia conſecuti ſumus. Eum Honorius cuidam *Thomæ* dicavit, cui *Librum* quoque *XII. Quæſtionum*, numero 25. relatum inſcripſit. Argumentum totum Aſceticum eſt, quod vel ſolis inſpectis capitum, in quæ id diviſimus, ſummariis complectêris.

LIBEL. DE LIBERO ARBITRIO à col. 237.

28. *De Libero Arbitrio.* Libellus hic ab altero Honorij Opuſculo *de libero arbitrio, quod inevitabile dicitur*, penitus diverſus eſt, tametſi doctrina utriſque cootenta ferè eadem ſit. Eum Honorius nuncupat *Godſchalco* cuidam, *fide & opere ſudanti in ſancto propoſito, verbo & exemplo gregi Chriſti præpoſito*, quæ innuere videntur, Godſchalcum Abbatis muoere alicubi functum fuiſſe. Opuſculum in Codice Gemnicenſi quadringentorum annorum auctoritates Patrum Ambroſij, Auguſtini, Fulgentij &c. excipiunt, ex quibus, ni fallimur, manifeſtum eſt, Honorium in doctrina de libero arbitrio nihil aliud ſentire aut tradere voluiſſe, niſi quod à majoribus traditum accepiſſet.

DE VITA CLAUSTRALI à col. 363.

29. *De Vita Clauſtrali.* Opuſculum ſub Honorij nomioe una cum aliis certiſſimis ejuſdem lucubrationibus comparet in Codice Gemnicenſi in 8. quem Ven. Bertholomæus Carthuſianus Gemnicenſis, & anno 1459. Prior Carthuſiæ Eysbacenſis exaravit.

30. *De Philoſophia Mundi Lib. IV.* Extant in bibliothecis Patrum.

31. *De Solis affectibus ſeu affectionibus Lib. I.* Hunc malè confundi cum *Scala Cœli de gradibus viſionum*, ex iis conſtat, quæ ad numerum ſeu potiùs Opuſculum 14. adnotavimus.

32. *Series Romanorum Pontificum.* Extat in Patrum bibliothecis.

33. *De Hæreſibus* Lib. I. Ibidem babetur. Manuſcriptus, multóque emendatior extat in Codice Mellic. Wolfgangi de Emerſtorf, notato lit. L. 52. *ex veteribus exemplaribus exſcripto.*

34. *Quæſtiones & ad eaſdem Reſponſiones in duos Salomonis Libros, Proverbia & Eccleſiaſten.* Vide in Bibliothecis Patrum.

35. *De Anima Lib. I.* Ita Trithemius de Script. Eccle. cap. 357. Sed vitioſo Codice deceptum virum magnum fuiſſe, non dubitemus. Eſt itaque Honorij *liber de anima* nullo modo diſtinctus ab ejuſdem *libello de Anima & de Deo ex S. Auguſtino*, quem more *Dialogi* exaratum io bibliotheca Mellicenſi adſervari ſupra num. 15. diximus.

36.

36. *Dialogus ex Opuſculis Auguſtini Lib. I.* Ita iterum Trithemius, quem falſum eſſe paulo ante dicta demonſtrant. Nempe ex uno eodemque Honorij opere tria procudit Trithemius.

37. *Epiſtolarum ad diverſos Lib. I.* ſecundùm eundem Trithemium. At de iis nos adhuc nihil vidimus.

38. *Suum quid virtutis de virtutibus & vitiis.* Hoc quid monſtri ſit, nondum aſſecuti ſumus. Quidquid id tamen operis fuerit, certè inter Honorij, ni fallimur, Opuſcula in Donatione Heinrici Monachi hoc modo exprimitur. Quæ *Donatio* quoniam in illuſtratione Honorij lucubrationum inſigni nobis uſui fuit, aliaque continet, quæ veterum Opuſculis lucem afferre poſſunt, eam integram hoc loco exhibere non gravabimur.

Iſti ſunt Libri, quos Frater Heinricus huic (Gottwicenſi) contulit Eccleſiæ.

Pſalterium inſigniter expoſitum. Cantica Canticorum mirabiliter expoſita. Mattheus gloſatus. Apocalypſis expoſita. Item Cantica Canticorum cum gloſis. Clavis Phyſicæ, ſcilicet liber de Periſiſion excerptus. Speculum Eccleſiæ, in quo ſermones dulciſſimi ad populum. Refectio mentium, in quo ſermones ad Fratres in Capitulo. Pabulum vitæ, in quo ſermones in feſtis diebus. Elucidarium benè correctum. Offendiculum de incontinentia Sacerdotum. Euchariſtion de Corpore Domini. Neocoſmus de ſex primis diebus. Scala cœli de tribus cœlis. Gemma animæ de divinis Sacramentis. Sacramentarium de Myſteriis. Summa totius, in quo Chronica ab initio Mundi uſque ad noſtra tempora. Imago Mundi, in quo totus Mundus deſcribitur. Summa Gloria de Apoſtolico & Auguſto. Suum quid virtutis de virtutibus & vitiis. Sigillum ſanctæ Mariæ, in quo Cantica ad perſonam ſanctæ Mariæ exponuntur. Cognitio vitæ. Inevitabile, in quo de libero arbitrio & prædeſtinatione, & gratia DEI diſputatur. Anſhelmus de libero arbitrio. Evcherius de Hebraicis nominibus. Iſidorus breviter ſuper totam Bibliothecam. Item ſententiæ Iſidori de utroque Teſtamento. Thimeus Platonis. Bucolica Virgilij. Theodolus. Muſica Odonis. Serenus de Medicina arte, in quo excerpta Bedæ de Gallieno & Ipocrate. Abacus Gerlandi. Priſcianus abbreviatus. Abbo de regulis. Focas de arte Grammatica. Item Libellus de penultimis. Libellus verſuum. Rhetorica Alerani. Excerpta de Martiano. Priſcianus conſtructionum, in quo & exemplar metrorum. Liber orationum. Liber de Luminaribus Eccleſiæ, id eſt: de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Liber, in quo ſanctæ cantilenæ. Excerpta de libris S. Auguſtini de Deo & anima. Quæſtiones diverſæ. Gloſæ diverſæ. Computus Dionyſij Græcè, in quo abacus & mappa Mundi. Martyrologium, in quo diverſæ paginæ Computi. Rodale, in quo ſeptem liberales artes depictæ. Item Rodale, in quo Troianum bellum depictum. Item Rodale, in quo varia pictura. Item Quaternio depictus.* Hucusque *Donatio Heinrici* in membraneo Codice Gottvvicenſi in folio, manu ſeculi duodecimi.

* videtur Cod. habere: mœrentium.

IRIMBERTUS ABBAS ADMONTENS. IN CANTICA. à col. 369.

VII. Longè minor obſcuriórque hactenus Irimberti Abbatis Admontenſis fama & memoria fuit, quàm ejus illuſtria de Virtute ac ſacra Eruditione merita poſtulârunt. In lucem is editus fuit ineunte Chriſti ſeculo duodecimo, Monaſticen in totius tum non ſolùm Stiriæ ſed etiam Germaniæ celeberrimo Monaſterio Admontenſi circa ejusdem ſeculi annum quintum & vigeſimum profeſſurus, ùt tradit vitæ S. Gebehardi Archiep. Salisburgenſis Scriptor Anonymus apud Henr. Caniſium Tom. VI. Antiq. Lect. pag. 1252. ubi Eccleſiæ Admontenſis *profeſſum* Irimbertum diſſertè dicit. Ejus frater germanus, eodem auctore teſte, magnus ille Godefridus erat, qui anno MCXXXVIII. Abbas Admontenſis creatus, Monaſterium ſuæ curæ commendatum, virtute ac doctrina maximorum hominum ſeminarium fecit. Audiendus ea de re laudatus Anonymus Admontenſis pag. 1245. *incitabant*, inquit, *& cooperabantur tunc temporis ad ſtudium religionis quidam ſpiritualis vitæ boni æmulatores, qui fama ſua & exemplo plures alios attrahebant. Rabanus Prior ſupradictus & quatuor illi, quorum ſupra mentionem fecimus, illiterati. Sed & Wernherus ſecundi Prioris & armarij functus officio, qui poſtea Brulenſe Cœnobium ſtrenuè rexit. Perchtoldus Cœnobij S. Emmerammi poſtmodum Abbas. Sed & alij plures, qui ob meritorum inſignia diverſis ſunt poſtea prælati Cœnobijs. Tredecim namque Abbates illo in tempore de noſtro ſunt Monaſterio ad alia Cœnobia aſſumpti. Præter hos*

&

& alia apud nos religioſæ perſonæ tunc enituerunt. Odalricus Sacerdos & Sacriſta, Perchtoldus ſeriba egregius, qui librorum multitudinem non parvam Monaſterio noſtro propria manu deſcripſit. Lampertus quoque ſcriptor ſolertiſſimus: ſed & Gotſchalcus tam ſub Gotfrido Patre quàm ſub trium ſubſequentium Abbatum magiſterio præcentor idémque ſcriptor egregius &c. Porro inter bos omnes eminebat & extabat Irimbertus, qui omne ſuum ſtudium & curam ad Divinarum Scripturarum cognitionem ea ſedulitate transferebat, ut cum eruditiſſimis & doctiſſimis eo in genere Viris ſuo ætate conferri potuerit. Erat Irimbertus non ſolùm amœno & acuto ingenio præditus, ſed gaudebat præterea mira quadam Styli facilitate, qua id conſequebatur, ut quidquid piè ac doctè in Divinis Litteris excogitâſſet, id omne celerrimè nec ineleganter in membranas & tabulas referret. Certè ex ejus Præfatione in amplum ſuum Commentarium in Joſue conſtat, eum id Opus *tertio die ante feſtum S. Michaëlis arripuiſſe, ac infra Octavam S. Martini* eodem anno explêſſe. Anno MCLII Irimberti ſtudia lugubri admodum caſu impetita ſunt. *Cùm enim*, ùt ipſe loco cit. ait, *in extrema parte libri Regum deſudaret, omnes Monaſterij Officinas in medio Quadrageſima, cæleſtis permiſſu Patris, nocturno tempore flamma conſumpſit.* Quem triſtiſſimum eventum cùm idem Irimbertus alibi prolixiùs & accuratius narraverit, ejus verbis boe loco rem omnem dare opere pretium videtur. *Non habemus* (ita ſeribit in Commentario in Quatuor Libros Regum) *non habemus manentem civitatem hic, ſed futuram inquirimus. Quæ ſententiæ Doctoris gentium quanta veritate fulciatur, in ea, quæ nobis accidit, rerum permutatione declaratur. Feria namque ſecunda mediæ Quadrageſimæ Expoſitionem meam ſerò hic dimiſeram, eamque in craſtinum in gaudio Sancti Spiritus repetere propoſueram, quia ad finem Operis hujus ardenter feſtinabam. Cùm ecce nocte ſequente feriæ tertiæ gravis & intolerabilis mihi occurrit luctus triſtitiæ, ut jam cum Job meritò poſſim exclamare: verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium. Cùm enim Matutinorum ſolemnitas pervigili intentione & diſtincta Pſalmodiæ compoſitione in Choro celebraretur, ego & frater, qui ad ſcribendum fuerat adjutor deputatus, in Capella Sanctæ Mariæ Virginis, matutinalibus expletis laudibus, Curſum ejusdem Dominæ noſtræ uſque ad Lectionem decantaveramus, cùm ecce clamorem ſervi cujusdam audientes obſtupeſcimus, quia in Admontenſi loco nocturno tempore aliquem perturbationis ſtrepitum audire non conſvevimus. Ille ſecundò exclamavit, iteratóque clamore mali alicujus ſuſpectos nos eſſe fecit. De Capella concitè eximus, & nihil quidem videntes, ſtrepitum magnum circa Domum infirmorum audimus. Servus enim, qui exclamaverat, Domum infirmorum calefaciebat: ſed eo negligentius agente ventus vehemens vi à regione deſerti irruens eandem domum exteriùs invaſerat, & flamma jam inſuperabiliter mira celeritate, vento impellente, excreverat. Curro in Monaſterium. Pſalmum: quid gloriaris in malitia &c. jam in Choro pſallebant diſtincta valde melodia. Fero inviſa ſigna, foris jam conflagrare incendia. Excurrunt primi fratres exteriores, quos ferè omnes inveni ſolicitè in Orationibus ſtantes (ſic enim moris eis eſt Pſalmodiæ nocturnæ invigilare, ne contingat continuò ſedentes ſomni tepore marceſcere.) Flamma ſupra modum excreſcens à domo infirmorum Capellam Sanctæ Mariæ cœpit acriter laniare: quia præ incendij magnitudine & venti nimietate nullus poterat in periculo ſubvenire. Luctus omnium oritur, & Matutini Fratrum interrumpuntur. Sorores accepto à me ſigno in ſecundi Nocturni initio deponunt Matutinos, & in ſuplicatione Lytaniæ cum incomparabili lachrimarum effuſione ſe proſternunt. Flamma ex una parte Monaſterium occupat: ex alia in clauſtrum ſe dilatat, cui vix ſimile in eis montanis partibus inveniri poterat, quia ſumptibus beatæ memoriæ Domini Conradi Archiepiſcopi ex pretioſiſſimo marmore conſtructum erat, ejusdemque ſumptibus pretioſæ columnæ Monaſterium continebant. Dominus Abbas videns incendium excreſcere, omnésque Monaſterij Officinas irrevocabiliter occupare, ad Monaſterium Sororum tranſit, quia nec illud poſſe evadere pertimeſcit. Aliquamdiu ergo pro foribus Eccleſiæ reſidens, & flammas vento impellente ultra modum excreſcere conſpiciens, Sororésque in Monaſterio manere poſſe diffidens, Priorem ſolicitiùs inquiri rogat, cui ejusdem Monaſterij claves commiſerat. Sed cùm inveniri non poſſet (quippe cum omnibus de Monaſterio egreſſis, & in tenebris noctis, ubi iſte eſſet, ille neſciret) ſtrepitu flammarum & terrore volantium ſcintillarum Abbas*

per-

terrore volantium ſcintillarum Abbas permotus, ſeras Monaſterij Sororum effringi fecit, eiſque licentiam exeundi dedit, ſi periculum incendij declinare non poſſint. Quem cùm Domina Agnes, filia Comitis Ottonis, fratris Epiſcopi Ratiſponenſis ſic lachrimabiliter inquireret, quorſum ire deberent: lachrimabiliter & ille reſpondit: quocunque vos miſeratio ſummi Patris direxerit. Jam tempus miſerendi venerat, quia cæleſtis Pater in ira miſericordiæ memor eſſe debuerat, ne de habitatione ſui Monaſterij tot Sorores, claris ortas natalibus nocturno tempore contingeret ejici, quæ ſe pro amore Filij Dei cuſtodiæ mancipaverant carcerali. Cujus cuſtodiæ diſtrictionem non debeo ſilentio præterire. Sed priùs cæptum incendij ordinem volo tranſire: Flamma cùm omnia Monaſterii Capellarum ædificia & omnes officinas Monachorum & fratrum externorum conſumpſiſſet, cellarium ſuperius devoravit, & per oſtium ingrediens, interiores trabes invaſit, & ſi ibi prævaluiſſet, conſumptis ſtipendiis, quia Monaſterij ſitus valde eſt invius, dubium non eſſet, quin & multitudo Monachorum & Fratrum in loco ſubſiſtere non poſſet, & Monaſterium Sororum, quod ex oppoſito ſtabat, incendio periret. Vicerunt Dei Filium lachrymæ Sororum, & ait Angelo porcutienti populum: ſufficit, nunc eontine manum tuam. Monachi & Fratres & ſervi tota nocte ultra modum deſatigati circa mane cellarium liberant, ſicque Sorores ſopito incendio ſecurè in Monaſterio perſeverant. Vento enim Aquilonari, qui ante medium noctis inſurrexerat, ex qro Matutinorum ſolemnitas cæperat, & tota nocte illa flammas accendendo dilataverat, circa diei crepuſculum alius ſe ventus oppoſuit, qui omne periculum flammarum è cellario & à Sororum Monaſterio removit. Hæc Irimbertus de Monaſterij Admootenſis incendio, quod etſi atrox admodum & vehemens fuerit, contentionem tamen Divinas Litteras amplius perſcrutandi io robuſto ejus pectore delere oon potuit. Celebrabatur interim cumulatiſſimis laudibus Irimberti nomen, nec deſiderabantur ſummi Eccleſiarum Antiſtites, qui eum ad ſuarum Diœceſeon Monaſteria ejus doctrinâ & moribus imbuenda, graviſſimis & humaniſſimis litteris invitarent. Eberhardi Archiepiſcopi Salisburgenſis, Conradi Epiſcopi Patavienſis, Eberhardi Epiſcopi Babeobergenſis, Monachorum Crembsmunſtrenſium & S. Michaelis propè Babenbergam ea de re Epiſtolas vide ſis in Appendice ad divos Bambergenſes Jacobi Gretſeri S. J. qui pag. 502. rectè ootat, oportuiſſe *inſignem virum Irmbertum fuiſſe, pro quo duo tam celebria Monaſteria Montis S. Michaëlis, & duo Epiſcopi Babenbergenſis & Paſſavienſis, imò & Archiepiſcopus Salisburgenſis tam acriter dimicaverint.* Sed victoriam de Irimberti modeſtia & tergiverſatione tandem reportavit Monaſterium S. Michaëlis Bambergæ, cujus in ſe regimen ſuſcepit annò MCLX. Porro ad id iter vix ſe accinxerat Irimbertus, cùm hanc ad eum Epiſtolam Eberhardus Epiſcopus Babenbergenſis dedit, dignam ſanè, quæ hoc loco recudatur:

Eberhardus Dei gratia Babenbergenſis Eccleſiæ humilis miniſter, ſpecialiter dilecto, & in Abbatem divinitus electo Domino Irmberto, ſalutem & ſinceræ charitatis affectum.

Cor noſtrum præ gaudio dilatatum eſt, quando vos à Deo nobis datum usque ad noſtra jam perveniſſe cognovimus, ſperantes, quod ad introitum veſtrum benedicturus ſit Deus nobis & domui noſtræ. Toto itaque cordis affectu in amplexus veſtros ſpirituales ulnas Charitatis expandimus, corde ſimul & ore dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Poſtpoſitis autem omnibus aliis negotiis, in Aſſumptione beatiſſimæ Mariæ Virginis cum jocunditate vos recipere, Domino annuente, diſponimus, ut beatus Michaël Archangelus in conſortium supernorum civium ſuis vos aſſumat patrociniis &c. Sed quàm feſtivè Irimbertus Babenbergæ ab omnibus exceptus fuerit, ipſe in Epiſtola ad Godefridum fratrem perquam accuratè narrat, quam eapropter hic integram dare viſum fuit.

Chariſſimo Domino & Patri G. Admuntenſium Abbati, Frater Irmbertus, ſervorum Sancti Michaëlis ſervus, tam devotam quàm debitam ſubjectionem, orationem, & ſervitutem.

Benedictus Dominus die quotidie proſperum iter fecit nobis Deus ſalutarium noſtrorum. In feſto itaque S. Benedicti ad Monaſterium Bergen deveni, ubi tanta religionis, diſciplinæ, & divinæ ſervitutis emolumenta inveni, quibus & laborum meorum conſolationem, & immenſam Spiritus mei conſecutus ſum recreationem. Quanta erga me Dominæ

 Abba-

Abbatiſſæ, Prioris, Præpoſiti, & omnium ſororum ac fratrum ibi fuerit devotio, nec verbis nec literis veſtræ Paternitati referre valeo.

Ibi itaque per XXVI. dies Dominum Herbordum expectavi: qui à me digreſſus, cùm per ſeptimanam Ratisponæ fratrem Wolferum exſpectaſſet, Domino meo Epiſcopo Babenbergenſi apud Erphurt occurrit, omnemque ei ſuæ legationis ſeriem expoſuit. Qui quo gaudio, qua dignatione, qua pietate me ſuſceperit, literarum ejus, quas mihi miſit, textus vobis inſinuabit. His itaque literis Dominus Herbordus in vigilia S. Oſvvaldi apud Bergen me requiſivit, cum Domino Abbate de Michilvelt, quem Dominus Epiſcopus illò cum ſuis literis pro me direxit. Qui quanta liberalitate cum ſuis omnibus me ſuſceperit, & per ſeptimanam tractaverit, Frater Adelbertus vobis referre poterit.

Sabbato itaque ante feſtum S. Mariæ nuntius præfati Domini mei Epiſcopi eidem Domino Abbati ſupervenit, ut ſequenti die Babeberc ante introitum civitatis ſibi occurreret, meque ſecum adduceret. Ubi me venientem deſcendens de equo benigniſſimè ſuſcepit, & ad proceſſionem, quæ ſibi in majori Monaſterio glorioſè præparata fuit, ſecum per civitatem adduxit. Finita eadem proceſſione cum magno apparatu, cum Reſponſorio Dominicali: Super ſalutare, & à Veſpertinali: tota pulcra es, Chorum ſalutavit, eique me ſalutandum obtulit. Quo pacto Domino Hartungo, Domino Herbordo, multiſque aliis, præcipuè ipſo Domino Abbate cum ſuis me comitantibus, nudis pedibus montem aſcendi, ubi ipſe Dominus meus Epiſcopus cùm Domino meo Brunone Epiſcopo, cum Domino Decano, Cuſtode & majoribus multis Eccleſiæ, & Conventu populari me honorificè ſuſcepit, Fratribus Monaſterij partim cum Domino Priore ante oſtium Eccleſiæ cum magno apparatu me excipientibus, partim in Monaſterio cum Reſponſorio Dominicali: Super ſalutem: & in Choro cum Reſponſorio: Te ſanctum Dominum, honorificentiſſimè ſuſcipientibus: Cantúque peracto in Choro tam Dominum meum Epiſcpum, quàm & me per Oſculum pacis humiliter ſalutantibus. Inde in Capitulo Domino meo Epiſcopo Dominus Hartungus & Herbordus omnem legationis ſuæ ſeriem expoſuerunt, teſtimoniúmque tam veſtrum, quam Fratrum & Sororum omnibus ſuper me retulerunt. Dominus meus Epiſcopus pauca ibi pro tempore dixit, & inveſtituram loci mihi ſolenniter contradidit.

Fratres ſanè beati Michaëlis, cujus honeſtatis hactenus fuerint, qua diſciplinæ & religionis inſtitutione coaluerint, in me oſtenderunt, dum & obedientiam mihi benignè promiſerunt, & benigniùs exhibuerunt: & tam ſeniores quàm juniores, literati cum Illiteratis, non uti exulem & ignotum, ſed ut Patrem & Dominum, filiali, humili & pia devotione omnes me fovere cœperunt. In feſto itaque Dei Genetricis, Capitulo, Miſſarum Officio, menſæ convivio ſolenniter exacto, Dominum meum Epiſcopum in domo ſua viſitavi, ipſique ſtatum rerum mearum gratulabundo gratulabundus expoſui: qui me ſecum ad ſorores deduxit, & tam me illis, quam & illas mihi affectione paterna commendavit. Sequenti die, ipſius Domini mei Epiſcopi juſſione Capitulum Canonicorum intravi, & Domino meo Brunone Epiſcopo pro me agente, fraternitatem ab ipſis accepi, ſicque cum Domino Brunone, Decano, aliiſque Dominum meum Epiſcopum reviſi. Ubi ipſe tam ſuas literas, quas vobis vel ſororibus remiſerat, quàm veſtras & ſororum ſibi pro me directas in conſpectu omnium applaudentium recitari fecit, multáque mihi & pro me benignè locutus me à ſe piiſſimè dimiſit. Reſtat ergo, ut quæ orationum veſtrarum præeunte interventu, bono circa me inchoata ſunt principio, orationum veſtrarum nihilominus proſequente commeatu, meliori conſummentur termino &c.

Porro Irimbertum nihil in his finxiſſe, abunde conſtat ex ipſorum Monachorum Babenbergenſium, quibus Abbatis nomine præfectus fuit, epiſtola apud Gretſerum pag. 495. ubi Godefridum Abbatem Admontenſem ſic alloquuntur: *debitas gratiarum actiones, Reverende Pater, ſanctitati veſtræ profundè inclinando referimus, quòd longa orbitate multatos, non undelibet, ſed de corde veſtro avulſum Irmbertum bonum, pium, & prudentem patrem habere feciſtis, atque adhuc ut melior, & magis pius, atque prudentior eſſe debeat, veſtris eum conſiliis ad honeſtatem & utilitatem Eccleſiæ noſtræ munire atque informare non neglexiſtis. Omnes enim literæ veſtræ, ſive ſororum veſtrarum, quæ pro ipſo ad Dominum Epiſcopum, ſive ad nos directæ ſunt, nec non & illæ, quæ ad ipſum ſecretius venerunt,*

venerunt, quanto diſcretionis ſale condita, quanta dulcedine ac ſuavitate reſperſa ſint, non facile valet explicari. Verùm hæc omnia, nobis & pro nobis dicta & ſcripta eſſe, & Spiritum Sanctum auctorem eorum cognoſcentes, tanquam ſalutis noſtræ privilegia publicè ac privatim ea lectitando ſatiari non poſſumus.

Sciatis autem, quod multum conſolationis in his, atque in ipſius Domini & Patris noſtri J. verbis ac moribus jam dudum acceperunt quidam ex noſtris, qui tanquam membra infirmiora circa initium hujus rei trepidaverunt ibi, ubi non erat timor. Nam quibusdam ex nobis timidis & infirmis, ut verum fateamur, nomen Admuntenſium horrori fuit, quia de confragoſis & ſaxoſis, & montuoſis locis veſtris nihil dulce, nihil jocundum vel humanum ſe habituros ſperabant. Verùm quia longe aliter eſſe, re ipſa experimur, præventi à vobis in benedictionibus dulcedinis, & deſiderium animæ noſtræ, vobis tribuente, conſecuti, in magno tripudio & exultatione cordis noſtri, & vos, Pater venerande & Domine, locum veſtrum, Fratres & Sorores veſtras, & omnia, quæ ad vos pertinent, ipſumque Dominum ac Patrem noſtrum, Fratrem veſtrum, intimo ac pleno devotionis affectu amplectentes, & in timore & amore Dei, quicquid filij ac ſervi Domino & Patri timoris & amoris exhibere debent, omni ſubjectionis reverentia exhibentes, corde ſimul & ore decantamus: vivat anima tua Domine &c. Hæc ipſi Babenbergenſes S. Michaëlis Cœnobitæ quibus Irimbertus usque ad annum MCLXXII. præfuit, inde ad ſuſcipiendum ipſius Admontenſis Monaſterij regimen vocatus. Ut adeo inſigniter fallat MS. Catalogus Abbatum S. Michaëlis, ex quo pag. 562. ad illuſtrandas Irimberti res Gretſerus iſt exſcripſit:

De Irmberto Abbate XIII.

> *Domino Helmerico Abbate ad Patres ſuos eunte, Abbatiam regendam ſuſcepit Dominus Irmbertus de Monaſterio Sancti Blaſij Admuntenſis aſſumptus anno Domini MCLX. qui rexit Monaſterium Annis ferè duodecim. Debitum ſolvit carnis Anno Domini MCLXXII. Kàlend. Januarij.*

At Irimbertum anno MCLXXII. nequaquam *debitum ſolviſſe carnis*, ſed ad gubernandam Abbatiam Admontenſem translatum fuiſſe, tam Auctor vitæ S. Gebehardi Archiep. Salisburgenſis, quàm vetuſtum, & in membraneis deſcriptum Chronicon Admontenſe, planiſſimum faciunt, quorum ille apud Caniſium T. VI. Antiq. Lect. pag. 1251. & ſeq. hæc habet: *poſt hæc felicis recordationis Admuntenſis Abbas Liutoldus ſeptimo regiminis ſui anno, poſtquam utiliter, ſed admodum laborioſè, in vinea Domini deſudavit, anno Incarnationis Domini MCLXXI. tertio Nonas Septemb. Domino vocante diem clauſit extremum: Quo etiam anno beatus Thomâs Archiepiſcopus Cantuariæ in Anglia glorioſo martyrio eſt coronatus. Poſt cujus deceſſum, in eligendo Patrem, fratres aliquamdiu diſſidentes, quidam Dom. Iſinricum, prænominatum Abbatem Biburgenſem: quidam Dominum Heinricum Abbatem Mülſtatenſem, Popponis Comitis filium, & à puero ſimiliter in Admuntenſi educatum Cœnobio, cœperunt expetere in Patrem & Dominum. Obtinuit tamen pars, quæ Dominum Heinricum elegerat, & altera pars cœpit huic aſſentire. Electus ergo Dominus Heinricus venire ad nos penitus abnuit, licèt & multis & Epiſcoporum & Principum litteris pro hoc eſſet ſolicitatus, tum quieti ſuæ conſulens, tum priorem vocationem ſui & electionem in locum Mulſtatenſem obtendens, inſufficientiam ſuam ad reginen noſtri Monaſterij ſæpenumero proponens. Rurſus igitur, dum in electione Patris, vota eligentium ſcinderentur, & ob hoc diſſenſionum ſcandalis tota confunderetur Jeruſalem, tandem utcunque concordia facta, Rudolphus quidam Prior S. Lamberti eſt electus, cùm item Dominus Iſenricus à pluribus religioſis eligeretur, & tamen ab aliis, ne illa electio effectum haberet, impediretur. Prædictus denique Rudolphus Admunti veniens, rigore obſervantiarum Ordinis noſtri, ſibi hactenus inſolito & inuſitato, Fratrum quoque exteriorum ſeu Cappatorum rebellione puſillanimis redditus, poſt duodecim hebdomadas loco ceſſit, & ab obedientia ſua fratres omnes abſolvit. Unanimi deinde electione, Dominus Irimbertus Abbas S. Michaëlis in Babinberg, noſter autem profeſſus, germanus Domini Gotfridi Abbatis, vir in ſacra Scriptura apprimè eruditus, ætate penè decrepitus, electus in Admuntenſem Abbatem, & miſſis nuntiis evocatus, per quinqennium & dimidium annum, in ſancta converſatione loco præfuit, ac poſtea in Nativitate Domini VII. Calen. Januarij,*

rij, Chriſto vocante, in ſenectute bona, migravit à ſeculo, anno Incarnationis Domini MCLXXVII. Hæc biographus S. Gebehardi. Cui egregiè conſonant, quæ in laudato Chronico Admontenſi, nondum edito, in hunc modum referuntur: *MCLXXI. Liutoldus Abbas obiit. MCLXXII. Rudolphus Prior S. Lamberti Admuntenſis Abbas eligitur. Quo poſt parvum tempus refutante Irmbertus Abbas S. Michaëlis ſubſtituitur . . . . . MCLXXVII. Heinricus Dux Auſtriæ obiit, cui filius Liupoldus ſucceſſit. Irmbertus Abbas Admuntenſis quievit in Domino, pro quo Rudolfus eligitur.* Atque hæc de vita & rebus Irimberti Abbatis Admontenſis nobis vetera & proba monumenta ſuggeſſerunt: quæ ideo largiùs in hunc locum congeſſimus, ut quantus hic Vir, hujus Opera deinceps publici juris facturi ſumus, ſua ætate extiterit, eruditis palam fieret. Jam verò ad ipſa ejus litteraria monumenta, quod attinet, ea ſequentia ſunt.

1. *Commentarius ampliſſimus in Quatuor Libros Regum*, in quo accuratè deſcribendo & prelo parando nunc Adm. R. & Cl. Pater Benedictus Walner, Cœnobita Seiſenſteinenſis in Auſtria Ord. Ciſt. Vir impiger ac doctus verſatur.

2. *Commentarius prolixus in Librum Joſue.* Hunc in Tomo noſtro IV. habebis, ex elegantiſſimo Admontenſi Codice à Ven. P. Leopoldo Widemanno erutum.

3. *Commentarius* æquè diffuſus *in Librum Judicum.* Et in hoc in lucem vindicando jam deſudatur.

4. *Commentarius in Librum Ruth.* Æquè cum aliis in ſequentibus noſtris voluminibus comparebit.

5. *Commentarius Allegoricus in ſelecta quædam loca Cantici Canticorum.* Hunc in præſenti Tomo habes, à R. P. Henrico Pachſmid, ſodali noſtro & ſtudiorum noſtrorum ſedulo adjutore, ex Codice Admontenſi in 4. coæva Irimberto manu exarato productum. Extat hoc perelegans & optimis moralis doctrinæ capitibus ac piiſſimis ſenſibus refertiſſimum Opus etiam in alio Codice Admontenſi in 8. fortè avtographo, ubi id aliis exploratiſſimis Irimberti Operibus permiſcetur. Ut adeo, tametſi in neutro Codice nomen Irimberti exprimatur, ejus tamen genuinum id Opus eſſe dubitari non poſſit.

LIBER DE X. ONERIBUS. à col. 427.

6. *Liber de X. Oneribus in quædam Capita Iſaiæ.* Hunc etiam exhibemus in præſenti volumine ex inſigni Codice Admontenſi in fol. ſeculi duodecimi, unde eum in lucem protraxit R. P. Godefridus Depiſchius noſter. Porro nec hic liber Irimberti nomen in memorato Codice præferebat. Sed quia ſubjunctus erat quibusdam Homiliis, quarum auctorem eſſe Irimbertum vix liceat dubitare, eum huic inſcribere ac attribuere tantò minus veriti ſumus, quantò apertiùs ingenium, ætas, modus argumentum tractandi, ſtylus &c. Irimberti in eo relucebant. Idem Opus etiam in Catalogo MSS. Codd. Monaſterii Prunveningenſis prope Ratisbonam, anno MCCCXLVII. concinnato his verbis refertur: *Item Expoſitio ſuper X. Onera Eſaiæ, & Viſio Danielis de quatuor beſtiis, & Sermones in uno volumine.* Quod volumen munificentiâ Eberhardi, Archiepiſcopi Salisburgenſis, magni Admontenſium fautoris, ad Monaſterium Prunveningenſe, cujus olim Eberhardus Monachus extitit, fortè pervenit. Sed hariolari non lubet.

7. *Homiliarum in ſelecta veteris Teſtamenti loca, & diverſorum de Domini & Sanctorum feſtivitatibus Sermonum ampliſſimum volumen:* id quod ob inſignem cum doctrina elegantiam in conſequentibus Tomis ex MSS. præſtantiſſimis codicibus Admontenſibus, ſingulari Reverendiſſimi, ac Perilluſtris D. Domini Antonii, Præſulis Admontenſis Ampliſſimi benignitate, & incredibili A: R. P. Sigismundi Münich, ejusdem celeberrimi Monaſterii eruditi Bibliothecarii erga nos ſtudio & amore ad nos perlatis proferemus.

Cæterùm ex his abunde patet, quàm imperfectam Irimbertinorum Operum recenſionem Auctor vitæ S. Gebehardi nobis reliquerit, dum non niſi hæc litteris commendavit: *Scripſit hic in libros Regum quatuor Opus arduum ac luculentiſſimum: ſimiliter in librum Judicum & Ruth egregiè commentatus eſt.* Eo non nihil accuratior fuit Modeſtus Putrer ſeu Putrar anno 1548. Cœnobita Admontenſis in Opere MS. quod ita inſcripſit: *Catalogus Doctorum trium Ordinum, ſcilicet S. Benedicti, Ciſtercientium & Cartuſienſium, in diſtinctione Pſalmorum ad horas Canonicas ſecundùm regulam S. Benedicti convenientium.* Hic enim poſt perbreve Irimberti elogium ſic ejus Opera recenſet:

Super

Super Joſue Lib. 3. Quoniam Jota unum.
Super Judicum Lib. 2. Sancti Spiritus aſſit nobis gratia.
Super Ruth Lib. 1. Cùm primi parentes.
Super IV. Libros Regum magnum volumen.

Addit etiam in fine modeſtus *diſtichon ex epigrammatibus Abbatum Monaſterii Admontenſis*, quo & nos obſervationem noſtram concludemus.

Poſt Irimbertus hoſpes licet arte refèrtus
Gloſat Regales Codices quoque Judiciales.

THOMÆ ABBATIS S. ANDREÆ VERCELLENS. COMMENTAR. HIERARCHICUS IN CANT. à col. 501.

VIII. Vix de ullo Auctore in hac noſtra collectione tractavimus, cujus res geſtæ adeò perplexæ ac obſcuræ ſint, quàm Thomæ Abbatis Vercellenſis, cujus *Hierarchicum in Cantica Commentarium* nunc primùm in lucem efferimus. Itaque ut ſanctiſſimum hominem è tantis tenebris, quibus quorundam Scriptorum incuria involutus jacet, vindicemus, notitiam omnem, quæ de eo haberi poteſt, paucis capitibus concludemus, ex quibus rectè ſtabilitis ac perceptis pluſcula doctorum hominum errata in eo admiſſa corrigi & emendari poterunt. Primò exploratum ac certum eſt ex Ferdin. Vghelli Italiæ Sac. Tom. IV. col. 1080. & ſeq. à Guala Cardinali anno 1220. Monaſterium S. Andreæ pro Canonicis Reg. S. Aug. Vercellis conditum fuiſſe, id quod hæc Vghelli verba declarant. *Guala verò Cardinalis ille eſt, qui è nobili familia de Bicheriis Vercellenſi utriusque juris peritia longè doctiſſimus ab Innocentio III. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu creatus eſt, quique anno 1220, nobile Monaſterium Eccleſiamque S. Andreæ Vercellis fundavit, atque ampliſſimis facultatibus auctum cultúque Eccleſiaſtico exornatum reliquiis SS. munitum Canonicis Regularibus attribuit &c.* Secundò hoc Monaſterium nunquam fuiſſe Ordinis S. Benedicti, ſed Canonicorum Regularium S. Auguſtini ſaltem usque ad annum 1459. quo id Congregationi Lateranenſi unitum fuiſſe latè tradit Gabriel Pennotus Hiſtor. Tripart. Lib. 3. cap. 28. Alia eſt Abbatia tit. S. Andreæ Vercellenſis Ord. S. Bened. *de qua*, inquit Auguſtinus Lubinus in Notitia Abbatiarum Italiæ pag. 415. *Codex Taxarum Cameræ Apoſtolicæ*, uti & *vetus Codex Taxæ Cameralis, qui eam collocat in Diæceſi Vercellenſi.* Tertiò *Commentarij in Cantica*, quem hic edimus auctorem Abbatem fuiſſe Monaſterij S. Andreæ Vercellis, tametſi in noſtro Codice tantùm *Vercellenſis* dicatur. Neque enim prudenter dubitari poteſt, auctorem hunc *Vercellenſem* Commentarij Hierarchici in Cantica, & auctorem *Extractionum Commentariorum in Myſticam Theologiam Dionyſij*, de quibus infra, unum atque eundem eſſe. Atqui Commentaria in Myſticam Theologiam Dionyſij certiſſimè ſunt Abbatis Vercelleſiſis ad S. Andream. Ut enim de aliarum bibliothecarum Codicibus jam nihil dicamus, in Codice Mellicenſi ſignato lit G. num. 23. anno 1455. manu noſtri Johannis de Weylhaim viri docti & accurati diſſertè *explicit Expoſitio Abbatis S. Andreæ Vercellenſis ſuper Myſticam Theologiam.* Igitur nihil planius eſſe poteſt, quàm hujus Expoſitionis in Myſticam Dionyſij Theologiam & Commentarij noſtri Hierarchici in Cantica unum omnino eundemque eſſe conditorem. Quartò nullum in Monaſterio S. Andreæ Vercellenſis Abbatem à ſtudio Theologiæ Myſticæ apud ullum Scriptorem idoneum celebrari niſi primum, ſeu *Thomam Gallum*, de quo Vghellus loc. cit. *Primus hujus Cænobij Abbas fuit Thomas, Doctor Pariſienſis inſignis, ex Canonico S. Victoris ad hanc dignitatem vocatus à Guala, qui plura ſui ingenij monumenta reliquit teſte Poſſevino, obiitque anno 1226. Jacet in Eccleſia cum ſtatua marmorea & Epitaphio.*

Bis ter viginti currebant mille ducenti
Anni, cùm Thomas obijt Venerabilis Abbas
Primitus iſtius templi ſummèque peritus
Artibus in cunctis liberalibus, atque Magiſter
In Hierarchia: nunc arca clauditur iſta,
Quem celebri fama vegetavit pagina ſacra.

Igitur ex his omnibus neceſſariò conſequitur, Commentarij Hierarchici in Cantica, &c. genuinum auctorem eſſe Thomam primum Abbatem S. Andreæ Vercellis Ord. Can. Reg.

S. Aug-

S. Auguſtini, non Ordinis S. Benedicti, ùt falſis ſine dubio Poſſevini, & Oudini de *cucullo S. Benedicti*, in Thomæ epitaphio comparante, narratiunculis decepti, olim & ipſi ſenſimus. Oudinus in Supplem. Bellarmini de Script. Eccle. eo etiam nomine caſtigandus eſt, quòd pag, 678. Thomam noſtrum floruiſſe circa annum 1400. tradat, cùm tamen in Epitaphio, cujus ex Poſſevino meminit, annus ejus obitus milleſimus ducenteſimus vigeſimus ſextus diſſertè dicatur. Porro Thomæ Opera ſunt ſequentia.

1. *Extractiones*, id eſt: perſpicuum compendium, *Libri S. Dionyſij Areopag. de Cæleſti ſeu Angelica Hierarchia.* Incipit Præfatio Thomæ: *cum in libris magni Dionyſij &c.* Opus: *Omne bonum datum naturalium &c.* In Cod. MS. Mellic. 4. notato Lit. G. 23. anno Domini 1456. exarato.

2. *Extractiones Libri S. Dionyſij de Eccleſiaſtica Hierarchia,* Inc: *O Timothee, qui pluribus juſtis Chriſti miniſtris juſtior es &c.* Extat in eodem MS. Cod.

3. *Extractiones Libri S. Dionyſij de Divinis Nominibus.* Inc: *poſt librum de Divinis Characteribus, in quo tractavi &c.* In eod. Cod.

4. *Extractiones Libri S. Dionyſij de Myſtica Theologia.* Inc: *Trinitas ſuperſtantialis, ſuperdea & ſuperbona &c.* Ibid.

5. *Extractiones Epiſtolæ Dionyſij ad Titum.* Inc: O Tite, tot à me didicit Timotheus &c. In eod. MS. Cod.

Hactenus recenſita Thomæ Vercellenſis opera, in quibus *per annos viginti* elaboràſſe ſe ipſe in Præfatione teſtatur, vidimus edita in folio Argentinæ anno 1503. cum Operibus S. Dionyſij Areop. Atque hæ *Extractiones* ſunt illi *breves, faciles & accurati Commentarij*, quos Thomam *in Libros S. Dionyſij de Hierarchia* ſcripſiſſe Poſſevinus, Oudinus, & Jo. Bona Cardinalis in Notitia Auctorum, Tractatui de divina Pſalmodia præfixa fidem faciunt. Præter hæc verò ſcripſit Thomas

6. *Commentarium in Cantica Canticorum*, qui in Codice MS. Collegij S. Benedicti Cantabrigiæ, ſignato num. 40. hanc inſcriptionem præfert; *Commentarium ſuper Cantica Canticorum hierarchicè exponens hæc Cantica.* Ita Caſimirus Oudinus in Supplem. ad Bellarmini Script. Eccle. Codex verò Mellicenſis Chartaceus in 4. notatus Q. 43. nullam niſi hanc inſcriptionem retinet: *incipit Vercellenſis ſuper Cantica Canticorum.* Ac ex hoc nunc primùm typis excudendum dedimus elegantiſſimum ac prorſus Divinum Thomæ Opus, quo in Cantica fortè nihil ſublimius extat. Obſcurum iis duntaxat videbitur, qui Divinarum rerum ignari raró aut nunquam abſconditum, ſolíſque mundiſſimis animabus ſervatum cœleſte manna deguſtaverunt. Aſt qui ſemel Secretiores animi Deo pleni delitias experti ſunt, ij profectò hoc Thomæ Opus non ſolum illuſtre, qui ſanctiſſimi bujus Abbàtis character eſt, apertum & planum eſſe comperient, ſed etiam totius Theologiæ Myſticæ ſummam quandam in eo agnoſcent. Quod ſicubi ſententiæ ac loci perplexiores occurrant, id non tam Auctori, quàm librariis tribuendum eſt. Certè Codex Mellicenſis admodum depravatus eſt præſertim in Sententiis S. Dionyſij, à Thoma denſiùs adductis, in quibus reſtituendis non exiguus noſter labor extitit.

7. *Tractatus de ſeptem fructibus Contemplationis.* Hunc ſe ſcripſiſſe ipſe Thomas teſtatur in Commentario in Cantica col. 659. his verbis: *Si autem quis mente ſolicitatur, volens fructus Contemplationis ſcire, qui ſunt iſti effectus, in quibus tantùm dilectus delectatur: poſſumus dicere, quod ſunt Septem, ſcilicet ignificatio calidiſſima, unctio ſuaviſſima, extaſis perfectiſſima, ſpeculatio lucidiſſima, deguſtatio delitioſiſſima, quies & unitio pacatiſſima, & gloria ſupergloriosiſſima, & de quibus ſpecialis extat Tractatus, juxta divinam bonitatem noſtra poſſibilitati communicatam.* An & ubi hìc Tractatus extet, nobis adhuc incompertum eſt.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ AD SECUNDAM PARTEM SECUNDI TOMI THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

MAXENTII PATRIARCHÆ AQUILEIENS. EPISTOLA DE RITIBUS BAPTISMI à col. 1.

I. Satis conſtat, Carolum Magnum pro ſua in rem omnem Chriſtianam animo circa annum Cbriſti DCCCXII. encyclicam epiſtolam ad Regni & Imperii ſui Arbchiepiſcopos dediſſe, ut quid de Baptiſmo ejusque ritibus ac cæremoniis ſentirent, ſingulorum litteris certior fieret. Qua occaſione plures Archiepiſcopi & Epiſcopi præſtantia eo de argumento ſcripta ediderunt, quos poſt Mabillonium Tom. I. Analectorum, Antonius Pagius Tom. III. Crit. in Annales Baronii ad annum 812. num. XII. laudat & recenſet. His deinceps annumerandus erit Maxentius, ab anno DCCCIX. usque ad DCCCXXVII. circiter Patriarcba Aquileienſis, cujus inſignem ad Carolum M. *de Ritibus Baptiſmi Epiſtolam* ex coævo ferè Codice Sanct-Emmerammenſi in lucem publicam exire juſſimus. Ei præmiſimus ex Codice Diplomatico-Epiſtolari Udalrici Babenbergenſis ipſius Caroli Epiſtolam, tum ut Maxentii reſponſio penitius à lectore perciperetur, tum ut conſtaret, epiſtolas ad Archiepiſcopos Germaniæ, Galliæ ac Italiæ à Carolo datas, uno eodemque exemplo fuiſſe, maléque Pagium cenſuiſſe, Carolinæ Epiſtolæ non niſi unum exemplar ſupereſſe, quod una cum Odilberti Archiepiſcopi Mediolanenſis reſponſione in ſupra citato Analectorum tomo Mabellonius conſervaverit.

ADELHERI EP. ADMONITIO &c. à col. 19.

II. De Adelhero nihil penitus apud veteres recentioresve auctores reperimus, tametſi minimè dubitaverimus, eum quampiam in Germania ſedem occupâſſe, aut ſaltem Chorepiſcopum alicubi egiſſe. Si ſuſpicari & conjectare liceat, fortè bic Adelherus eſt Adelgerus Epiſcopus Auguſtanus, quem anno DCCCLXIV. ſupremum diem obiiſſe tradit Bucellinus Germ. Sac. T. 1. Certè facilis librariorum lapſus fuerit, quo non niſi unica mutata littera ex Adelgero Adelherus prodierit. Verùm & de ipſo ſeu Adelgero ſeu Adelhero Auguſtano res admodum dubia eſt. Nam cui Bucellinus ſedecim annorum in Epiſcopatu Auguſtano regimen tribuit, ei à Corbiniano Kbam, Scriptore multò accuratiore, in Hierarchia Auguſtana nulla certa ætas aſſignatur, ſed is una cum Walthero *incertis Epiſcopis* accenſetur. Imò in veteribus MSS. Auguſtanorum Epiſcoporum catalogis Weſſobrunnenſi & Eccleſiæ Auguſtanæ nulla prorſus mentio ſeu Adelgeri ſeu Adelheri injicitur. Quæ omnia ut amplius eluceſcant, operæ pretium eſt ambos catalogos, quatenus quidem in Codicibus, Weſſobrunenſi ab annis ſeptingentis, & Auguſtanæ Eccleſiæ ab annis ſexcentis exarari cœptis extant, hic exhibere, addito è regione eorundem Epiſcoporum Syllabo à Corbiniano Kham concinnato.

Catalogus Epiſcoporum Auguſt. ex Cod. MS. Eccleſiæ Auguſt.	*Catalogus Epiſcoporum Auguſt. ex Cod. MS. Weſſobrunnenſi.*	*Catalogus Epiſcoporum Auguſtan. K. P. Corbiniani Khani.*	Epiſcopatum adiit anno	rexit annis	obiit anno	die
Dioniſius avunculus S. Afræ M.	Dyoniſius avunculus Afræ.	S. Dionyſius S. Afræ avunculus, à S Narciſſo Preſbyter, & deinde Epiſcopus ordinatus, Martyrio coronatus eſt circa an. CCCV.				
		Epiſcopatus Auguſtanus inſtitutus creditur circa annum Dom. DXC.				
Zozimus.	Zoſimus.	I. Sozimus.	590.	18.	608.	
Peruuelf.	Perwelf.	II. Bervvelfus.	608.	5.	614.	

Dago-

			anno	annis	anno	die
Dagobertus.	Tagabertus.	III. Dagobertus.	614.	16.	630.	
Manno.	Manno.	IV. Manno.	630.	19.	649.	
Wicho.	Wico.	V. Wicho.	649.	18.	667.	
Piricho.	Piricho.	VI. Bricho.	667.	20.	687.	
Zaizo.	Zeuzo.	VII. Zayſo.	687.	21.	708.	
Marcmannus.	Marcmannus.	VIII. Marcmannus.	708.	29.	738.	
Sanctus Wichterpus.	Wicterpus.	IX. S. Wicterpus.	738.	17.	755.	18. Apr.
Tozzo.	Tozho.	X. S. Toſſo.	755.	12.	768.	16. Jan.
		Wicterpus II. ex Annalibus Elvacenſibus.				
Sintpertus.	Sindpertus.	XI. S. Symbertus.	788.	30.	818.	13. Oct.
Hanto.	Hanto.	XII. Hauto.	818.	7.		
		Waltherus & Adalgerus Epiſcopi incerti.				
Nitgarius.	Nitgarius.	XIII. S. Nidgarius.	864.	4.	869.	15. Apr.
Vodalmannus.	Vodulmannus.	XIV. Vodolmannus.	869.	7.	876.	
Wichgerus.	Wicgerus.	XV. B. Witgarius.	876.	10.	887.	
Lanto.	Lanto.	XVI. Lanto, forſan Anteceſſoris octo annis Coadjutor.	878.			
Adalbero.	Adalbero.	XVII. S. Adalbero.	887.	22.	909.	28. Apr.
Hiltine.	Hiltine.	XVIII. Hiltinus.	909.	15.	923.	
Sanctus Vodalricus.	Sanctus Vodalricus.	XIX. S. Udalricus.	923.	50.	973.	4. Julii.
Heinricus.	Heinricus.	XX. Heinricus I.	973.	8.	982.	14. Julii.
Euticus.	Euticus.	XXI. Ethico.	982.	6.	988.	
		Udalgerus incertus.				
Liutolfus.	Luitolfus.	XXII. Luitolphus.	988.	7.	996.	27. Julii.
Gebehardus.	Gebehardus.	XXIII. Gebhardus.	996.	4.	1000.	7. Julii.
Sigefridus.	Sigifridus.	XXIV. Sigefridus I.	1000.	7.	1007.	
Prun, *qui legavit huic Eccleſiæ civitatem Straubing cum Eccleſia & attinentiis* *	Pruno.	XXV. Bruno.	1007.	22.	1029.	23. Apr.
Eberhardus.	Eberhardus.	XXVI. Eberhardus.	1029.	18.	1047.	
Heinricus.	Heinricus.	XXVII. Henricus II.	1047.	16.	1064.	
Embrico.	Embrico, *ſub quo inventa ſunt corpora SS. MM. Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, & aliorum SS. & reliquiæ S. Narciſſi Ep. & M. de Gerunda Auguſtam allata ſunt.*	XXVIII. Embrico.	1064.	14.	1077.	30. Julii.
Sigefridus.	Sigifridus.	XXIX. Wigoldus. nec non	1077.	11.	1088.	
		XXX. Sigefridus II.	1077.	19.	1096.	4. Dec.
Herimannus.	Herimannus.	XXXI. Hermannus.	1096.	38.	1134.	
Waltherus.	Waltharius.	XXXII. Waltherus I.	1134. re-	16. ſign.	1153.	3. Sept.
Cuonradus.	Kuonradus.	XXXIII. Conradus.	1150.	17.	1167.	

** Hæc adſcripſit manus ſeculi XIV.*

Hart-

			anno	annis	anno	die
Hartvvicus.	Hartvvicus.	XXXIV. Hartwicus I.	1167.	17.	1184.	25. Jan.
Vodilſcalcus.	Vodalſcalchus.	XXXV. Udalſcalcus.	1184.	18.	1202.	1. Jun.
Hartvvicus.	Hertvvicus.	XXXVI. Hartwicus II.	1202.	6.	1208.	30. Apr.
Sifridus Epiſc.	Sifridus.	XXXVII. Sigefridus III.	1208.	19.	1227.	
Sihoto.	Sihoto.	XXXVIII. Sibotho.	1227. re.	25. ſign.	1262.	15. Aug.
Hartmannus.	Hartmannus.	XXXIX. Hartmannus.	1252.	33.	1286.	4. Jul.
Sifridus.	Sifridus.	XL. Sigefridus IV.	1286.	2.	1288.	
Wolfhardus.	Wolfhardus.	XLI. Wolfardus.	1288.	12.	1300.	13. Jan.
Regenhardus.	deeſt.	XLII. Degenhardus.	1300.	7.	1307.	
Fridericus.	Feridricus.	XLIII. Fridericus I.	1307.	22.	1330.	
Hic finit Cata-	Volricus.	XLIV. Udalricus II.	1330.	6.	1336.	
logus Eccleſiæ	Hainricus.	XLV. Henricus III.	1336.	12.	1348.	
Auguſtanæ in Co-	Marquardus.	XLVI. Marquardus I.	1348.	20.	1368.	
dice Cathedralis	Waltherus.	XLVII. Waltherus II.	1368.	1.	1369.	4. Oct.
bibliotheca Au-	Johanoes.	XLVIII. Joannes I.	1369. re.	3. ſign.	1378.	
guſtanæ.	Purckhardus.	XLIX. Burcardus.	1373.	31.	1404.	9. Mart.
	Eberhardus Comes de Kirchberg.	L. Eberhardus IV.	1404.	6.	1411.	
	Anshelmus de Memingen.	LI. Anſelmus. nec non	1411. re.	10. ſign.	1421.	
	Petrus de Schauburg.	LII. Fridericus II.	1414. re.	7. ſign.	1421.	
		LIII. Petrus Cardinal.	1421.	48.	1469.	12. Apr.
	Johañes de Werdenperg 1465.	LIIII. Joannes II.	1469.	17.	1486.	24. Febr.
	Fridericus de Zollrn 1486. electus.	LV. Fridericus III.	1486.	19.	1505.	8. Mart.
	Henricus de Liechtenavv, priùs Vicarius. *Hic deſinit Catalogus Weſſobrunenſis.*	LVI. Henricus IV.	1505.	12.	1517.	12. Apr.

Hactenus Auguſtanorum Epiſcoporum Catalogi quà veteres duo, quà recentiſſimus Corbiniani Kham, Senioris Sanct-Udalricani, viri doctiſſimi, ex quibus ea, quæ ſupra de Adelgeri ſeu Adelheri, Epiſcopi Auguſtani dubiis admodum rebus ſcripſimus, confirmantur. Verùm quisquis demum hic Adelherus extiterit, eum ante indeptam Epiſcopalem dignitatem Monachum Benedictinum fuiſſe, ſententiæ crebriùs ex Regula S. Benedicti adductæ obſcurum eſſe haud ſinunt. Sic cap. 4. Monachos *Patres ſuos* vocat. Capite 6. *verba riſum moventia* ne loquatur, admonet Nonſvindam. Capite 8. *Diſcretio eſt* Adelhero *mater virtutum.* Capite 11. *Oratio brevis eſſe debet, niſi fortè ex affectu Divinæ gratiæ protendatur.* Denique ibidem vult, *ut* Nonſvinda *in horis Regularibus ſic ſtet in Oratione, ut mens tua,* inquit, *concordet voci tuæ.* Quæ omnia totidem verbis in Regula S. Benedicti extant. Cæterùm æquè incertum eſt, quæ illa Nonſvinda, ubi, & qua ætate recluſa fuerit, ac quis Adelberus extiterit. Codices enim manu deſcripti, quos vidimus, nudum Nonſvindæ nomen retinent, nec ullo loco aliquid amplius nos docent. Horum unus in bibliotheca Tegernſeenſi habetur, chartaceus in 4. manu ſeculi XV. exaratus, in quo *incipit Admonitio Adelheri Epiſcopi ad Nonſvindam recluſam,* & *explicit Epiſtola Adelheri Epiſcopi ad Nonſvindam recluſam de laude Charitatis.* Alter Codex adſervatur in bibliotheca S. Emmerammi Ratisbonenſis, eſtque membraneus in 8. annorum quingentorum, in quo Libellus hic etiam *de Laude Charitatis* inſcribitur. Denique

que hoc ipſum perquam pium ac utile Opuſculum extitit etiam olim in Monaſterio Prunveningenſi ſeu Priflingenſi, ùt conſtat ex Catalogo Codicum hujus loci, anno 1347. compoſito, in quo bis verbis recenſetur: *item Liber de ammonitione Charitatis, & incipit: tuæ non immemor petitionis, & alia parvula in uno volumine.* Ita MSS. Codices. Ex quibus intelligis, nihil certius de Nonſvinda, quàm de Adelbero confici poſſe.

GALTHERI LIBER DE TRINITATE à col. 53.

III. Inſignem hunc Tractatum *Galtheri de Trinitate* nobis refertiſſima vateribus libris bibliotheca Sancti Petri Salisburgenſis ſuggeſſit in Codice membraneo in 4. quingentorum circiter annorum, ex quo illum etiam noſtrâ gratiâ A. R. P. Michaël Böckn, eruditus loci bibliothecarius, Placidi germanus frater, exſcripſit. De auctore nihil certi ſtatuere nobis licet, cùm magna vis doctorum hominum ſeculo Chriſti duodecimo & decimo tertio, quo circiter eum floruiſſe vix dubitari poteſt, extiterit *Gualtheri*, *Galtheri*, & *Waltheri* nomine inſignium. Vide, quæ de hoc in Obſervationibus præviis ad partem alteram primi noſtri Tomi, ubi cujusdam *Waltheri veteris Theologi Epiſtola de modo Divina prædicandi de Chriſto* edita eſt, diſſeruimus. Ut tamen vel conjecturam afferamus, videtur Galtherus auctor præſentis Tractatus de Trinitate non eſſe diſtinctus à *Gualthero de Caſtellione, Tornacenſium Canonicorum Præpoſito*, cujus *Libellos tres Dialogorum contra Judæos* Caſimirus Oudinus ex MS. Cod. Abbatiæ S. Evodii de Brana, in Veterum aliquot Galliæ & Belgii Scriptorum *Opuſculis ſacris* anno 1692. Lugduni Batavorum edidit. Nihil enim in noſtro Tractatu occurrit, quod vel ætati, vel doctrinæ, vel ſtylo, vel dignitati Gualtheri de Caſtellione repugnet. Conjecturam noſtram utcunque Codex Petrenſis confirmat, in quo Opuſculum non alio quàm hoc modo inſcribitur: *Tractatus Magiſtri Galtheri de Trinitate.* Et in fine. *explicit Tractatus de Sanctiſſima Trinitate à Magiſtro Galthero ſanè compoſitus.* Eodem ferè modo apud Oudinum: *incipit Tractatus ſive Dialogus Magiſtri Gualtheri Tornacenſis contra Judæos.* Et Johannes Saresberienſis in Epiſtolis ſuis Gualtherum de Caſtellione paſſim non niſi *Magiſtrum Gualtherum de Inſula*, & *Magiſtrum Gualtherum* vocat, ùt videre eſt apud citatum Oudinum: ut adeo Gualthero de Caſtellione ſingulari quadam ratione ac prærogativa qua ab aliis ejusdem nominis Gualtheris diſtingueretur, nomen *Magiſtri* adhæſiſſe videatur. Itaque ſi quid veritatis hæc conjectura habet, Galtheri noſtri ætas facilè poſt alios definiri poteſt, qui Gualtherum de Caſtellione anno MCCI. obiiſſe ſcribunt. Verùm quia rationum noſtrarum infirmitatem ipſi probè perſpectam habemus, rem hanc omnem in medio relinquere ſatius putamus. Porro quisquis demum noſter Galtherus fuerit, Opuſculum ſuum adverſus eos præcipuè edidiſſe videtur, qui quasdam in Deo *proprietates vel relationes*, quæ non ſint idem, quod Deus, *ſed aliæ res quàm Dei ſubſtantia*, eſſe contendebant, quos capite XI. auctoritate ac ratione refellit. Capite ſequenti *præterire noluit quorundam profanas novitates, quorum*, inquit, *ſtultitia per Dei potentiam, & ſapientiam, & bonitatem exiſtimat diſcernendas, ſoli Patri omnipotentiam, ſoli Filio ſapientiam, ſoli Spiritui Sancto bonitatem aſſignans: quod homines imperitos, & ferè totius veritatis ignaros adinveniſſe manifeſtum eſt.* Tum poſt quædam ſubdit: *tribus ergo omnipotentia, tribus ſapientia, tribus convenit benignitas. Et mirum eſt, qualiter illi inſenſati homines contra tot auctoritates in hac veritate concordantes audeant ſuos errores inducere, quibus contra veritatem fidei Catholicæ impune mentiri non ſufficit, ſed apud vulgus illiteratum nomen ſuum gloriantur per ſua figmenta diffamare, inſuper addentes, ſe ad plenum cognoſcere in unitate Divinæ ſubſtantiæ eſſe genituram Filij à Patre, & proceſſionem ab utroque Spiritus Sancti &c.* Ad ultimum concludit & inculcat Galtherus, quod & aliàs agit, *nulli tantam ineſſe debere dementiam, ut hoc Divinæ naturæ ſecretum incomprehenſibile conetur acumine ſui ingenii comprehendere, & tanquam comprehenſum præſumat aliis jactanter explanare: & econtra nullum adeo eſſe debere obſtinatum, ut ideo credere nolit, quia ad plenum non intelligit inſcrutabilia myſteria Sanctæ Trinitatis: ſed quicunque*, ait, *dubitare incipit, quia non intelligit, recurrat ad ſupra dictas auctoritates, quæ affirmant, neminem in hac vita de DEO habere perfectam notitiam, quibus inſtructus incipiat de DEO credere, quod credidit Petrus. Hujus umbra infirmos ſanavit, & alij Martyres & Confeſſores, quorum ſanctitas non ſolum in vita, ſed & poſt mortem miraculis incomparabilibus innotuit. Quòd ſi contigerit argumentis Dialecticis, quæ juxta ſolitum naturæ curſum & uſus vocum inventa ſunt, vel Judæum*

vel

vel Hæreticum impugnare veritatem Catholicam, quæ eſt de natura Divinæ ſubſtantiæ, omnia ineffabiliter tranſcendente, quamvis Catholici nequeant humana ratione refellere, tamen nihilominus in fide, quæ tantis auctoritatibus munita eſt, conſtanter permaneat, memoriter recolens, illam fidem non habere meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Hæc Galtherus, quibus in Quæſtione difficillima nihil ſalubrius præcipi potuiſſet. Cæterùm eruditum Lectorem advertimus, non niſi jam excuſa hac parte duo nos manuſcripta ejusdem Opuſculi exempla etiam in bibliotheca Mellicenſi reperiſſe, à quorum tamen utroque nomen Galtheri abeſt. Prius extat in Codice chartaceo 4. ſignato lit. Q. 4. manu ſeculi decimi quinti exarato, in quo *incipit Tractatus utilis de Trinitate Perſonarum & unitate eſſentiæ in Divinitate: credo unum Deum eſſe* &c. & *explicit Tractatus perutilis & Catholicus de beatiſſima Trinitate.* Alterum habetur in Codice chartaceo in 12. notato Lit. H. 44. in quo addit ſcriba Johannes de Wailhaim Mellicenſis, vir accuratus & doctus, auctorem hujus *perutilis & Catholici Tractatus ignorari, nec in exemplari*, ex quo eum anno 1469. exſcripſit, *fuiſſe titulum prænotatum.* Quæ ſi priùs nobis conſtitiſſent, variantes ex utroque Codice lectiones colligere non prætermiſiſſemus. Aſt nunc re non amplius integra id unum notamus, Capite VIII. poſt init. pro: *ſunt eſſentialia*, rectè nos legendum ſuſpicatos eſſe: *ſunt enuntiabilia*, quam lectionem uterque Codex Mellicenſis retinet.

IV. Placidi Nonantulani nemo antiquorum Auctorum, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt, meminit niſi ſolus Anonymus Mellicenſis in Appendice Bibliothecæ Benedictino-Maurianæ primùm à nobis evulgatus, cujus Capite 115. de Script. Eccle. hæc verba ſunt: *Placidus Cœnobij Nonantulani Prior ſcribit contra Inveſtituras & iniquam poteſtatem quarti Heinrici.* Quibus verbis ſine dubio hoc ipſum Placidi Opus, illuſtre ſanè ac egregium, quod hic ex MS. Codice Inclyti Monaſterii Gottwvicenſis ſexcentorum annorum in lucem expromimus, innuit & commonſtrat. Neque enim aliud in eo Placidus agit, quàm ut profanos magiſtratus à ſacrarum dignitatum & munerum collatione ac ordinatione quàm longiſſimè arceat, perſuadeátque, nihil ſecularibus Principibus in Domini Sanctuarium licere, quæ modeſtia & integritas ſanctiſſimis quibusque Principibus chara ſemper & ſolemnis fuit. Sed ipſum Placidum audire juvat, ex cujus oratione & occaſionem ſcripti libri, & totius ſimul Operis argumentum diſcemus. Sic autem in Prologo ſcribit: *dicebant enim quidam Eccleſia ſpiritualis eſt, & ideo nihil ei terrenarum rerum pertinet niſi locus tantum, qui conſueto nomine Eccleſia dicitur. Si quid autem terrenarum rerum deſiderant, qui ei ſerviunt, jure Eccleſiæ obtinere non poſſunt. Niſi enim nos dederimus, Epiſcopi vel Clerici nil poſſidere poſſunt exceptis his, quæ altari inferuntur, & Decimis & Primitiis: nam aliæ poſſeſſiones noſtræ ſunt. Igitur Epiſcopatus & Abbatias qui deſiderant: aut per nos obtineant, aut nequaquam noſtra poſſideant. Si verò ſolummodo Decimis & Primitiis, & oblationibus, quæ ſibi ad Altare inferuntur, contenti eſſe voluerint, eorum in voluntate pendeat: ſin autem quæ olim data ſunt Eccleſiæ, habere deſiderant, per nos obtineant. Quam rationem*, pergit Placidus, *omnes Catholici abhorrentes, utpote donis Sancti Spiritus contrariam, qui non ſolùm ſpiritualia, ſed etiam corporalia Eccleſiæ ſuæ donare dignatur, & per ſe hæc Epiſcopos habere vult, ut qui conſecratus eſt, tam parvas quam magnas poſſeſſiones, quæ Deo ſanctificatæ ſunt, in poteſtate habeat, ſe contra tantam impietatem Divinis verbis armare curarunt. Tunc etiam ego, omnium Chriſtianorum ultimus, ſententias Sanctorum Patrum colligere ſtudens, Libellum parvulum pro Honore & Defenſione ſanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ edidi, in quo priùs de Primatu S. Petri ſuper omnem Eccleſiam loquens, conſequenter quid ſit Eccleſia, & quanti pretij apud Dominum habeatur, expoſui. Deinde annectere curavi, quia non ſolùm ſpiritualibus, ſed etiam corporalibus donis Sancta Eccleſia honoranda eſt, ideoque rectè facere eos, qui ſui juris aliquid ei donantes: vice Chriſti eam honorant. Quod confirmantes probamus: quia, quod Eccleſiæ tribuitur, Chriſto utique donatur: quod autem Eccleſiæ eſt, in poteſtate Præſulum debere conſiſtere, Sanctorum Patrum dictis probantes, Paſtores ei non ab aliqua poteſtate terrena, ſed electione communi Clericorum & Laicorum decerni docuimus. Quam electionem judicio Epiſcoporum firmari oportere monſtravimus, nihilque ſanctam Eccleſiam Regibus debere, niſi tantùm tributum*

PLACIDUS NONANTUL. EPISC. DE HONORE ECCLES. à col. 74.

perſolvere. Ubi etiam annectentes de rebus Eccleſiæ non auferendis, probamus ſacrilegos eſſe, qui, quod Eccleſiæ donatum eſt, ei auſerre non timent. Ubi etiam de Inveſtitura Eccleſiarum, à quibus fieri debeat, demonſtrantes, utrum non ſui Ordinis viro aliquis Epiſcoporum eccleſias ſubdere debeat, luce clarius demonſtrare curamus. Quòd verò ſanctus Adrianus vel alii ſancti Pontifices dicuntur huic rei aſſenſum dediſſe, ſi verum eſt, quomodo intelligendum ſit, docentes, hac occaſione contra jus Divinum fieri non debere monſtravimus. Quæ omnia teſtimoniis veteris & novi Teſtamenti probantes, etiam auctoritate Canonum & Sanctorum Patrum dictis firmare curavimus. Quibus verbis exempla Sanctorum, qui pro juſtitia mori maluerunt quàm flecti, annectentes, paucis ammonere curamus, ut præſentem pro amore Dei & ejus Eccleſiæ vitam deſpicientes, mori non timeamus, certi, quia pro amore ſanctæ Eccleſiæ qui moritur, pro Chriſto utique, qui pro ea propriam animam poſuit, mori probatur. Pro eo autem, qui mortuus fuerit, in æternum vivet. Hæc autem omnia teſtimoniis, ùt diximus, tam veteris quàm novi Teſtamenti & Sanctorum Patrum dictis probantes, ubi juſtum viſum eſt, his ſacratiſſimis verbis quaſi de medio petrarum dantes vocem, etiam noſtri aliquid verbo duntaxat, non ſenſu addere ſtuduimis. Ex quo autem Doctore verba protulimus, ejus & nomen & librum deforis annotavimus. Noſtra verò, quæ nobis gratiâ divinâ collata ſunt, ex ratione eſſe ſignavimus. Hæc Placidus, quæ ideo prolixiùs excerpſimus, quod totius ejus Operis veluti conſpectum quendam Lectori & epitomen præbeant repræſenténtque. Opus ipſum in Codice Gottvvicenſi in CLXVIII. capitula diſpeſcitur, cùm tabuls ſeu index libro præfixus CLXXI. ſpondeat: nec lemmata Capitulorum in indice deſcripta cum lemmatibus Capitulorum in contextu & ſerie libri ubique conveniunt, ùt conſtat ex Capp. 2. 29. 30. 31. 32. 33. 34. usque ad 42. in quo iterum ad verbum conveniunt: quæ Capitulorum & lemmatum diverſitas à librario, non ſatis cautè libri contextum incidentis, nec indicem Operi præmiſſum diligenter conſulentis fortè profecta eſt. Res facilis exploratu eſſet, ſi Liber Placidi in bibliotheca Petrenſi adhuc extaret, ubi olim extitiſſe diſcimus ex Catalogo librorum Monaſterij S. Petri ante quingentos annos conſcripto, in quo ſic quædam volumina recenſentur: *Joſephus de Excidio Jeroſolymorum. Hilarius ſuper Pſalterium. Collationes Patrum in duobus voluminibus. Canones Magontini. Honorius de Imagine Mundi. Origenes de ſingularitate Clericorum. Cantica Canticorum. Paſſio S. Pauli Apoſtoli. Vita Ægidii, Paſſio S. Antonini M. in uno vol. Leges Longobardorum. Beda ſuper Actus Apoſtolorum. Coſmographia. Capitula Canonum Græcorum. Regula S. Benedicti. Placidus de Honore Eccleſiæ &c.* Verùm hic poſterior Codex tota bibliothecâ à nobis perquiſitus nusquam comparuit. Igitur aliud manu exaratum exemplum aliunde expectandum eſt, ut, unde hæc in Placidi Opere Capitulorum & lemmatum perturbatio exorta ſit, pernoſcatur. Jam verò ut ad ipſum Placidum revertamur, is non ſolùm Nonantulani Monaſterij Prior fuit, ut Anonymus Mellicenſis notavit, ſed etiam Epiſcopus, ùt ex capp. 82. & 83. diſcimus, tametſi nec ex Ferd. Vghelli Italia Sacra nec aliunde nobis expiſcari licuerit, quam ſedem ſua virtute & doctina, nequaquam vulgari, ornaverit. Certiora de ejus ætate, qua floruerit, vel hic ipſe de Honore Eccleſiæ liber ſuppetit. Nam Cap. 53. ita diſſertè Placidus loquitur: *ſciebant itaque Sancti Patres, quia, ſi novi aliquid emergeret, Deus, qui in cordibus electorum eſſet ſuorum, ipſe conſilium daret. Quod verum eſſe teſtatur concilium ſanctorum Patrum, moderno tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini Milleſimo ſeptuageſimo octavo in Urbe Roma ſub ſanctæ memoriæ VII. Gregorio, univerſali Papa ſecundùm antiquam & Eccleſiaſticam conſuetudinem venerabiliter celebratum &c.* Et Cap. 117. poſtquam narrâſſet, dici, Dominum Papam Paſchalem II. vi coactum, *compaſſione videlicet ſuorum fratrum & filiorum, quos malè tractari videbat*, præbuiſſe aſſenſum, *ut privilegio conceſſo hoc permiſerit, ut Epiſcopus non conſecretur, niſi à Regibus annulo & baculo inveſtiatur, & Papa non ſine permiſſu Regis Paſtorem non eligat &c.* ſubjungit & tanquam ſibi præſentem ira exhortatur Paſchalem: *non igitur ſanctus Papa hoc obſervare debet, ſed magis ſtudioſiſſimè emendare, imitans beatiſſimi Patris ſui, Apoſtoli Petri fidem, cujus vicem per gratiam DEI, in ſancta Eccleſia obtinet, qui quod timidè negavit, cum magna cordis dilectione emendare ſtuduit.* Ex quibus perſpicuum eſt, Placidum ſub Pontificatu Gregorij VII. Urbani II. & Paſchalis itidem II. ſcripſiſſe, quarum ultimus ab anno MXCIX. usque ad MCXVIII.

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ præfuit. Hæc, nec plura de Placido Nonantulano, cujus inſigne Opus deinceps viri docti Reverendiſſimo & Perilluſtri Domino Godefrido Beſſelio, Ampliſſimo & Doctiſſimo Abbati Gortvvicenſi debebunt, qui repetitis precibus & epiſtolis noſtris commotus, tandem Codicem Mellicium benignè tranſmiſit, ex quo illud, feſtinatis operis, octo circiter aut decem dierum ſpatio exſcripſimus.

HELPERICUS DE COMPUTO ECCLES. à col. 182.

V. *Helpericus, natione Teutonicus, Rabani Mauri auditor, Vir Divinarum ſcripturarum ſtudioſus & in ſecularibus nobiliter eruditus, Philoſophus, Poëta, Muſicus, Aſtronomus & Calculator, ſcripſit & multa & præclara, ut ferunt, Opuſcula. De quibus legiſſe ſe Trithemius ait de Computo Lib. I. De Muſica Lib. I. & quædam Carmina. Floruit circa annum Domini MXX. vel ut alij, MXL. vel denique ut adhuc alij MLXX. ſub Congragatione, uti Wion ait, Cluniacenſi.* Hæc Jodocus Mezlerus Lib. I. de Viris Illuſtribus S. Galli cap. 45. Ad quæ ſi addideris, quæ de Helperico memorant Mabillonius Tomo I. Analect. pag 119. & Caſimirus Oudinus in Suppl. Bellarmini de Script: Eccleſiaſticis, tantam de hujus Scriptoris ætate ſententiarum varietatem deprehendes, ut vix quidquam certi conſtituere potueris. Totius hujus certaminis & perturbationis cauſam præbet Libri de Computo caput XXIII. in quo Helpericus deſignans tempus, quo Operi ſuo ſcribendo inſudabat, annum exprimit, qui in quibusdam apographis DCCCCLXXV. in aliis DCCCCLXXX. in aliis MV. in aliis MXX. eſt. Denique Codex Zwetlenſis membraneus in 4. annorum ſexcentorum, annum MXC. habet. Qua in Controverſia quid nobis vero ſimilius videatur, in *Bibliotheca Benedictina* exponemus. Hic duntaxat Lectorem monere viſum eſt, Præfationem duplicem Helperici ad librum ſuum de Computo Eccleſiaſtico jam dudum à Mabillonio loco ſupra laudato editam fuiſſe. Earum prior ad Aſprum Abbatem vel Decanum Monaſterij S. Germani apud Autiſiodorum, cùm in Codice Zwetlenſi, ex quo Librum damus, deſideretur, nec adeò neceſſariò cum ipſo Helperici Opere conjuncta ſit, hic prætermiſſa eſt, ſine, ut confidimus, Lectorum incommodo. Ardentiùs fortè hi optabunt, ut Contextus Hilpericiani Opuſculi emendatior aliquando, quàm apud nos extet, edatur. Quod quidem ipſi libenter exſecuti eſſemus, ſi duo ſeculi duodecimi manu exarata exempla, quæ in Monaſterio Benedictoburano deteximus, ante nobis cognita fuiſſent, de quibus vide ſis, quæ ad Catalogum MSS. Codd. celeberrimi hujus Monaſterii Tomo III. part. III. inter monumenta Benedictoburana obſervavimus. Cæterùm quia in itinere noſtro Bavarico plures veteres de *Computo Eccleſiaſtico* Auctores reperimus, rem viris eruditis non ingratam nos facturos ſperamus, ſi eorum hic recenſionem dederimus. Itaque in Monaſterio Manſeenſi vidimus cujusdam *Anonymi Tractatum de Computo Eccleſiaſtico in Codice membraneo in* 8. quingentorum circiter annorum, qui ita incipit: *circa hanc artem, quæ Compotus dicitur &c.* In præfatione de auctoribus hujus ſcientiæ his verbis diſſerit: *poſtmodum autem ſuccedente tempore gratiæ inter Catholicos primus Dionyſius Abbas Romanus in hac ſcientia valuit, qui eam celeberrimè edocens: tabulam ſuper eam edidit. Poſt quem Venerabilis Beda Presbyter ad hanc facultatem multa adjecit. Deinde verò Helpericus Abbas Anglicus hanc ſcientiam ſatis ad perfectionem tractavit. Ad ultimum Gerlandus Lotoringiæ oriundus multa in hac facultate adinveniens, præfatos viros in multis erraſſe audacter aſſeruit. Cujus doctrinam omittens tum quia nimis difficultatis & obſcuritatis habebat, ſupradictos viros potiùs in hujus ſcientiæ obſervatione ſequi habemus &c.* Porro *Garlandi* ſeu *Gerlandi*, cujus meminit Anonymus, *Liber de Computo Eccleſiaſtico* conſtat trigiota quinque capitulis, habetùrque in eodem Codice Zvverlenſi, ex quo Helpericum eruimus. Titulus Operis ita habet? *Conpotus Gerlandi Bedam imitantis.* Tum ſequitur Præfatiuncula in hunc modum: *Sæpe volumina Domini Bedæ de ſcientia conputandi replicans, & in eis quædam aliter quàm traditio Doctorum præſentium oſtenderet, reperiens, Dei fretus adjutorio Dominum invocans præeſſe meo ſtudio, quæ viſa fuerunt mihi utiliſſima, inde pro captu mei ingenioli defloravi, & deflorata cum quibusdam aliunde conquiſitis in unum congeſſi &c.* Gerlandus ſub dictæ præfatiunculæ finem Helperici quidem mentionem facit, ſed eum non *Helpericum* ſed *Vlpericum* nominat. Alius eſt in eodem Zvverlenſi Codice cujusdam *Lamberti Liber* hac inſcriptione: *Ratio & brevis Expoſitio de Computo.* Titulum Libri ſequens Epiſtola cujusdam Engilſcalci excipit:

Engilſcalh humilis Archipresbyter Lamberto fideli amico ſalutem.

Humiliter & obnixè benignitatem tuæ ſollertiæ peto & flagito, frater dilecte, ut aliquid breviter atque ſuccinctè de ratione temporum, mihique neceſſarium, & ut tibi videtur, utiliſſimum ſcribere non omittas. Vale. Ad hanc Engilſcalci Epiſtolam ſic reſpondet Lambertus:

* f. vilitatis. *Juſſiſtis etiam meæ utilitatis * induſtriæ de ratione temporum per annalem curſum aliqua tranſcribere veſtræ ſapientiæ. Quapropter ne vos lateant tantæ profunditatis affamina, paratus ſum veſtris parere præceptis & ſatis facere votis. Pandam de lineis Decennovennalis Circuli ſuperiùs conſcriptis, id eſt: de annis Domini & de Indictionibus, de Epactis, Concurrentibus, de XIV. Luna Paſchæ, & de Die Dominica Reſurrectione, **

* Ita Cod. *Lunáque ipſius diei: hæc vobis & ſtudioſo cuique enucleare conabor.* Tandem incipit Opus: *Decennovennalis circulus dicitur, quia peragatur X. & IX. annorum circuitu &c.* Quis, unde, aut quo tempore hic Lambertus extiterit, ex ipſo Opere colligere non licuit. Manus quæ id exaravit, eſt circiter ſeculi duodecimi, diverſa ſcilicet ab ea, quæ Helpericum deſcripſit. In Catalogo librorum bibliothecæ Petrenſis Salisburgi, ſeculo circiter duodecimo concinnato, ita quidam libri recenſentur: *Auguſtinus ad Petrum de Fide. De Moralibus excerptis liber beatæ memoriæ Erberhardi Archiepiſcopi. Regula Baſilij Ep. Compotus Gerlandi. Quintilianus de Rhetorica. - - - - Capitula Canonum Græcorum. Libellus de aſſumptione S Johannis Evang. Liber delegationum. - - - - Hiſtoria de Apollonio Antioceno. Compotus Wicperti. Decretale Gelaſii Papæ. De S. Bonifacio libellus, quomodo Bavvariam diviſerit in quatuor Epiſcopatus &c.* Sed horum notatu digniſſimorum librorum nullus amplius in dicta bibliotheca extat. *Wicpertus*, cujus in hoc Catalogo *Compotus* laudatur, ſine dubio ille eſt, cujus proverbium quoddam in *Epiſtolis Benedictoburanis* Tom. III. part. III. intèr monumenta Benedictoburana citatur, ſed cujus ille homo fuerit, nondum reſcire licuit. In bibliotheca Monaſterij Oberaltahenſis adſervatur Codex membraneus in 4. quingentorum annorum, quo *Compotus Wierammi de Beda excerptus* comprehenditur. Incipit: *Quis primus invenit Menſes apud Latinos? Romani auctore Romulo agebant annum decem Menſibus, hoc eſt: diebus CCCIIII, Unde initium Menſium cæpit? A prima Luna uſque primam &c.* In bibliotheca Monaſterii Emmerammenſis incidit in manus noſtras Codex membraneus in 4. à quadringentis annis, in quo *Matthæi* cujusdam *Computus Eccleſiaſticus* deſcriptus erat hoc initio: *Auguſtini auctoritate freti in domo DEI quatuor dicimus eſſe neceſſaria: Grammaticam ad verba DEI intelligenda & debito modo pronuntianda &c.* In Codice MS. Canoniæ Florianenſis conſpeximus *Artem Computi Magiſtri Nigrelli*, quæ incipit: *ars doctrinalis, quæ Computus apellatur &c.* Denique in Monaſterio Mellicenſi olim extitit *Petri de Roſenhaim*, celebris anno 1419. ejusdem Cœnobij Prioris *Compotus*, ùt certum eſt ex *Regiſtris* librorum hujus loci, quorum unum codice chartaceo in 4. ſignato Litt. R. 27. alterum Codice itidem chartaceo in 8. notato Litt. H. 38. continetur. Sed cùm Stephanus Burckhardus in ſuo ejusdem Monaſterii librorum Catalogo, anno 1517. facto, hujus Opuſculi non amplius meminerit, id ſine dubio intra annum 1483. quo priora duo Regiſtra collecta ſunt, & 1517. interiit. Sed de his ſatis.

GERHOHI LIBER DE ÆDIFICIO DEI. à col. 225.

VI. Recepimus in Obſervationibus præviis ad Tomi Primi partem alteram, in qua Gerhobi Librum *de Gloria & Honore Filij Hominis*, *& Libellum de duabus Hæreſibus* &c. edidimus, nos etiam plura alia præclara Magni hujus Viri litteraria monumenta in publicum elaturos. Nunc incipimus datam fidem liberare, prolatis in lucem luculentis Ejusdem duobus Operibus, quorum prius *de Ædificio Dei*, alterum *Epiſtola* ſeu *Dialogus de Differentia Clerici Regularis & Secularis inſcribitur.* In utroque proferendo, cùm utrobique quædam acriùs vehementiusque reprehendi videremus, quàm delicatiores noſtrorum temporùm aures & oculi perferant. Verùm cùm honorificentiſſima Romanorum Pontificum & ſanctiſſimorum Epiſcoporum de Gerhohi Scriptis judicia, maximam doctrinæ ac ſanctitatis opinionem, qua illuſtris & doctiſſimis viris chariſſimus auctor ſua ætate floruit, ac denique communem illam eruditiſſimorum noſtri temporis hominum, quam vulgo indeptus eſt, æſtimationem apud animum noſtrum exputaremus, ſine piaculo & atroci crimine non videbamur nos poſſe tanti Eccleſiæ Luminis ſcripta ſupprimere, tineíſque ac blattis devoranda relinquere. Porro non eduntur (id enim in Germania ſcribentes ſatis incul-

inculcare non poſſumus) vetera hujusmodi monumenta eo animo, ut noſtri temporis doctrinam diſciplinamve Eccleſiaſticam infrunitis hominibus deridendam præbeamus, ſed ut viris doctis conſtare poſſit, quæ antiquorum Sciptorum de quibusdam Quæſtionibus, nulla communi adhuc ac publica auctoritate diremptis ac definitis ſententia fuerit, quibus argumentis partes uſæ ſint, quibus gradibus & paſſibus res ad certum ſtatum pervenerint, quæ cauſæ rigorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ aut intendendi aut non nihil remittendi extiterint &c. quæ omnia quàm ad perfectam rerum Eccleſieſticarum cognitionem ſcitu neceſſaria ſint, viri ſolidè docti nôrunt, quos propterea nec acerbitas orationis, nec vehementiores in Cleri vitia declamationes, nec imbecillitas ratiocinationum (hi enim nævi veterum ſcriptis ſubinde adhæreſcunt) ab antiquorum monumentorum publicatione abſterrere poſſunt. Quantus inſurgit in corruptos Nobilium mores Chryſoſtomus? Quid reprehenſione dignum in Sacerdotibus diſſimulat Hieronymus? Et, ut ſingularem Gerhohi amicum nominemus, quis Sancto Bernardo Monachorum, imò Epiſcoporum ac Pontificum vitia narrat apertiùs, pungit acriùs, caſtigat ſeverius? Nemo tamen hactenus tantùm à recta ratione deſcivit, ut tantorum Eccleſiæ Ornamentorum lucubrationes in vulgus unquam fuiſſe editas indignè tulerit. Quid igitur cauſæ ſit, cur unius Gerbohi Opuſcula, his humani ingenii nævis reſperſa, ſed cæterùm utiliſſima & elegantiſſima, æterna nocte damnentur? Quid affert Gerhohus, quod apud plures alios veteres Doctores, quorum ſcripta edita proſtant, non reperias? Contractis *Paparum Decretalibus* rem ſæpius agit & conficit? Eadem tela & arma fuerunt infinitorum aliorum Scriptorum per ſeptem ferè ſecula, nec noſtro ævo deſunt, quos ea fraus & impoſtura Peccatoris Iſidori, Decretales illas epiſtolas primis Romanis Pontificibus ſupponentis, lateat. *Vitam* Clericorum *communem* nimiùm urget eorúmque *proprium* plus æquo inſectatur execraturque? Idem apud coætaneos Gerhoho auctores alios reperire eſt. Ita innumeri ſanctiſſimi ea ætate Epiſcopi ſenſerunt, quorum ſtudio *vitæ communis* inſtitutum in majores etiam, ac Cathedralis Eccleſias introductum fuit. Lautiores Eccleſiaſticorum Præſulum menſas, veſtium luxum, militum pompam & conſuetudinem acerbè traducit? Nihil eo frequentius apud alios legas, qui inclinantem Eccleſiaſticam diſciplinam ad Apoſtolicam veterem inſtitutionem exigi & reſtitui volebant. Denique quibus adeo inviſa & acerba ſunt Gerbohi ſcripta, eos obſecramus & obteſtamur, ut ſaltem aliquid dent fervido piiſſimi viri ingenio, dent immenſo divini cultus amplificandi ſtudio, dent ſeculi, quo floruit, libertati, etiam à ſanctiſſimis viris uſurpatæ, poſtremò dent Romanorum Pontificum de Gerhohi ſcriptis judicio, à quo nemo privatus receſſerit niſi ſuperbus, arrogans, aut malignus. Ne autem Romanæ ſedis auctoritatem Gerhobi ſcriptis falſò cuiquam videamur obtendere, juvat hoc loco integram Eugenij IV. Epiſtolam inſerere, qua Gerhohi *Librum de corrupto Eccleſiæ ſtatu*, DEUS bone quàm acerbè, quàm inflammatè, quàm aſperè conſcriptum collaudavit comprobavítque. Eam paſſim Gerhohus ſuis lucubrationibus interſerit, utiturque ceu ſcuto, quo ſe ſuaque ſcripta ab adverſariorum impetu tegit & contuetur. Ea verò Epiſtola hujusmodi eſt:

Eugenius Epiſcopus, Servus ſervorum DEI, dilecto filio G. Reicherſpergenſi Præpoſito, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Scripta devotionis tuæ benignè recepimus, & fervorem tuæ religionis ex eorum inſpectione manifeſtè cognovimus. Concaluit cor tuum intra te, & in meditatione tua exardeſcit ignis: ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque, quod contra peſſimas novitates, commotiones quoque, quæ contra Eccleſiam Dei oriuntur, te Zelo charitatis exardeſcere cognovei imus, paterno affectu gaudemus, & devotionem tuam in Domino collaudamus. Verùm quia bonum eſt incipere, ſed multò melius conſummare, dilectionem tuam in Domino commonemus, ut in bono propoſito firmiter perſeveres: quia nos perſonam tuam, tanquam litteratum & religioſum virum paterna charitate diligimus, & in quibus ſecundùm Deum poſſumus, honorare & manutenere volumus. Data Sutrij XVII. Kal. Junij. Hactenus Eugenij IV. epiſtola, quæ ſine dubio erudiriſſimo & modeſtiſſimo Stephano Baluzio incitamentum præbuit, integrum Gerhohi Librum de corrupto Eccleſiæ ſtatu, utùt acerbum & vehementem in libro V. Miſcellaneorum Pariſiis anno MDCC. 8. publicandi. Sed his pro Gerhohi lucubrationibus præmiſſis, quæ non ſolùm non orioſè ſed etiam neceſſariò dicta, temporum noſtrorum gnari probè ſciunt, jam ad recenſenda

Gerhohi

Gerhobi monumenta, in hunc Tomum illata veniamus. Primum eſt egregius & ampliſſimus *Liber de Ædificio Dei*, in quo eleganter admodum & ſubtiliter oſtendit, quid quemque in Eccleſia ſtatum deceat dedeceatve. Eum *rogatu & juſſu Chunonis* Epiſcopi Ratisbonenſis ſcribere aggreſſus eſt, ùt ipſe Gerhohus initio Prologi teſtatur. Cúmque non nulla lucubratione ſuæ inſeruiſſet, quæ lecta quibusdam hominibus, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem & regulam parùm factis diſplicerent, coactus eſt Opus ad incudem revocare, omnésque partes graviſſimis ſanctorum Patrum & Conciliorum auctoritatibus ita communire, ut Gerbohus reijci non poſſet, quin Patres & Concilia, omnibus ſancta, reijcerentur. Rem ipſe Gerhobus in Epiſtola ad fratrem, Operi præfixa, his verbis exponit: *apponite igitur ex latere, vel etiam dictamini noſtro inſerite Sanctorum auctoritates, ut Ædificio noſtro ſint munimentum, & ciſterna noſtræ ſint operimentum: ne per noſtri occaſionem aliquo in præceps ruente, nos patiamur detrimentum: ſicut penè antehac nobis accidit, quando exiit ſermo inter fratres Clauſtrorum barbatos, quòd ab ædificio iſto, de quo hìc agitur, excluſerimus illos, cùm videlicet minimè attenderent, ſe in numero pœnitentium comprehenſos æquè ùt Monachos, niſi fortè vivant ita diſſolutè, ut non ſervent leges pœnitentiæ. Offenſi ſunt etiam quidam litterati Clauſtrales tam Monachi quàm Canonici Regulares pro eo, quòd publicatis Patrum ſcriptis de quartandis* (ſic enim legendum, non: quadrandis) *Decimis & oblationibus ipſi viderentur argui transgreſſionis, eò quòd nec decimæ nec oblationes quartantur in communiter viventium clauſtris. Harum & ſimilium anteactarum offenſionum non immemores, & de futuris cavere volentes, quædam decerpendo, quædam addendo, dictamen noſtrum caſtigatius facimus. Auctoritates verò Patrum, quibus nec addi nec decerpi quidquam licuit, partim textui ſermonis noſtri competenter inſeruimus, partim in latere appoſuimus. Quibus diligenter inſpectis nos immunes fore credimus & coram Deo excuſabiles, etiamſi aliquos de his, quibus ipſe Chriſtus eſt lapis offenſionis & petra ſcandali, continget in dictis noſtris offendi & ſcandalizari.* Hæc Gerbohus ad fratrem, quem Cl. & Eruditiſſimus P. Carolus Meicbelbeck Benedictoburani Monaſterij: (ex cujus etiam Codice ab annis ferè trecentis in membraneis exarato, Librum Gerhobi, noſtro rogatu, Ven. P. Leopoldus Wydemanns eruit;) Archiviarius non alium eſſe quàm Arnonem, Gerhohi in Præfectura Reicherſpergenſi ſucceſſorem exiſtimat, de quo vide Chronicon Reichersperg. ad ann. MCLXXX. & Hundium in Metropoli Salisb. Tom. III. pag. 245. Dum ante aliquot annos MSS. codices Canoniæ Florianenſis in ſuperiore Auſtria, favente Reverendiſſimo & Perilluſtri D. Præpoſito Franciſco Claudio Kröll, Præſule humaniſſimo luſtraremus, incidit in manus noſtras Codex membraneus in 4. quadringentorum circiter annorum, quo *Tractatus* quidam *apologeticus* continebatur, auctore *Arnone Canonico Regulari*, qui Arno fortè ab Arnone Præpoſito Reichersperg. Gerhobi fratre diverſus non eſt. Opuſculum id ejusmodi ſit, ex initio diſces: *ſubſequens opuſculum, quod Scutum Canonicorum dicitur, occaſione cujusdam contentionis confeci ego Fr. Arno Canonici Ordinis exile mancipium, Monachis videlicet quibusdam loca noſtra occupantibus, & fratres noſtros profeſſos, quaſi obtentu majoris religionis ſibi allicientibus &c.* Integrum inſigne opuſculum libenter hìc edidiſſemus, ſi quod ejus apographum nanciſci potuiſſemus. Sed mortuo Reverendiſſimo Claudio ſine fructu fuerunt litteræ, quas plus ſimplici vice eapropter ad laudatam Canoniam dedimus. Sed hæc dicta ſint obiter & occaſione Arnonis, cui Gerbobus Librum de Ædificio Dei, primum videlicet ingenii ſui partum, commodâſſe videtur.

GERHOHI DIALOGUS DE DIFFERENTIA CLERIC. SÆC. & REG. &c. à col. 439.

VII. Alterum hoc eſt, ſingulare prorſus ac Divini honoris ſtudio perſplendens Gerhohi ſcriptum, quod iſto ſecundo volumine non ſine omni metu evulgamus. Itaque prudentem & moderatum lectorem, ſi quod aliud, hoc profectò vetus monumentum requirit, in quo Gerhohus de diſcrimine, quod inter Canonicos ſeculares & regulares intercedit, ita diſputat, ut in illorum opiniones & mores paſſim acerbiſſimè invehatur, exiſtimétque *irregulares Canonicos, niſi convertantur, ſalvari non poſſe*, quæ ipſa verba Gerhohi ſunt col. 479. ubi etiam addit, ea Gualtherio Archiepiſcopo Ravennati, ſanctæ ac venerabilis vitæ Præſuli, cùm Ratisponæ in Domini Papæ legatione eſſet, vera fuiſſe judicata. Imò in Epiſtola ſeu Prologo ad Innocentium II. apertè ſcribit, idem Honorium II. Papam præſente Norberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi ſenſiſſe. *Jam quidem*, inquit Gerhohus col. 441. *quod lex præcipit, feci, pergens ad locum, quem Dominus Deus elegit, ut ibi invocetur nomen*

men ejus, Romanam videlicet ſedem in legatione Domini mei Epiſcopi Conradi Salzburgenſis, acceſſique ad Sacerdotem, qui erat in diebus illis, beatæ recordationis, Papam Honorium, & contuli verbum cum eo, quod prædico inter Clericos adhuc ſæculares, ne fortè in vacuum currerem aut cucurriſſem. Erat autem occaſio hujus verbi, quia fratres meos uterinos de talium cœtu exire dictis & ſcriptis incitavi, diſtinguens inter bonum ſemen Apoſtolicæ vitæ, quod in Clero Chriſtus voluit ac diſpoſuit fructificare, atque inter ſecularium Clericorum Zizania ab homine inimico ſuperſeminata. Hujusmodi à me dicta, licet quibusdam fuerint moleſta, ſanctæ tamen recordationis viro Papæ Honorio fuerant accepta. Quæ non ideo hìc lectoribus inculcamus, ut idem de hodierno ſecularium Canonicorum ſtatu judicium ferant, utpote qui ſtatus à Pontificibus Maximis & Epiſcoporum Synodis poſtea approbatus & ſanctiſſimis canonibus munitus fuerit: ſed ideo duntaxat, ut eosdem lectores non nihil amplius Gerhoho conciliemus, qui tantæ auctoritatis & ſanctimoniæ viros ſuæ doctrinæ, ùtut aſperæ, collaudatores habuerit. Cæterùm ex hoc Gerhohi Dialogo adeò multa præclara & ſingularia diſcimus, ut is ſine gravi Reipublicæ Litterariæ detrimento ſupprimi non poſſit. In Specimen quædam delibemus. Columna 453. ait Gerhohus quosdam *perversè ac mendosè imponere ſancto Vdalrico, quòd ad Papam Nicolaum ſcripſerit pro defendendis Presbyterorum & reliquorum miniſtrorum DEI conjugiis, ne continentia eſſet occaſio fornicationis. Quod falſiſſimum*, inquit, *inde convincitur, quod tempore ſuo nullus Apoſtolicæ Sedi præfuit, cui Nicolaus nomen fuerit. Huic ergo viro ſancto conſimiles, in ſe ſanctè viventes, & aliorum inordinatam vitam non tenentes, imò pro poſſe ſaltem Apoſtolicis exemplis deſtruentes vocari poſſunt florentes, utpote deſiderium floridum habentes ab inordinatè viventibus diſſolvi, & cum Chriſto eſſe in Apoſtolica & ſancta converſatione, quod ſanctum Vdalricum legimus deſideraſſe, qui dimiſſo Epiſcopatu cupivit inter Monachos vitam Apoſtolicam, quia tunc temporis in Clero vix potuit invenire illam.* Ita Gerhohus auctor graviſſimus illius temporis, quo à concubinariis Clericis bellula illa epiſtola de conjugiis Clericorum ſub ſanctiſſimi Auguſtani Epiſcopi nomine maximè circumferebatur. Interim Jo. Gottfridus Olearius Bibliothecæ Scriptorum Eccle. Tom. II. ita ſcribit: *Vdalricus Auguſtanus Epiſcopus, Comes cæteroquin Dillingenſis circa annum Domini 930. vigens relatu Grynæi Præf. ad Orthodoxogr. Veter. Patr. Extat ibidem T. I. Lat. Patr. f. 481. & apud Calixtum Tract. de Conjugio Clericorum, Append. f. 1. ejus Epiſtola de Conjugio Sacerdotum ad Nicolaum I. P. R. ſcripta, qua contendit, conjugium ex æquo omnibus adeoque & Sacerdotibus conceſſum, nec illis vel jure vel prætextu poſſe prohiberi. Epitomen illius Epiſtolæ vide apud Schopffium Academ. Jeſu Chriſti Claſſ. 9. f. 143. Confer. Heilbrunneri Papatum Acatholicum f. 656. & Calixtum de Conjugio Clericorum pag. 502. & Lydium, notis ad Clemang. fol. 25. Bellarminus aliique complices, ejus non meminerunt, fortè quia non ad Rhombum.* At enim non ideo Bellarminus aliique Catholici Bibliothecarij epiſtolæ Vdalricanæ, quam etiam in Codice Vdalrici Babenbergenſis extare, in ejusdem Conſpectu publicè ſignificavimus, non meminerunt: ſed quia confictam & caſtiſſimo Præſuli à concubinariis ſuppoſitam eſſe certiſſimum habuerunt. Nec aliud cenſuiſſet ipſe Olearius, vir eruditus, ſi vel epiſtolæ inſcriptionem cum Gerhoho expendiſſet, cujus etiam cæterà auctoritas nulli non erudito major erit, quàm omnium recentiorum hominum, quos pro ſe congerit & adducit Olearius. Columna 491. & ſequenti multa de Manegoldo, Decano Raitenbuchenſi, ejúsque libro pro Gregorio VII. in vulgus emiſſo ſcribit Gerhohus, ejusdem Monaſterij Canonicus. *Lege*, inquit, *librum à noſtri clauſtri quondam Decano Manegoldo contra ſeptimi Gregorij laceratores compoſitum, & invenies in eo fortiſſimis auctoritatibus probatum, quod & nos probare contendimus: quia videlicet fornicantes & inſuper interdicta officia uſurpantes Clerici Nicolaitæ ſunt & hæretici non ſolùm cum Nicolao, ſed etiam cum Hebione ac Paulo Samoſateno. Talibus enim ex rationibus excuſavit ſeptimum Gregorium, à noſtræ terræ Clericis ob hoc laceratum, quòd fornicantibus altaris miniſtris interdixit non ſolùm officium ſed etiam Eccleſiæ introitum.* Cúmque adverſarius objeciſſet Gerhobo *Manegoldi importunitatem & mortem*, communémque opinionem, quæ putabatur, *Manegoldi librum, licèt in defenſione ſeptimi Gregorij fuerit compoſitus, tamen ab ipſo non fuiſſe approbatum*, reſpondet Gerhohus, nec ſe librum illum *habere pro auctoritate, licèt eum* ſciat *Catholicis etiam Epiſcopis placuiſſe;*

cuiſſe, qui propter Wigbertinum ſchiſma expulſi tunc temporis frequentabant clauſtrum Raitenbuchenſe. Sed ad hoc, inquit Gerhobus, *tibi reſpondeo, quòd me credis diſſonum à fratrum meorum regulari collegio, cùm fratres mei probabiliores, illius Manegoldi, quondam illic Decani, ſint laudatores, habeántque ſcripta illius quaſi reſponſa cæleſtis oraculi, quibus in Wigbertino ſchiſmate non nulli fuerunt ad Catholicam unitatem confortati, quibus & ſeculares contra Eccleſiam diſputatores aliquantulum tunc fuerunt confutati. Unde ſemper ex tunc in Raitenbuchenſi clauſtro à prudentioribus fratribus, tanquam adhuc vivat, ſic auditur ille Decanus, qui licèt defunctus, adhuc loquitur, & adhuc in ſcriptis ſuis fornicantium Sacrificia deteſtatur &c.* Ibidem laudat Gerbohus cujusdam Anonymi Raitenbuchenſis *Epiſtolam*, & quendam *Chunradum de Silva*, itidem Canonicum Raitenbuchenſem, quem *in ſententia veritatis jam ſenuiſſe* ſcribit. Cæterùm ad Manegoldi librum, quod attinet, ſuſpicati ſumus in Itineri noſtro Bavarico, Præfationi in primum volumen inſerto, eum non eſſe diverſum à *Manegaldi Opuſculo contra Wolffelmum Colonienſem* ab Eruditiſſimo Muratorio Tom. IV. Anecdotor. Ambroſ. edito. Verùm vel ſola relata ex Gerhohi Dialogo verba contrarium evincunt. Cùm enim ex his conſtet, Manegoldum Raitenbuchenſem Decanum ſuperſtite adhuc Gregorio VII. ſcripſiſſe, nec minùs ex Opuſculi Manegaldiani apud Muratorium capite ultimo certum ſit, id non niſi Gregorio ad ſuperos jam tranſlato edi potuiſſe, qua ratione utraque lucubratio eadem ſit? Itaque non ſolùm hi duo inter ſe libri, ſed ipſi etiam *Manegaldi* ſeu *Manegoldi* accuratè inter ſe diſtinguendi ſunt. Si enim unus idemque Manegoldus utriusque Operis auctor extitiſſet: in eo, quod contra Wolffelmum poſt annum MLXXX. publicavit, ac in quo ſpem cujusdam adverſus calumnias Wenerici pro Gregorio VII. ſcriptionis fecit, vivente adhuc Gregorio, aliud opus pro ejusdem tuenda dignitate condidiſſe ſe nequaquam diſſimulâſſet. Maneat itaque firmum ac certum, non minùs Manegoldum Decanum Reittenbuchenſem à Manegaldo Muratorij eſſe diverſum, etſi coætaneum, quàm librum illius pro Gregorio VII. ab hujus opuſculo contra Wolffelmum & contra Epiſtolam Wenerici eſſe diſtinctum. Denique Manegaldus Muratorij idem omnino nobis eſſe videtur, atque Manegoldus ab Anonymo Mellicenſi de Script. Eccle. c. 105. his verbis celebratus: *Manegoldus Presbyter modernorum Magiſter Magiſtrorum, ſtrenuus aſſertor veritatis fuit, à qua nec promiſſis nec minis ſchiſmatici regis flecti potuit. Quin imò in diſſenſione illa, quæ inter Gregorium VII. & Heinricum IV. exorta fuit, pro tuenda juſtitia laboravit usque ad vincula. Extat ad eum ſcripta quædam exhortatoria Ivonis Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola. Hic textum Iſaiæ Prophetæ paginalibus clauſulis diſtinxit: ſuper Matthæum verò Gloſſas continuas ſcribit. Scribit quoque ſuper Pſalterium opus præſtantiſſimum ſuper topazium & aurum obrizum prætioſum.* Hæc Anonymus Mellicenſis, Scriptor iis temporibus propinquus. Sed ad Gerhobi Dialogum redeamus. Columna 497. ſcribit Præpoſitus Reicherſpergenſis, Conradum I. Archiepiſcopum Salzburgenſem, *Domino cooperante omnes penè Parochiæ ſuæ Congregationes feciſſe Regulares*, deploràtque *in ſuffraganeis illi ſubjectis, quarum una ſit Eccleſia Ratiſponenſis, adhuc regnare filium ancillæ, & quod nequius ſit, perſequi filium liberæ.* Inſignis demum & elegans locus colum. 493. & ſeq. extat, ubi in laxiores Scholaſticorum, ùt paſſim alibi, doctrinas ita invehitur: *ſatis ſcio Magiſtros quosdam in ſcholis circa hæc occupari, ut Scripturas ad ſuum ſenſum inflectant potiùs, quàm ſe ad rectitudinem Scripturæ dirigant. Qui cùm omnia terribilia dicunt ad terrorem dicta, miro modo terrorem conantur evacuare, affirmantes, ipſis terribilibus nihil ſeriæ veritatis ineſſe, nimirum ſerpentis more, qui in Paradiſo terribilia DEI dicta fruſtra conatus eſt caſſare. Hoc illi rotundo ore buccis inflatis crepant, ut ſuam ſcientiam inflantem oſtendant, vitámque diſſolutam in ſe ſuíque ſimilibus defendant. At illi, qui magnificentiam ſanctitatis DEI loquuntur, & mirabilia ejus narrant, ipſi etiam virtutem terribilium ejus dicent, nec aliis memoriam abundantiæ ſuavitatis eructabunt, niſi de quorum juſtitia exultare poterunt, & qui virtutem terribilium non ſurdis auribus audiunt.* Subdit deinde Gerhohus, quid ſibi evenerit, dum rationem ſtatus & vitæ ſuæ apud quendam Eremitam redderet, qui locus cùm hiſtoriam converſionis hujus magni viri contineat, ab omnibus legi commeretur. Nos enim modum præfationis omnem excederemus, ſi omnia notatu digna ex hoc Dialogo, quem ex coævo membraneo Codice Inclyti Monaſterij Rotenſis ad Oenum eruimus, excerpere vellemus.

VIII. Quis

IDUNGI COENOBITÆ EMMERAM. LIBER IV. QUÆSTIONUM &c. à col. 507.

VIII. Quis Idungus, cujus elegantem ac gravem *librum IV. Quæſtionum ſtatum Clericorum, Monachorum & Virginum Sanctimonialium ſpectantium* Lectori hic ſiſtimus, extiterit, affirmatè pronuntiare non audemus. Quia tamen in ſola bibliotheca Emmerammenſi hoc Opuſculum, nemini adhuc memoratum, reperimus, ſuſpicamur ſaltem, ejus auctorem ejuſdem Celeberrimi Monaſterij Cœnobitam fuiſſe. Librum ille ſuum *Magiſtro Herbordo illuſtri viro* inſcribit, quem non alium ab Herbordo, Scholaſtico Babenbergenſi eſſe exiſtimamus, qui teſte Andrea Babenbergenſi *vitam S. Ottonis in libello quodam, dramatico carmine vel etiam proſa luculentiſſimè perſudavit*, quique, ùt ſupra in elogio Irimberti Abbatis Admontenſis vidimus, eundem Irimbertum juſſu Eberhardi Epiſcopi Babenbergenſis anno MCLX. ad Monaſterium S. Michaëlis Babenbergam deduxit. Porro argumentum hujus Opuſculi nequaquam vulgare aut proletarium eſt. Nam Capite I. (ea diviſio noſtra eſt) ſtultum quorundam ſui temporis errorem confutat, affirmantium, Clericum poſt ſuſceptum Monaſticum propoſitum non eſſe Clericum, propterea quod, ſicut ſolus conſenſus facit conjugium, & ſicut forma illa ſola, quam Chriſtus docuit in Evangelio facit Baptiſmi Sacramentum: ſic ſola voluntas, qua careat Monachus, Clericum faciat. Verùm *error iſte*, inquit Idungus, *quantus ſit, & ipſius vocabuli ſignificatio prodit, & ipſi gradus Clericales Clericatum nequaquam excedentes manifeſtant, in quibus per ordinationem conſtituti & Monachi Deo ſerviunt. Per ordinationem dixi & dico: quia ordinatio facit Clericum, non ſola voluntas, ſicut dogmatizat quorundam falſa & fallens ſubtilitas.* Tum probat, ſententiam illam: *ſola voluntas facit Clericum*, eodem modo accipiendam eſſe, quò illam Hieronymi: *non veſtis tenera facit Clericum aut Sacerdotem, ſed caſta mentis intentio*, id eſt: *caſta mentis intentio facit Clericatu dignum: bonæ voluntatis meritum facit illum, qui ordinandus eſt, Clericatus honore dignum. Si enim ſimpliciter*, ait, *ſicut littera ſonat*, Hieronymi *ſententia* intelligatur, *per litteralem intellectum ſtultus finis incurritur, quod tali monſtratur ratione: ſi caſta mentis intentio facit Clericum, ſequitur, qui caſtam mentis non habet intentionem, non eſt Clericus. Si non eſt Clericus, non eſt Presbyter. Si non eſt Presbyter, non poteſt Chriſti corpus conficere. Qui ergo non eſt caſtus, non conficit Chriſti corpus*: quæ *hæreſis tempore Chunonis Epiſcopi ſatis ventilata & ſatis confutata* eſt. Jam verò Clericum, qui Monachum induerit, Clericatus honore digniorem fieri, Idungus Cap. II. ex Hieronymo, & Capite III. hac ratione oſtendit: *Clericus, quando fit Monachus, majoris humilitatis, majoris obedientiæ, majoris abſtinentiæ propoſitum ſuſcipit, quæ magis ſunt facientia quàm deſtruentia Clericum, cùm Hieronymus dicat*: Monachum vel Clericum ſolitudo facit, non publicum. *Et quia ſic profeſſus jam nec carnibus nec balneis, nec variis & griſeis pellibus, nec cæteris rebus utitur, quibus voluptuoſi corpori ſuo ſerviunt, quis ſanæ mentis dicat, eum idcirco Clericatum ſuum amittere, cùm iſtarum rerum uſum nec Monaſtica nec Clericalis religio requirat &c.* Ibidem & capitibus IV. & V. vehementer Idungus in luxum veſtium, quo ſui temporis Clerici diffluebant, invehitur, narràtque *illud mirabile*, ùt loquitur, *& memorabile reſponſum Magiſtri Anſelmi Laudunenſis, qui commonitus à fratribus ſuis, ut quendam diſcipulum ſuum luxuriantis veſtis nimia ſuperfluitate notabilem argueret, reſpondit: & ego unde haberem præconem, qui per vicos & plateas ipſum præcederet clamando: ecce lectator! idipſum præconatur.* Capite VI. Ad tertiam Opuſculi ſui partem ſeu Quæſtionem accedit Idungus, quæ in eo verſatur: *num ſanctimoniales fœminæ & Monachi, cùm unam habeant S. Benedicti Regulam, etiam unam debeant habere clauſuræ cuſtodiam?* Ad quod reſpondet, *quòd ſexus fœmineus cùm ſit fragilis, majorem cuſtodiam & arctiorem requirat*, id quod etiam capite ſequente quà ratione qua auctoritate latè demonſtrat, diſſolvítque Sanctimonialium argumentum, quo ex Regula, quam profeſſæ erant, progreſſum in publicum tueri ac evincere conabantur. Verba Idungi ſunt: *Illa clauſuræ cuſtodia, quæ ex Regula S. Benedicti habetur, illi, quæ Sponſæ Chriſti debetur, impar & inferior eſt. Non enim ſanctus Benedictus ſcripſit regulam illam ſacris Virginibus, ſed Monachis tantùm, in qua conceditur Monacho in viam dirigi pro aliquo reſponſo, in nundinis vendere & emere, quæ neceſſitas & utilitas Monaſterij poſtulat, quod nulla ratione convenire & nimis indignum eſſe, & terreni regis, nedum cœleſtis regis ſponſæ nemo dubitat. Sunt & alia multa in eadem Regula illi ſexui incongrua, per quæ conſtat ſolis Monachis ſcriptam eſſe, cùm nulla ibi virginum fiat memoria. Nunquid ille, qui Spiritu*

omnium juſtorum plenus fuit, ùt teſtatur Dialogus Gregorij, ſi illis Regulam ſcripſiſſet, contra ſanctorum Patrum dicta & exempla & contra ſui ipſius exemplum pernitioſa illi ſexui licentia publicum aſpectum indulſiſſet, cùm ipſe ſanctam Scholaſticam germanam ſuam Sanctimonialem fœminam tantùm ſemel in anno viſitaverit? Nullam vero Regulam ſacris virginibus ſcripſit, nec ſcribere neceſſe fuit: quia Virginum Monaſteria illis temporibus tantùm ſub Abbatum regimine cuſtodiebantur. Et conſultè: non enim expedit illi ſexui proprij regiminis uti libertate tum propter ejus naturalem mutabilitatem, tum propter tentationes extrinſecus advenientes, quibus muliebris infirmitas non ſufficit reſiſtere &c. Capite VIII. reſpondet ad maximi momenti Quæſtionem: ſi liceat Monacho vocem prædicationis habere in Eccleſia? Erant enim, ùt ibidem refert Idungus, nonnulli Clericorum, qui in Clericatu ſuo gloriantes & Monaſtico Ordini derogantes dicerent, contra rationem & auctoritatem eſſe, ut Monachus, qui ſeculo mortuus eſt, in medio Eccleſiæ aperiat os ſuum ad prædicandum: in quam rem lepidum ſanè factum quorumdam Clericorum, quod in Synodo Ratisbonenſi ſub Hartwico Epiſcopo, eo nomine Primo evenerit, ibidem ſubjungit Idungus. Huic, inquit, ſententiæ nimis aſſentientes villarum Presbyteri tempore piæ memoriæ Hartvvici Epiſcopi in quadam Synodo ſua, quam vocant Capitulum, non paſſi ſunt ſuo conventui aliquem intereſſe Monachum. Nam quidam Presbyter accuſatus, dum videret ibi quendam Monachum, compresbyterorum ſuorum conſilio, miſerum quærens ſubterfugium, per patronum cauſæ ſuæ reſpondit non ad objecta, ſed iſtud, cauſam Clerici præſente mortuo homine minimè debere ventilari. Quo audito accidit miraculum. Mortuus ille ſurrexit & exivit de conventu. Poſtea verò tranſacto triennio, Hartvvico Epiſcopo ſucceſſit Epiſcopus Chuno Monachus, ſecundùm illos mortuus homo, quo audiente & judicante omnes eorum cauſæ tractabantur. Cæterùm ad diſſolvendum Clericorum argumentum, à Monachorum morte petitum, diſtinguit Idungus quatuor genera mortium, ex quibus ultimum ad rem maximè facit. Quarta, inquit, (mors) dupliciter intelligitur hoc modo: mortuus ſeculo, id eſt: ſecularibus negotiis, non tamen ab Eccleſiaſticis, qua morte mortuus eſſe debet & Clericus & Monachus, quia ſunt milites Chriſti, non gregarii, ſed hæreditarij, de quibus dicit Apoſtolus: nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſecularibus. Hinc eſt, quod Canones omnia ſecularia negotia Clericis interdicunt præter curam pupillorum, ſi fortè neceſſitas hoc exegerit. Secundo modo intelligitur mortuus ſeculo, id eſt: ſeparatus ab hominibus, vita ſolitaria ſolus ſoli DEO vivens, quod eſt ſecundum genus Monachorum: quæ duo genera ſic diſtinguit Iſidorus Etymologiarum dicens: Heremitæ imitantur Heliam & Johannem: Cœnobitæ imitantur Apoſtolos. Et infra: Monachus alius Cœnobita, alius Eremita, id eſt: Anachoreta, qui ſecundùm Etymologiam nominis propriè Monachus dicitur. Monos enim Græcè, Latinè unus, ſive ſolus, interpretatur: inde Monachus, id eſt: Solitarius, & Monaſterium unius ſolius habitaculum. Cœnobita verò à Græco Cœnon, quod eſt commune, communiter vivens interpretatur, & Cœnobium communiter viventium habitaculum: & tam Cœnobitis quàm Eremitis commune eſt hoc nomen Monachus cum diverſa ſignificatione. Nam in Eremitis ſignificat unam ſolam perſonam ſingulariter viventem: in Cœnobitis unum animum multorum illos imitantium, de quibus ſcriptum eſt: erat autem omnium credentium cor unum & anima una &c. Vel poteſt dicere, cui æquivocatio non placet, quòd Cœnobitæ & Eremitæ non æquivocentur ſub hoc nomine Monachus, ſed utrobique ſignificetur unitas diverſo modo: in Eremitis unitas perſonæ: in Cœnobitis unitas animorum. Hanc fratrum communiter habitantium unitatem artifex ejus Spiritus ſanctus tanquam excellens donum ſuum in tempus gratiæ reſervavit, & primitias naſcentis Eccleſiæ inflammatas à ſe ſtatim initiando hujus unitatis diſciplina per charitatem magiſtram informavit. Cujus diſciplinæ excellentiam idem artifex Spiritus Sanctus, ut ampliùs commendaret, per Regem Prophetam in veteri Teſtamento dulci deſcriptione prophetando deſcripſit, & deſcribendo prophetavit dicens: ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum! Huic tam jucundo bono & tam bonæ jucunditati contradicunt propriæ & privatæ domus Canonicorum, qui cùm habeant & habere debeant ſecundùm Regulam ſuam commune refectorium & commune dormitorium, & cæteras officinas communes, propriæ & privatæ manſiones ad quid ſint neceſſariæ, non video, niſi ut illud jucundum bonum, quod eſt, habitare fratres in unum, interrumpatur, & diabolo

detur

detur locus, cujus loci opportunitate efficaciùs poſſit perſuadere etiam illa, quæ hìc ſub ſilentio ſunt prætereunda. His ita præmiſſis Idungus in hunc modum controverſiam definit Cap. IX. Cœnobitam ſive Eremitam alium Clericum, alium Laicum, id eſt: non Clericum eſſe. Illum eſſe Clericum, qui in aliquo gradu Clericali per ordinationem ſit conſtitutus: illum eſſe laicum, qui nullum ordinem Clericalem habeat, quem conſuetudo vocet *Converſum:* & hunc eſſe illum *Monachum*, cui S. Hieronymus ſcripſerit, & in cujus perſona dixerit: *mihi ante Presbyterum ſedere non licet*, cùm ipſe, qui iſthæc dixit, eſſet Presbyter, & ille, cui dixit, nec Acolythus: nec Hieronymum de alio Monacho, quàm de *non Clerico* ſermonem habuiſſe, dum dixit, *Monachum non habere officium docentis ſed lugentis.* Sedem quoque Apoſtolicam hujusmodi Monacho, qui tantum eſſet Monachus, & *non Clericus*, Officium prædicationis utiliter interdixiſſe, *quia laicorum Monachorum plurimi illo tempore erant Anthropomorphitæ, & errabant in ſide Corporis Chriſti, quod conficitur in altari.* Denique cùm Clerici, quando ordinantur, officio altaris & prædicationis inveſtiantur, cur eodem jure Monachi excludantur, qui *per omnia eodem modo, quo Clerici, ordinantur, & quidquid in ordinatione ab Epiſcopo ordinatore accipit Clericus*, prorſus *illud idem accipiat & Monachus?* Porro ad id, quod Clerici Monachis obiiciebant, ſolos Presbyteros, quibus cura animarum commiſſa eſt, debere habere decimas, non Monachos, quibus nulla ratione liceat regere Parochias, acutè ac nervosè reſpondet Idungus Cap. X. *ſi Monachis liceat regere magnas Parochias*, puta Epiſcopatus, iis multò amplius licere regere *parvas, cùm hoc Monaſticæ humilitati magis conveniat.* In fine auctor Herbordum ad amplectendam quàm primùm vitam Monaſticam hortatur, cùm *con verſionis dilatione nihil amentius* ſit, neſciatùrque, *qua hora fur veniat, ut domum perfodiat:* id quod ipſum probet *duorum ejus fratrum proximè defunctorum mors improviſa, & inopinatus terrenusque finis. Fuge ergo*, inclamat Idungus, *fuge illud commercium, quod omnem ſuperat inſaniam, ſcilicet miſerrimum concambium, quod faciunt voluptatis amatores, qui pro temporali & breviſſima falſáque lætitia, vera & æterna perdunt gaudia.* An piis Idungi cohortationibus faciles aures præbuerit, seque vera Monaſticum Ordinem adoptàrit Herbordus, nobis omnino incompertum eſt. Librum Idungi ex membraneo & coævo Codice Inclyti Monaſterij Emmerammenſis eruit ac prelo paravit R. P. Andreas Gartner, ſodalis noſter longè cariſſimus.

ANONYMI DIALOGUS DE ESU VOLATILIUM à col. 543.

IX. Cùm ſanctiſſimus Legiſlator noſter Regulæ ſuæ Capite XXXIX. certum quendam, qui à Monachis ſuis perpetuò in cibo & potu ſervaretur, modum, & eduliorum genera vellet deſcribere, his poſt quædam verbis eſt uſus: *Carnium verò quadrupedum omnino ob omnibus abſtineatur comeſtio, præter omnino debiles & ægrotos.* Quæ Beati Benedicti ſententia incredibile eſt, quantam à primis ferè Ordinis ſui ſeculis uſque ad ætatem noſtram Opinionum diverſitatem generaverit, aliis exiſtimantibus, eo Regulari decreto carnium ſolummodo *quadrupedum*, non itidem bipedum & *volatilium* eſu Monachis interdici: aliis contra affirmantibus, omnium univerſè carnium comeſtionem ea Monachis lege prohiberi. Rationes partium qui noſſe deſiderant, adeant ampliſſimum P. Edmundi Martene Commentarium in Regulam S. Benedicti, ubi ad Caput XXXIX. ea de re cumulatè diſputat, & ſingula defenſorum eſûs volatilium dicta recenſet. Omnia eò recidunt: S. Benedictum non ſine cauſa & ratione loco citato carnes *quadrupedum* expreſſiſſe, non quorumcunque animalium: itaque veſcentem volatilibus S. Benedicto nequaquam adverſari. Idem Monachis in Concilio Aquisgranenſi Ludovico Pio Imperatore indultam fuiſſe. Generalem Cœnobitarum conſuetudinem & Prælatorum diſpenſationem ejusmodi aucupium licitum feciſſe. Denique *liquidum eſſe tam piſces quam volucres ex aquis procreatos habere corpora ejusdem naturæ, nec tantam vim humanis corporibus ad laſciviendum carnes volatilium miniſtrare, quantam carnes terreſtrium animantium, quæ cum noſtris corporibus ejusdem naturæ ſint*, ùt ratiocinatur Petrus Abaëlardus Expoſit. in Hexam. apud Martenum in Theſauro Novo Anecdotorum Tom. V. col. 1388. Has omnes aliásque plures ratiunculas validè refellit Auctor hujus Dialogi, demonſtràtque nullum *ſanum & valentem Cœnobitam aut volatilibus veſci, aut ſagina uti, quin Regulæ S. Benedicti prævaricator exiſtat.* Quod ſi cui noſtri temporis Cœnobitæ diſplicuerit, eaque propter is parum prudenter à nobis factum cenſuerit, quòd ejusmodi libellos protulerimus, in quibus receptiſſimi ætatis noſtræ mores & vulgatiſſimæ conſuetudines reprehendantur:

is cogitet, nos memini legem, ad quam vitam exigat, præſcribere, ſed oſtendere tantummodo, qui ſancti DEI homines de hujusmodi rebus exiſtimaverint, voluiſſe. Superiorum erit expendere veterum dicta & momenta, quotidiéque amplius conari, ut ea Regula, cui & ipſi & Monachi ſunt ſubjecti, non ſecundùm laxas recentiorum interpretationes, ſed ſecundùm ſcita majorum & doctrina ſanctitatéque celeberrimorum hominum uſum conſuetudinémque ſervetur. Ad hæc ſemperne ad ollas carnium ſedebimus o boni? Semperne ſurdis veluti auribus adeo perſpicua, & ſalubria ſanctiſſimi Patris noſtri decreta de abiiciendis carnibus præteribimus? Nullane ſpes ſuperſit, in tanta neceſſariarum commodarumque rerum copia veterem triciſſimamque carnibus abſtinendi conſuetudinem recuperandi? Liceat nobis hoc loco verbis Venerabilis Petri, quanti viri! uti Lib. 6. Epiſt. 15. *Hujus Capituli* (XXXIX. Regulæ S. Benedicti) *prævaricatio qua ratione excuſabitur? Qua cauſa ſoſpes & integris viribus Monachus carnibus utens reus non eſſe monſtrabitur? Dic, quaſo, ſi quid habes, &* [ſi] *aliqua vera vel veriſimilis ratio eſt, carnis tibi, ſi potes vindica. Non habes, non habes, inquam, ut æſtimo, quid dicas: non habes planè, unde perjurii nævum, ne dicam, noxam expurges: obviat Regula, contradicit juſtitia.* Hæc ſanctiſſimus Abbas Cluniacenſis. Plura in hanc rem alio loco proferemus. Interim vel ſolus hic Dialogus, quem nunc publici juris facimus, viris accuratioris Regularis obſervantiæ ſtudioſis ad imitanda præclara veterum exempla ſat ſtimuli addet. Eum ex Codicibus MSS. bibliothecæ Gemnicenſis & Mellicenſis trecentorum annorum damus. Alius inſignis membraneus Codex, ducentis circiter annis antiquior extat in bibliotheca Gottvvicenſi, cum quo tamen ob triſte incendium, quo totum Monaſterium conflagravit, & communem inde rerum perturbationem, noſtram editionem conferre non licuit. Porro quis elegantis Opuſculi auctor fuerit, divinare nondum potuimus. Suſpicati ſumus aliquamdiu Honorium Auguſtodunenſem eſſe, ut cui familiare fuerit, argumentum ſcriptionis dialogo exponere, in quo interroget *Diſcipulus*, *Magiſter* reſpondeat. Annueret etiam ætas hominis. Nam cùm ſub finem Operis Gregorii VII., nullo autem loco Innocentii III. Honorii III. aut Gregorii IX. quorum de eſu carnium conſtitutiones, auctori noſtro perquam commodæ accidiſſent meminerit: vix dubitari poteſt, cum ſeculo circiter duodecimo floruiſſe. Verùm quia nec Honorius ipſe Libro IV. de Luminaribus Eccleſiæ inter ſua opuſcula hunc Dialogum recenſet, nec ullus Codex nomen Honorii præfert, rejecta ea opinatione rem incertam relinquere ſatius viſum fuit.

JOHANNIS DE SPIRA TRACT. DE ESU CARNIUM &c. col. 569.

X. Etſi trecentorum ferè annorum intervallum inter præcedentis Dialogi Auctorem & Johannem de Spira interceſſit, ob ſimilitudinem tamen argumenti utrumque hoc loco conjungere viſum eſt, id quod & aliàs jam à nobis factum, & deinceps, majori lectoris commodo, ſæpius faciendum erit. Cæterùm quia Johannes de Spira, cujus nunc *Tractatum de eſu carnium Monachorum infirmorum* luce publica donamus, nullius in Republica Litteraria nominis hactenus fuit, licèt illuſtria admodum de ea merita illius extiterint: Viri docti nobis nulli vitio vertent, ſi in ejus ennarrandis rebus & ſcriptis non nihil diffuſiores & accuratiores fuerimus, collatis in hunc locum omnibus, quæcunque nobis Mellicenſis bibliothecæ Codices, ab ipſo Johanne de Spira aut ejus coætaneis perſcripti, reliqua fecerunt.

Johannes cognomento *de Spira* natus eſt Freinsheimii in Palatinatu Inferiori vergente ad finem ſeculo decimo quarto, ùt conſtat ex Codice Mellicenſi L. 44. in cujus ultima pagina manu Johannes de Weilhaim, Prioris Mellicenſis, hæc notata conſpicimus: *Johannes Wiſhler de Freinsheim anno Domini* 1383. *in nocte ſcilicet, feſto Paſchæ natus fui primogenitus matris meæ. Hæc Pater Johannes de Spira. Ego autem natus ſum primogenitus matris meæ anno* 1403. *circa feſtum S. Udalrici.* Unde autem Johanni cognomentum *Spirenſis* vel *de Spira* acceſſerit, hactenus nullibi reperimus. Vero ſimile tamen eſt, à longiori mora, quam parentibus Spiram fortè translatis, in ea urbe Johannes traxit, vel à Sacerdotio aliquo, quod ibidem ante vitæ Monaſticæ amplexum obtinuerit, *Spirenſem* cognominatum fuiſſe. Ingenio cùm excellenti ac ſubtiliſſimo eſſet, adoleſcentiam ac juventutem omnem inter litterarum ſtudia traduxit non ſine cumulatiſſimis fructibus. Eum in Academia Heidelbergenſi Philoſophiæ Sacris Canonibus ac Theologiæ operam dediſſe, plures Codices Heidelbergæ ab ipſo exarati teſtantur. Inter hos inſignis eſt chartaceus in 4. notatus Litt. Q. 26. in quo inſunt I. *Nicolai de Javver in Studio Heidelbergenſi Vice-*

can-

cancellarii & Doctoris S. Theologiæ Tractatus de Superſtitionibus, qui incipit: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus* &c. II. *Quæſtiones de Superſtitione determinatæ per Mag. Johannem de Franckfordia Sacræ Paginæ Baccalarium in Studio Heidelbergenſi in Diſputatione de Quolibet anno Domini* 1406. Incip. *quæritur, utrum poteſtas coërcendi dæmones fieri poſſit per characteres, figuras, aut verborum prolationes?* &c. *Et arguitur, quod ſic: quia legitur* &c. III. Ejusdem *Determinatio Quæſtionis: utrum, ſicut ad erudiendos pueros in ſcientiis liberalibus certus modus eos inſtruendi eſt retinendus: ita ad applicandum eosdem aliis facultatibus ſit ipſorum complexionalis vigor attendendus?* IV. *Magiſtri Gerhardi Brant, Profeſſoris Heidelbergenſis* 1404. *Determinatio Quæſtionis: utrum, ſicut inter complexiones corporis humani eſt aliqua complexio aliis complexionibus melior & aptior ad ſpeculandum: ita ſit aliqua regio aptior ad philoſophandum.* Porro Ejusdem Gerhardi *Sermo* habitus in Concilio Conſtantienſi die SS. Petri & Pauli extat in alio Codice Mellicenſi, ſignato A. 5. Inc. *Principes Apoſtolorum* &c. V. *Magiſtri Nicolai Meydenblick Opuſculum de inſtinctibus, ex dictis Anglicorum de inſtinctibus ſcribentium excerptum.* Inc. *circa materiam de inſtinctibus eſt primò notandum, quod juxta communem modum loquendi* &c. VI. *Eximii Doctoris, Magiſtri Conradi Soltavv Quæſtiones Theologicæ ac dubia, quæ movebat in Lectionibus ſuis.* Inc. *utrum uſura ſecundùm ſe ſit illicita* &c. Quæ in eum finem retulimus, ut ex quibus Magiſtris Johannes noſter in Academia Heidelbergenſi profecerit, palam eſſet. Decurſo Academicorum ſtudiorum ſtadio ad Ordinem Clericalem ſe contulit, ac Presbyter factus, pro more illorum temporum venationi pinguium Beneficiorum vacavit: quam rem Monachus dein factus vehementer deploravit, inter cætera ſic ad fratrem ſcribens, & ſuo exemplo ut ſapiat, obteſtans: *quis ſcit, ſi contingat vos non tantùm relinquere veſtræ ſalutis profectum, ſed etiam tandem eo fruſtrari, quod ſperatis? Quod tamen ſi obtinebitis, vigilanter vobis proſpiciendum eſt, ne ita impingatis, ut etiam, cùm velletis, pedem difficulter poſſetis extrahere, & cùm externas multiplicaveritis divitias corporis, rodente conſcientia interiùs perveniatis ad inopiam mentis, ùt ego, & perdatis pacem cordis cunctis Mundi opibus præferendam. Quod enim & quanta ſint pericula etiam latentia in beneficia Eccleſiaſtica adipiſcendo, officiando, & fructus eorum percipiendo, nemo pleniùs novit, niſi quem mente oculatum experientia hoc edocuit* &c. Et tàndem epiſtolam ita concludit: *Incipite ergo quantocyus fructuosè operari pro veſtra perpetua ſalute, dum tempus habetis, ne, quod abſit, tunc primum incipiatis velle, cùm perficere non inveniatis. Si imitari velletis pœnitentem, cui erranti ſucceſſiſtis, & ad hoc meum auxilium vel conſilium poſtularetis, non ſolùm prompto ſed & læto animo occurrerem.* Atque ex his abunde intelligimus, quæ Beneficia Eccleſiaſtica deſerendi & ad vitam Monaſticam convolandi cauſa Johanni extiterit, nempe innumera ſalutis pericula, in quæ ſpes lucrorum & quæſtuum non ſolùm homines ſeculo addictos, ſed etiam Sacerdotes præcipitat. Igitur anno 1418. relicta patria & domo ſua in Auſtriam ad Monaſterium Mellicenſe, quod reformatæ Monaſticæ diſciplinæ fama omnem latè Germaniam implebat, profectus, ibidem ſanctioris vitæ tyrocinium auſpicatus eſt, ac mox ſequente anno ſolemnia vota DEO nuncupavit, Venerabili Nicolao de Mazen Abbate, & Petro de Roſenheim Priore. Catalogus Monachorum Mellicenſium ſub Nicolao Abbate: *Johannes de Freinsheim Spirenſis Diœceſis, ex Pesbytero ſeculari incorporatum ſe gaudet.* Codex MS. ſignatus Litt. H. 106: *Frater Johannes de Spira profeſſus eſt* 1419. *in die Nativitatis S. Mariæ.* Cæterùm dici non poteſt, quàm ſtrenuum ſe in obeundis Monaſticæ vitæ muniis Johannes præbuerit. Nec id adeò magnum mirum, cùm omnia in ſuo Monaſterio nil ferè niſi ſanctimoniam & exactiſſimam Benedictinæ Regulæ obſervantiam ſpirarent, faterenturque palam adventantes, vix ullum in Germania Cœnobium extare, ubi ſalus animarum ſolicitiùs ac ſanctius, quàm Mellicii procuraretur. Nihil glorioſiùs ſcribimus. Ipſe Johannes in epiſtola ad quendam Decanum, quem ad Monaſticæ vitæ cultum invitat, locuples teſtis eſt. Sic autem ſcribit: *verùm quia ſcripſiſtis: utinam eſſem in aliqua propinquitate, ut poſſem ſemel viſitare locum & ſtatum veſtrum & nudè dicere miſerias meas ſpirituales & corporales, & ſperarem, quòd non deberet eſſe ſine fructu &c. tranſmitto vobis copiam præſentibus incluſam, ut in ea videatis, quòd ſtatus noſter propter ipſius novitatem non eſt adhuc ad plenum ordinatus, ut fortè*

cre-

creditis, qualiter tamen Domino largiente quantocyus ordinabitur. In qua etiam copia circa finem reperietis unum punctum de duabus viis, inde ad noſtrum Monaſterium ducentibus, concurrentibus tamen in Ratiſpona. Qui quidem punctus benè rimatus debet meritò propellere, ut puto, tentationem, quam de difficultate ad nos perveniendi habetis. Et ut vobis fortius incitamentum ad eundem & videndum ſtatum noſtrum, quem ſcire deſideratis, facere valeam, ſignifico vobis pro exemplo, quòd quidam venerabilis Doctor Theologiæ de Baſilea Ordinis Prædicatorum percipiens novitatem reformationis hìc factæ, nec non Patrem noſtrum huic Monaſterio in Abbatem præfectum eſſe, ob quandam familiaritatis notitiam, quam olim cum eòdem Patre noſtro contraxerat, à Baſilea huc perrexit, & videns ac conſiderans obſervantiam noſtram inde plurimùm ædificatus & compunctus eſt dicens: jam primò experimentaliter cognoſco, quid eſt obedientia & quid religio. Et nobiſcum aliquamdiu moratus eſt, & aliquot Sermones hìc fecit: Nunc autem ad patriam ſuam regreſſus eſt petiturus licentiam à ſuperioribus ſuis, quatenus liceat ſibi ad nos remeare & hìc nobiſcum permanere, quò ad vivat. Teſtatur namque ſe hodie alium locum neſcire, in quo animam ſuam ejus judicio meliùs poſſit ſalvare quàm hìc. Quem etiam Dominus noſter Abbas ita vult acceptare, in finem, ut nobis ſermocinetur tempore hoc expoſcente. Et ſpero, quòd bonum fructum facturus ſit, ſi reveneriт, cùm ſit homo dulcis, benignus, devotus, &, ut mihi apparet, profundæ humilitatis. Si ergo hunc venerandum virum, cùm necdum aliquod propoſitum ſeu cogitatio ei ineſſet nobiſcum manendi, non piguit à Baſilea huc proficiſci; puto, quòd nec vobis multum oneroſum ſeu tædioſum eſſe debeat, ut exurgatis & eatis per minus ſpatium, ac videatis, ſecundùm quod vobis divinitus, ut credo, inſpiratum eſt. Hæc ipſe Johannes. Qui dum ita virtutem coleret, ſtudia litterarum nequaquam negligebat, ſed omne otium, quòd à Divino cultu & Regularium munerum functione ſupererat, vel aliorum inſtitutioni, vel lectioni, vel ſcriptioni dabat. In libris genere Theologico maximè delectabatur, nec lectione Sancti Bernardi, Thomæ Aquinatis, Joannis Gerſonis, plurimorùmque aliorum ejuſdem commatis Auctorum ſatiari poterat. Cùmque manu admodum eleganti & perpolita uteretur, in exſcribendis & multiplicandis veterum lucubrationibus indefeſſus erat: Cujus luculentum teſtimonium eſt ingens Codicum multitudo, quos ſua ipſe manu exaravit. Id namque, dum Regularis diſciplina in iſto Monaſterio inſtauraretur, utiliter multaque cum laude inſtitutum eſt, ut ad antiquorum exemplum Cœnobitæ certas horas veterum librorum exſcriptioni tribuerent, ne occaſio eis eſſet, neglecto agrorum cultu, otio, quo nihil pejus, marcendi & diffluendi. Qua in arte Johannis de Spira, Johannis de Weylhaim, Johannis de Carniolia, Antonii de Catalonia, Martini de Senging, Wolfgangi Friſchmanni de Emerſtorff, Chriſtophori Lieb de Yſni aliorùmque plurium induſtria incredibilis extitit. Senè iis temporibus tribuendum eſt, quòd nunc Bibliotheca Mellicenſis multitudine manuſcriptorum librorum Monaſticas omnes totius fortè Germaniæ ſuperet. Sed ad Johannem de Spira redeundum eſt. Is cùm brevi tempore tantos in pietatis & litterarum ſtudio progreſſus feciſſet, omnibus dignus viſus eſt, qui formandis Clauſtrarium Tyronum moribus præficeretur, id quod munus ea ætate non niſi à viro doctrina juxta & virtute præſtante rectè adminiſtrari poterat, cùm, qui nomen Monaſticæ vitæ darent, viri plerumque jam eſſent, annis provectiores, inſuperque Academicis honoribus ornati. Nec id Johannes ipſe diſſimulat in præſtantiſſimis ſuis, quas vocat, *Lectionibus de Caſtitate*, ad Novitios habitis, in quarum Tertia ita dicit: *Primò volo movere Quæſtionem unam propter quosdam Fratres acutos, quos, laus DEO, inter nos habemus, qui acumine intellectus ſui cæteris latiùs diſcurrunt, & cuncta pleniſſimè ſcire ſatagunt. Quibus ſi ea, quæ dicturus ſum, ſatisfactum non fuerit, non tamen erit eis inutile, ut reor, ea audiviſſe, quia ad minus pandetur illis via citiùs aut pleniùs inveniendi ipſam veritatem &c.* Inter hæc non ultima cura Johannis erat, laicis etiam Fratribus bonos ac utiles, qui in lingua vernacula vehementer deſiderabantur, libros diſpiciendi. Itaque tum ſua tum lectiora aliorum opuſcula in Germanicam linguam transferebat, aliiſque ut idem agerent, diſciplinæ ac exemplo erat. Specimen laborum Johannis præbeat Codex O. 2. in quo præter alia extat Tractatus *Fratris Davidis de Auguſta de exterioris hominis compoſitione*,

ab

ab eodem in Germanicum, commodo Fratrum Laicorum, converſum. In prima pagina hæc legas: Das püehl nuzer vnterweiſung hat gemacht ein andächtiger Münichleicher Prieſter den Lay Prüedern in dem Chlaſter zu Melch/ da mann tzält nach Chriſti Gepurd tawſent vierhundert vnd in tzway vnd tzwaintzigiſten Jar &c. Pagina tertia ipſe Johannes ita ad Lectores ſuos præfatur: Das püehl iſt gemacht vnſern Laien Prüedern zw einer vnterweiſung ettleicher nutzer ler. Jr chainer ſchol glauben/ das in dem Püehl vnſer Regel ler in allen Stukchen/ die Jn angehören/ pegrifften ſein. Sunder wer der Regel nicht waiß/ der lazz ſich unterweiſen in den Stukchen/ die Jm zw gehören. Wer aber der Ler nicht pedarfft/ der laid ſych ainem anderem &c. Nec intra Monaſterii Mellicenſis limites Johannis ſtudium Divini honoris amplificandi ſe continuit, ſed quà datis litteris quà ſuo adventu, quoſcunque poterat, ad ſectanda primorum Patrum veſtigia incitabat. Itaque juſſu Leonardi Abbatis Mellicenſis, ab introducta reformatione ſecundi, à Ven. Patre Johanne de Suevia, itineris & laborum ſocio adjutus, ad Monaſterium Lambacenſe, ſanctiori diſciplina imbuendum profectus eſt anno Domini 1429. qui Chronographum Mellicenſem, P. Anſelmum Schrambium, anno 1720. die 20. Decemb. Mellicii apoplexia extinctum, latuit. Sed eum diſcimus ex epiſtola Johannis Abbatis Lambacenſis, quam conſiliis noſtri Johannis inductus eo anno ad Leonardum Epiſcopum Patavienſem dedit. Eam ex Codice G. 2. una cum Leonardi reſponſo hic exhibere juvat.

Domino Leonhardo, Epiſcopo Patavienſi reverentiam debitam & condignam cum humili recommendatione.

Reverende in Chriſto Pater ac Domine gratioſe. Ut vita regularis, quam in noſtro Monaſterio noviter reformati incepimus, plenius introduci valeat, atque perſeveranter ſtabiliri, numerum Feſtorum XII. ac III. Lectionum, hic hactenus conſuetorum obſervari, quæ per prædeceſſores meos nimis multiplicata ſunt, minorari oportebit, nec non alia quædam in Officiis Chori mutari, & in melius ordinari. Quæ ut non auctoritate propria, ſed veſtra Paternitas mihi piè annuere ac indulgere velit, quatenus mihi ita liceat dicta Feſta, quantum ad eorum numerum minuere, mutanda mutare, & rationabiliùs ordinare, prout expedire videbitur. De quibus ſingulis, ut ex parte mei veſtram Reverendam Paternitatem plenè informet, commiſi honorabili Domino Michaëli Vicario Eccleſiæ in Swans, familiari meo, præſentium latori, cui in exponendis dignetur Reverenda Paternitas veſtra velut mihi adhibere, plenam [fidem.] Dignetur etiam mihi ac omnibus fratribus meis tam Novitiis quàm Profeſſis Monaſterii Lambacenſis hanc facere gratiam, ut cujuslibet noſtrûm Confeſſor auctoritate veſtra Epiſcopali eum abſolvere poſſit à culpa retroacta in omni caſu, eidem veſtræ auctoritati quomodolibet reſervato de conſuetudine vel de jure, ſignanter ille me, quem ego mihi elegero, & ego & fratres meos prædictos, & etiam quilibet alter una mecum, quem ego ipſis aut eorum alicui in Confeſſionem præfecero, quodque eadem gratia nobis duret per totum annum præſentem. Dat. ſecunda die Octob. anno &c. XXIX.

Fr. Johannes Abbas Monaſterii Lambacenſis.

Superſcriptio: Reverendo in Chriſto Patri Domino Leonhardo, Epiſcopo Eccleſiæ Patavienſis, Domino meo gratioſo.

Leonhardus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Patavienſis Venerabili in Chriſto dilecto Johanni Abbati Monaſterii Lambacenſis, Ord. S. Ben. noſtræ Diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam.

Paſtoralis Officii noſtri debitum, cui licèt immeriti præſidemus, expoſcit, ut in Monaſteriis nobis ſubjectis diſciplinam vitæ Regularis debitè obſervetur. Quia igitur officium Chori hactenus in Monaſterio Lambacenſi ſolitum frequentari per prædeceſſores

tuos aſſeris adeo variatum, & ſui prolixitate aggravatum, ut cum regulari obſervantia, quam cum tuis Fratribus noviter incepiſti, difficillimè poſſet ſervari, ac ideo oportere, ut illud rationabiliùs moderetur & ordinetur, de induſtria & devotione tuis, nec non illorum quatuor Monachorum, qui tibi ad reformandum dictum tuum Monaſterium coadjutores & directores de Monaſteriis Mellicenſi & Scotorum Wienenſi, præfati tui Ordinis, miſſi & adjuncti ſunt, plenè confidentes, tibi, ut de conſenſu eorum, aut ſanioris eorum partis in memorato tuo Monaſterio officium Chori habeas minuere & rationabiliùs ordinare, nec non cætera, quæ regularis tui Ordinis fuerint diſciplinæ, auctoritate noſtra valeas reducere ad modum in dictis Monaſteriis Mellicenſi & Scotorum conſuetum ſervari, prout tibi & illis melius videbitur expedire, tenore præſentium concedimus, & liberam in Domino harum ſerie damus facultatem. Dat. Wiennæ XVI. die menſis Novemb. anno Domini MCCCCXXIX.

Hactenus Epiſtolæ Johannis Abbatis Lambacenſis & Leonhardi Pataviensis Epiſcopi, ex quibus, Monaſterium Lambacenſe à Johanne de Spira anno 1429. ad meliorem frugem reductum fuiſſe, ſatis apertè conſtat. Quàm autem prudenter, candidè ac ſanctè eo in negotio actum ſit à Johanne, ex ejus *Interrogationibus* & præceptionibus, Johanni Abbati factis, & à laudato P. Schrambio in Chronico Mellicenſi pag 359. publicatis quiſque intelliget. At nos ſatis mirari non poſſumus, tantas vires Viro Monaſticis laboribus, & graviſſimis morbis confracto ſuppetiiſſe, ut ſe in media, quæ in reformandis Monaſteriis undique cooriuntur, certamina immittere auderet. Namque ad ejus valetudinem quod attinet, ea iſthoc tempore perquam afflicta fuit, neque melior evaſit ante, quàm ſpiritus detritum infinitis malis corpus deſeruit. Quæ verò diuturnæ infirmitatis ejus ratio & origo fuerit, accipimus ex Codice G. 9. ubi manu ipſius Johannis deſcripta extat *Informatio Magiſtri Marci de Cottnis Bohemi, Doctoris in Medicinis practici expertiſſimi, actu Phyſici Illuſtriſſimi Principis Domini Sigiſmundi Regis Romanorum & Ungariæ, quam ego*, inquit Johannes *ei ſcriptam tradidi de mea infirmitate, quam patior, & de proceſſu ejus usque nunc. Quæ quidem infirmitas à Medicis* Labor ſpontaneus *dicitur*, & eſt à *fluore materiæ frigidæ, & à vulgaribus vocatur* **daß kalde lauffende Vergicht**: *& eſt paſſio multum timoroſa plusquam alia illi quodammodo ſimilis, quæ à calida materia cauſatur, & diſponit hominem ad apoplexiam vel alias deteriores paſſiones, ſicut dictus doctor ajebat, ſi non tempore opportuno ſuccurratur patienti per medicinas, quibus vel curetur, vel à pejoribus præſervetur. Duravit autem mihi dicta paſſio à feſto S. Nicolai Epiſcopi præcedentis anni præteriti usque nunc, id eſt: ad diem Feſti S. Bartholomæi Apoſtoli anni MCCCCXXVIII. quando incepi uti medicinis infra ſcriptis, quas docuit me præfatus Magiſter Marcus &c.* Quoniam verò hæc *Informatio* nonnulla continet, quæ veteres Monaſterii Mellicenſis, recenter reformati, conſuetudines aliàque ab hoc loco minimè aliena explicent, viſum fuit ea excerpta, retentis tamen Johannis verbis, hic reddere. Itaque inter cæteras mali ſui cauſas & has recenſet, quòd *hieme proxima quaſi tota usque ad Feſtum S. Nicolai, quo incepit frigus aſperrimum, & in ipſo eodem magno frigore ſederit in loco frigido à mane usque ad meridiem, donec ivit ad menſam, & ſtatim finita menſa usque ad finem Completorii, cùm erat tempus eundi dormitum, & correxerit Tertiam Summam* * *S. Thomæ de Aquino ex duobus libris incorrectis, cujus libri materia cùm ei eſſet difficilis ad intelligendum propter incorrectionem exemplarium, ſæpe graviter laboravit occupando & fatigando caput ultra, quàm commodè potuit. Et quia toto hiemis tempore exceptis diebus Dominicis ex Regula noſtra inſtitutum & indictum eſt cotidianum jejunium, cottidie jejunavit cum dicto labore, una vice duntaxat ſumens cibum. Et cùm venit ad menſam, nimis famelicus fuit, & frequenter ſumpſit cibum & potum usque ad ſaturitatem appetitus immoderati, nec ex poſt aliud exercitium habuit, quo natura adjuvanda erat ad digerendum & expellendum ſibi ſuperflua, niſi præfatam correcturam, quæ forte eam plus impediebat quàm promovebat. Et quia cibi regulares erant humidi, viſcoſi, inde putavit congregatam in ſe fuiſſe materiam phlegmatis in ſtomacho & in viſceribus, unde forte cauſata fuit materia fluoris, qui eum tunc invaſit.* Præterea *in diebus jejuniorum tempore ſerotino hora collationis, qua Monachi ſolebant bibere ſine comeſtione, frequenter bibit quaſi tantum, ac ſi feciſſet cœnam.*

* ita autograph.

cœnam. Et hoc etiam putat fuiſſe cauſam ſuæ prædictæ paſſionis. Adhæc *tempore dicti aſperrimi frigoris quaſi cottidie legit Miſſam, infra quas Miſſas infrigidatus fuit toto corpore nimis & præſertim in parte capitis ſuperiori. Et quia habuit à juventute caput valde rheumaticum, & in Divino Officio ſolebant facere multas diſcoopertiones capitum, propter quas in tempore frigoris nimium infrigidantur capita. Et hoc etiam putat eſſe unam concauſam ſuæ infirmitatis. Tantum enim rheuma capitis habuit à multis annis ſtillans quaſi continuè ſuper epiglotum, quod in legendo collectam aut lectionem non potuerit uno ſpiritu proferre unam orationem aliquantulum longam, quin oportebat illam interrumpere, ut glutiret rheuma ſtillans de capite ad guttur.* Poſtremò *fuit adeo infrigidatus duobus diebus continuis, quòd in noctibus eorundem dierum quaſi nihil dormire poterat præ nimio frigore. Nihilominus tamen in eiſdem duabus noctibus ſurrexit ad Matutinum qualibet vice XII. Lectionum, in quibus ſuperinfrigidabatur ultra quam natura tolerare poterat &c.* Subdit deinde Johannes triſtes adeò malarum cauſarum effectus, inter quos fuit admodum pertinax quidam ſtupor dextri brachii, frigore conſtricti, quod *dum ad fornacem ſupercalefactivam tenuiſſet per horam vel diutius, calorem æſtuantis fornacis non ſenſit. Et poſt illam calefactionem cœpit habere punctiones acutiſſimas, ac ſi quis ei introrſus cultellum acutum verteret huc & illuc, & carnes & nervos conſcinderet, vel ac ſi unus lupus infixiſſet dentes vel Leo ungulas. Et fuerunt eædem punctiones quaſi continuæ, ut neque die aut nocte potuiſſet dormire usque in quartum diem niſi fortè breviſſimo tempore. Ex poſt habuit ſitim acutiſſimam, eum nimium affligentem, durantem usque modo ultra dimidium annum. Cui dum in hieme cupiebat ſatisfacere, bibit vinum & aquam hordeaceam infrididatam, quantum potuit frigeſieri. Non potuit illi offerri potus tam frigidus quin adhuc frigidiorem appeteret. Et in eiſdem potibus frigidis ſatisfecit appetitui ſuo longo tempore, quantum potuit, imò aliquando glaciem impoſuit ori ſuo aut nivem congelatam, quouſque liqueſiebant, quod ei valde nocuit, & materiam ſuæ paſſionis augmentavit, ut poſtea cognovit & experimentaliter novit. Porro punctiones brachii dextri durabant à tempore quo illud brachium calefecit juxta fornacem, usque poſt Paſcha, ſed continuè magis & magis remittebantur. Tantum tamen patiebatur illarum toto Quadrageſimæ tempore & ante illud, quòd raro poterat ſequi Conventum, & frequenter fuit extra illum in domo infirmariæ, præſertim ob hoc, quòd in noctibus non poterat ſatis dormire. Nam dum ſe in lecto collocaſſet ad dormiendum, ſtatim poſt obdormitionem, & aliquando ante illam collegit ſe tota materia paſſionis quaſi in unum globum, & crebras fecit punctiones fortiores atque fortiores, donec ſurgeret de lecto. Et poſtquam reſurrexit perambulans de loco ad locum, tunc habuit mitiùs. Sed & ob alias cauſas multis annis non potuit ſatis dormire una vice ſive uno continuo tempore, quantum naturæ ſufficeret per diem naturalem. Si enim morabatur in lecto dormiendo ultra quatuor horas generabat ſtomachus in ſuperiori ejus parte multam aquoſitatem corruptam, quæ eum in ſtomacho corrodebat, & fiebat inde evaporatio ſurſum ad caput, indiſponens & perturbans cerebrum, ac debilitans illud, quòd neque in lecto poſſet dormire. Et ſi conabatur dormire, vel omnino non poterat, vel ſoporabat duntaxat, id eſt: imperfectè dormiebat, ita ut audiret, quicquid circa ſe ageretur. Et quantò diutiùs poſt dictum temporis ſpatium ſoporabat in lecto, tantò plus ex hoc debilitabatur, adeo ut ſæpe non valeret rectis greſſibus incedere præ nimia debilitate capitis & totius corporis, & interdum vix ſe contineret à caſu. Dum autem citiùs ſurgeret, inveniebat ſe agiliorem & optiorem ad cuncta. Et poſtquam elapſæ eſſent tres horæ aut modico plus vel minus, invadebat eum frequenter ſomnolentia valida, cui non poterat reſiſtere &c.* Ita tormenta ſua Johannes enarrat in citato Codice, in quo *Informationem* ejus mox excipiunt remedia, à Marco de Cottnis, Sigismundi Cæſaris Archiatro Johanni deſcripta, quæ quantum infirmo profuerint, nullibi memoratur. Parum autem aut omnino nihil profuiſſe, ac tandem eam peſtem in hydropiſin degeneráſſe, non obſcurè ex Cap. 1. Tractatûs hìc à nobis editi colligitur, ad cujus *ſcribendi neceſſitatem veniſſe* ſe ait, *quia hydropiſim patiebatur ex frigida cauſa generatam, & jam prolixitate temporis confirmatam, adeo, ut in libris Medicorum legit & etiam à quodam fundato & fide digno Medico dictum audivit, quòd*

*f. leg. ab eo vitio nat.

*ab ea vita * natura ad plenum non poſſet curari.* Cæterùm longiùs diſſerentem, & miſeram valetudinis ſuæ conditionem diffuſiùs enarrantem Johannem inducere placuit, ut quantum animi robur, quamque nobilis virtus viro, in mediis fluctibus perſtanti fuerit, deinceps conſtaret. Quanto temporis ſpatio Lambaci egerit, & inſtaurandæ Regulari diſciplinæ, quam poſt etiam in Monaſterium S. Crucis Donavverdam induxit, inſudaverit, còlligi poteſt ex Wolffgangi de Styra Mellicenſis *Itinerario* in Codice H. 17. ubi ad annum MCCCCXXX. hæc eveniſſe refert: *In vigilia S. Wartholomei, quæ tunc ſuit Dominica, Abbas Leonardus moritur, & Chriſtannus dictus Eybenſtayner ſibi in Abbatem ſuccedit, qui etiam eligitur per Priorem Leonardum de Maurbaco, Priorem in Achſpach, per Magiſtros Ruedolſum, Narciſſum & Conradum de Halſtat 7. die Septembris, quæ fuit feria ſecunda videlicet in profeſto Nativitatis Mariæ. Et poſt circa Adventum Domini Pater Martinus à Prioratu deponitur, & Pater Johannes de Spyra in Priorem ſubſtituitur, qui manſit Prior* [non] *niſi usque ad Paſcha. Item anno Domini* 1434. *poſt Feſtum Paſchæ Pater Johannes de Spira abſolvitur à Prioratu, ipſo de Wienna, ubi tunc ſtetit ad Scotos, ad Monaſterium Mellicenſe pro abſolutione ſcribente & abſente. Cui in Priorem ſucceſſit Frater Conradus de Geyſenfeld, qui inſtituitur ultima die Aprilis, quæ tunc fuit feria ſexta, in profeſto videlicet Philippi & Jacobi, & tunc primus Subprior Ryetental oritur.* Ex quibus babemus, Johannem non ſolùm ultra annum Lambaci non exegiſſe, ſed etiam ob virtutis ac doctrinæ meritum annis 1430. & 1431. licèt non integris, Prioratus Mellicenſis munere cumulatum fuiſſe. Quòd autem eo ſe tam citò abdicaverit, duæ nobis cauſæ, tametſi perquam diverſi generis, extitiſſe videntur. Una fuit incredibilis quædam Johannis modeſtia & omnium Dignitatum ac munerum, quæ cum onere de concreditarum animarum ſalute rationem DEO reddendi conjuncta ſunt, fuga & borror: altera extitit quædam animi nubes, anxietas & perpetuus conſcientiæ ſcrupulus, quo, DEO viri virtutem probante, à malo dæmone ſic vexari & excruciari permiſſus eſt, ut tandem Votorum ſuorum nuncupationem & Profeſſionem in Monaſterio Mellicenſi ab ſe factam, *injuſtam* atque adeo nullam eſſe deluſus exiſtimârit. Ac ad fugam quidem munerum & modeſtiam, quod attinet, ea tam altè Johannis animo ſedit, ut totus borrore concuteretur, ſi vel amicorum quempiam quadam majori dignitate auctum eſſe intelligeret, nec ſe continere poſſet, quin eum illico viva quadam periculorum, in quæ ſe induiſſet, imagine perterrefaceret. Cuidam nuper in Abbatem electo ita ſcribit: *Honores mutant mores. Quanti ſunt & fuerunt, qui in gradu ſubjectionis cæteris ſe humiliores, temperantiores, religioſioreſque prabuêre, ita ut non ſolum quodammodo irreprehenſibiliter vivere, ſed & plus multis ad virtutes profeciſſe videbantur: gradum verò Prælationis deinde adepti, viſi & experti ſunt divitias amare, de præcipuis honoribus ſibi impenſis hilareſcere, in magno comitatu obſequentiumque famulatu inaniter gloriari, uſu poteſtatis inflari, ſubditos ſuos ſuperbè deſpicere, injuſtis eos contumeliis ac injuriis pro libitu afficere! Liquet profectò ex his, benè & laudabiliter praeſſe aliis perfectæ virtutis, imò & majoris meriti eſſe quàm taliter ſubeſſe. Perfectis enim convenit munus & ſanctum miniſterium iſtud: imperfectis omnino non expedit, & inſuper imperfectos præfici quàm plurimum ſæpe ſubditis nocet. Qui poteſt capere capiat. Dum rite vocatus quis fuerit, quantum in eo fuerit, cautè declinet oblatum munus, quoniam gradus prælationis, ſicut benè regentibus celſioris eſt meriti, ita malis, qui perversè aut negligenter præſunt, ad graviorem damnationem indubitata eſt via. Potentes enim, ait Scriptura, potenter tormenta patientur.* Sed committere non poſſumus, quin aliam integram ſancti viri epiſtolam, ab Adm. R. Patre Romano Krinner, Hiſtoriographo Tegernſeenſi ex MS. ſuæ bibliothecæ Codice nobiſcum communicatam Lectoribus hìc ſiſtamus, ex qua non ſolùm intimos noſtri Johannis de ſacris magiſtratibus ſenſus, ſed etiam perverſos ſeculi ſui mores perſpicere licebit. Ea Abbati Mulbronenſi, recens creato, & olim Johanni de Spira itidem dicto, inſcripta eſt, & ita habet.

Debitam reverentiam cum ſinceræ charitatis affectu.

Venerabilis in Chriſto Pater. Bonæ recordationis Nonnus, Petrus dictus de Roſenhaimb, Monachus noſtri Monaſterii ac ſenior meus, dum vixit, litteris ſuis mihi

inſinuare

inſinuare curavit amorem veſtrum, quem erga me indignum & immeritum geritis. Hunc tamen ego etiam antea quibusdam indiciis agnovi. Laudavit quoque, quantam & ipſe gratiam & familiaritatem invenerit apud vos amore mei. Adjecit nihilominus, quibus verbis volueritis, ut ipſe mihi renovaret veſtri notitiam. Nam, inquit, dum hunc interrogarem, ſub quo vocabulo ipſi veſtri notitiam ingeram? humiliter reſpondit: ſub nomine tunc vocati Magiſtri Johannis de Spira, nunc verò indigni Abbatis Mulbronenſis Monaſterii. Itaque contigit, me hanc veſtram promotionem ex veſtro oraculo agnoſcere, quam usque tunc neſciveram. Super quibus reſpondeo. Dico primò, quòd gratum habeam veſtri amoris affectum: ſed hunc tanquam mihi debitum non arrogo. Cogit me veritas, ut hunc veſtræ benevolentiæ deputem, non meis meritis. Et quoniam inter cætera etiam ſtatum veſtræ dignitatis mihi voluiſtis pateſcere, non ut glorioſior mihi fieret veſtræ perſonæ recordatio, ſed eò ſpecialior & certior, quò contractior: ſic credo & hunc mihi inſinuari voluiſtis cum recognitione veſtræ indignitatis ad illum. Commendo hanc humilitatem in Domino. Exopto etiam ac deſidero, ut quantum vobis deficit debitæ idoneitatis ad tanti ſtatus officium dignè exſequendum ſuper illam ſollemnem ac numeroſam Congregationem, cui DEO auctore præſidetis, ipſe Pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum eſt, de theſauro ſuæ indeficientis & immenſæ plenitudinis veſtrum dignetur ſupplere defectum, vobisque in veſtro regimine cooperari, quatenus ei tandem verè dicere poſſitis illud Joh. 18. quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Nam ſine hujus dignificatione nemo poterit ad benè regendum eſſe aptus, dicente Propheta. niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Propter hoc concedat vobis ipſe, ut ſubjecto vobis gregi ſecundùm doctrinam Apoſtoli, voſmetipſos jugiter præbeatis, formam vivendi ex animo, eique gregi Dominico ita præſitis, ut non tam verbo doctrinæ ſalutaris quàm bonæ vitæ exemplo præſitis. Nempe tradente beatiſſimo Patre noſtro Benedicto hanc duplicem doctrinam: Abbas ſuis debet præeſſe diſcipulis, quibus præſidet vice Chriſti: & ſicut cæteris major eſt appellatione nominis, ita etiam major debet eſſe vitæ ſanctitate. Oportet ad hæc, inquit, eum doctum eſſe lege Divina, ut ſciat, unde proferat nova & vetera, & plus ſolicitudinem gerere de animabus ſibi commiſſis, quàm de rebus terrenis: non diſſimulare peccata delinquentium, ſed mox ut cæperint oriri, ea amputare radicitus, memorem periculi Heli Sacerdotis de Silo. Cujus denique culpæ imputabitur, quicquid ex ipſius negligentia in ovibus paterfamilias minus utilitatis poterit invenire: quantò magis, quandò aliquod damnum in illis acciderit? Nam ſi de minore utilitate judicabimur, multò magis de damno perfecto, ſi aliquam ovem ſuæ curæ creditam lupus devoraverit, quam potuit cuſtodire, & non fecit? Terribiliter minatur talibus paſtoribus DEus per Prophetam dicens Ezech. 33. ſanguinem ejus de manu tua requiram. Et tamen eheu! hoc multi paſtores animarum non ſatis perpendunt, qui aliis prælati gaudent, ac ſi felices facti ſint, ridentque & jucundi ſunt inter diſcrimina periculorum quaſi valde ſecuri. Nec mirum, quia nunc in die ſua tales prælati habent, quæ ad pacem eis ſunt. Quæ autem ſalubriter terrere poſſent, ſunt abſcondita ab oculis eorum, quia illa conſiderare, perpendere, & meditari vel neſciunt, vel negligunt, ut gaudium eorum eſſet plenum. Sed ecce! Ubi boni Abbatis conditiones propoſui, obtulit ſe ex adverſo materia plangendi damna ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ nunc patitur propter multos inutiles animarum paſtores, idolis ſimiles, propter multos etiam paſtores perverſos, lupis potiùs quam paſtoribus comparandos. Multos namque hodie habet Eccleſia paſtores inutiles & exiſtentes veluti canes muti non valentes latrare contra delinquentes propter eorum nimiam ruditatem, ignorantiam aut ignaviam, aut reſpectum humanum. Sunt enim plerique aliis prælati quaſi puri idiotæ vel aliàs nimis ignari ad regendum, ita ut diſcernere nequeant inter lepram & lepram, imò quod multò pejus eſt, inter lepram & ſanitatem. Quorum non nulli quamvis evidenter ſciant, quòd ſubditis ſuis ſint inutiles, & quòd ſubditi per eos ſint neglecti, nihilominus tamen adhuc eos delectat uſus terrenæ poteſtatis & vanæ dominationis, quem nullatenus cederent idoneis niſi cogerentur & ad id adigerentur. Multos etiam habet Eccleſia paſtores nequam, qui ſuis pernitioſis exemplis ac pravis moribus, ſubditos ſuos, quos deberent ad perfectionem adducere, miſerè corrumpunt ac deſtruunt: accendunt

illos ad hujus Mundi amorem, quantum in eis eſt, quos ad hujus contemptum & ad DEI dilectionem deberent inſtruere. Tument enim de faſtigio poteſtatis: gloriantur in numeroſa turba famulorum in publico ſe ſequentium. Vocantur ab illis benefici & groſſi Domini. Dicunt eis: gratia veſtra dixit mihi, vel: gratia veſtra illi hæc locuta eſt. Et cùm eis porrigunt potum, ſe coram illis quaſi ad terram mittendo inclinant, ſicut fieri ſolet principibus ſeculi. Placent eis hæc verba & ſigna blandiſſimæ & vitioſiſſimæ adulationis: nec verecundantur aliquando coram prudentibus, cuculla & alta tonſurâ Mundi contemptum ſimulantes. Jactant ſe de divitiis Monaſteriorum, quorum tantùm diſpenſatores ſunt, ſicut de propriis ſuis. Parant ſibi inde delitias & faciunt ſibi menſas ſplendentes argenteis & deauratis vaſis ſicut principes ſeculi. Vivunt in crapula, qui plus cæteris deberent eſſe humiles & abſtinentes. In proviſione neceſſariorum, quantum ad Monachos, parci ſunt & illiberales, & minus, quàm ſatis eſſet, illis præbent: quantum verò ad extraneos ſeculares, ad quos non deberent eſſe prodigi, non tantùm prodigi ſed & ſuperflui ſunt. Modica reputant ſuperflua, quæ ſuis confratribus impendunt, nimiùm inſufficientia verò, quæ ſecularibus præbent. Ferme omnia ædificia Monaſterii ſibi pro ſua habitatione uſurpant, & toti Congregationi Monachorum parvam portionem illorum relinquunt. Hinc fit, ut, dum illis multa ſuperflua vacant habitacula, iſti non habentes congrua ſpatia ad inhabitandum, in anguſto loco ſe indeſinenter inquietent. Monachis ſubjectis mandant media nocte vel citiùs ſurgere ad vigilias decantandas, & ipſi quaſi ſemper uſque ad auroram in lectis ſuis pauſant. Acedioſiſſimi ſunt ad opus DEI, paratiſſimi ad negotia Mundi: ad curam animarum deſides & penitus negligentes, tanquam ſi illa nullatenus pertinerent ad eos, in occupationibus verò & ſolicitudinibus terrenarum atque caducarum rerum aſſidui & quodammodo infatigabiles. Contenti eſſent quidam illorum, ſi non timerent eiici de ſuis prælaturis, ut ipſi ſoli poſſiderent patrimonium Crucifixi. Aſt quia illud abſque ſubjectis ſibi Monachis non permitterentur poſſidere, ſufficit illis qualeſcunque habere Monachos, quibus mediantibus poſſint ſua retinere dominia. Si hominibus poſſent ſatisfacere cum Monachis ſculptis,poſitis in ſedilibus Chori pro Monachis veris, eligerent potiùs Monachos ſculptos, qui non comederent & biberent, nec indumentis aut tegumentis indigerent, quàm Monachos veros. Si quandoque ſuſcipiunt ad ſua loca venientes de hoc ſeculo, non faciunt, ut Chriſto velint animas lucrari aut chariores reddere, ſed ut ſibi acquirant ſui regni milites, quibus poſſint imperare & dominari, & per quos poſſint retinere divitias, poteſtates, honores, delitias, cæteraque hujus Mundi concupiſcibilia, quæ perverſe dignoſcuntur amare. Et multi tales tenent hodie gubernacula Monaſteriorum. Sed dicit Sapiens: qui ſibi nequam, alii quomodo bonus! Utinam hæc perpendant Orthodoxi Patres nunc congregati in Concilio Baſilienſi, & ſuccurrant ſanctæ Matri Eccleſiæ, idola Paſtorum dejiciendo, & expellendo lupos, & committendo loca eorum dignis, ubicunque inveniri poterunt. Datum &c. Hucuſque auro cedròque digniſſima noſtri Johannis epiſtola de periculis pleno Prælatorum ſtatu, à quo propterea tantopere abhorruit. Non neſciebat quidem Vir demiſſiſſimus, quantum inter Abbatem & Priorem intervallum intercederet: aſt nec eum alterum fugiebat, Priorem à capite abeſſe proximè, raròque Abbatem periclitari, quin Prior nutet. Itaque Johannes de Spira nec in ſecunda & Abbati proxima ſtatione diu retineri poterat, maximè cùm plerumque eo loci delicta tam capitis quàm reliquorum membrorum perſpiciantur clariùs, & minor poteſtas congruam & efficacem morbis medelam afferendi ſit. Jam ad alteram abdicati à Johanne Prioratus cauſam, quam ex animi anxietate ac ſcruplis derivavimus, progrediamur. Et Johannem ſcrupulorum flagellis exagitatum fuiſſe, vel ſola ejus ſcripta loquuntur, in quibus, licèt omnibus exhauſtis, raró tamen ſibi ſatisfeciſſe videbatur. In *Regiſtro* Librorum Bibliothecæ Tegernſeenſis circa annum 1484. collecto diſſertè dicitur Johannes de Spira *nimis ſcrupuloſus* fuiſſe, quam notitiam Tegernſeenſes ſine dubio à Conrado de Geyſenfeld, noſtri Johannis in Mellicenſi Prioratu ſucceſſore, ac poſtea Profeſſo Tegernſeenſi acceperunt. Porro hi ſcrupuli eò tandem virum pium ac ſubtilem, quæ duo frequenter vel ſcrupulos pariunt, vel fovent, eò adegerunt, ut non ſolùm ſibi Prioratu, ſed etiam Monaſterio Mellicenſi cedendum eſſe crederet: Nec ante quievit, quàm reapſe ea con-

ſilia

ſilia exſecutus eſt. Igitur anno MCCCCXLI. cúm crederet aut potiùs arbitraretur, Profeſſionem ſuam, Mellicii Nicolao de Mazen Abbate ſanctiſſimo emiſſam, *injuſtam* & irritam eſſe, à Mellicenſibus Patribus, quibus adeò charus erat, dimiſſus, ad Monaſterium Cellæ S. Mariæ in Auſtria ſe tranſtulit, ibidèmque ſollemnibus votis DEO & ſancto Ordini ſecundò ſe mancipavit, tanto cum majori pietatis ſenſu, quantò acrius hucuſque tormentum fuerat, quo ejus animum deluſa conſcientia torſerat. Tranſitum Johannis ad prædictum Monaſterium his verbis conſignat Anonymus Mellicenſis in Codice H. 17. *Johannes de Freynshaym Spirenſis Diæceſis ex Presbytero ſeculari incorporatum ſe gaudet. Hic poſtea ſtabilivit ſe in Cella Mariæ Monaſterio anno Domini* 1441. Aſt nec hìc Johannem ſcrupuli deſervêre, ſed novis ejus animum tumultibus & tenebris ſpiſſioribus involverunt. Ex quibus ut ſe extricaret, tandem anno 1453. ſequentes litteras ad Ven. P. Johannem de Weilhaim *Priorem & Vicarium Mellicenſem* dedit, ex quibus hactenus dicta de *injuſtitia* profeſſionis, Mellicii ab eo factæ, confirmantur, tametſi cur Johannes ſuam profeſſionem *injuſtam* fuiſſe arbitratus ſit, nullibi, hucuſque reperire potuerimus. En autem litteras ipſas ex autographo, Codice K. 78.

Honorabilis ac Religioſe Pater Johannes.

Dubius fui multis annis, an meus ingreſſus in Ordinem S. Benedicti factus in Monaſterio Mellicenſi fuiſſet juſtus. Sed dato, quòd injuſtus fuit, jam diu feci pro mea juſtificatione in hac parte, quod facere potui. Quorum unum eſt, quòd Monaſterium Mellicenſe deſerui, & me in Monaſterio Cellæ Mariæ ſtabilivi. Verùm poſt hoc & noviter in præſenti anno cœpit me pulſare quidam ſcrupulus, qui conſequitur ex dubio præmiſſo, talis ſcilicet: quòd ſi ingreſſus meus in Ordinem S. Benedicti factus in Monaſterio Mellicenſi fuit injuſtus, tunc toto illo tempore, quo duravit illa injuſtitia, non competiit mihi aliquod jus utendi & vivendi de rebus Monaſterii Mellicenſis. Hac de cauſa de ingreſſu meo, qualiter illum fecerim, à principio uſque in finem ſcripſi omnia, quæ me movebant pro & contra, & compoſui unam narrationem ſatis longam, comprehendentem quaſi duo folia bapyri facientia dimidium arcum. Et hanc ſcripturam Dominus Laurentius Abbas noſter per me rogatus, in viſitatione veſtri Monaſterii ultimò facta, præſentavit bonæ memoriæ Patri Stephano Abbati veſtro noviter defuncto, rogavitque eum, ut caſum mei ingreſſus veſtro Conventui exponeret, & ipſe cum eis me à debito reſtituendi injuſtè uſa & conſumpta abſolverent. Unam etiam ſcedulam brevem per me ſcriptam, ſecundùm cujus tenorem poſſet dictum caſum meum veſtro Conventui breviter exponere, præſentavi. Qui eaſdem Scripturas ſumpſit, dixitque eas pro ſua opportunitate velle perlegere, ad quod tunc non haberet otium. Ut autem conjicio, ſic obiit, quòd dictam meam petitionem veſtro Conventui non expoſuit. Nec ſcio, ubi illa mea ſcripta remanſerunt. Si vos illa inveniſtis & habetis, rogo inſtanter, ut ea Domino Johanni veſtro electo præſentetis, quatenus poſt ſuam confirmationem ipſe & veſter Conventus me de illis expediant. Si autem vos illa ſcripta apud vos retinere vultis, donec ſit confirmatus, & ea tunc ſibi præſentare, hoc ſit in veſtra optione. Si verò illa ſcripta adhuc non inveniſtis, quæſo, ut ea quæratis. Scripturam enim meam noſcitis, & agatis, ut expediar, & ut veſtræ charitati confido, Dominus veſter electus caſum meum narret Conventui latè & diffuſe, ſi vult: propter me nihil taceat. Si autem eum vult narrare ſuccinctè & breviter, ne ex prolixitate attædientur audientes, ſaltem hoc Conventui non taceat, quòd petam abſolutionem ejus & veſtri Conventus à debito reſtituendi uſa & conſumpta fortè in ſedecim annis vel pluribus. Multis enim annis non cognovi injuſtitiam vel impietatem mei ingreſſus. Deinde omnia mea ſcripta unacum ſuo & veſtri Conventus reſponſo, utinam pio & gratioſo mihi remittatis propter DEUM. Attendatur ab omnibus mea converſatio & labor in Monaſterio Mellicenſi & extra id, quocunque directus fui, & in mea præſcripta petitione miſericorditer & gratioſe exaudiar, ut confido. Miſſivam, quam ſcripſi Patri Conrado de Giſenfelt, & huic incluſi, ei velitis dirigere ad Tegernſee. Hoc enim per litteram ſuam mihi miſſam à me petiit, confiſus de veſtra charitate. In craſtino S. Laurentii anno Domini 1453.

Inſcribtio epiſtolæ exterior :

Honorabili ac Religioſo Patri Johanni de Weilheym , Vicario Monaſterii Mellic. Ord. S. Bened. Patavienſis Diæceſis.

Vides hìc Johannem jam ſeptuagenarium Mellicenſibus ſupplicem , quos in preces faciles ac pronos inveniſſe, dubitari non poteſt. Ecquis enim eorum eſſet , quem tanti virtute ac doctrina viri cruciamenta ad miſericordiam non flecterent ? Cæterùm quousque vitam in Monaſterio Mariæcellenſi produxerit Johannes, nobis incompertum eſt. Ultra annum 1455. vix progreſſus fuerit, ultimam vitæ horulam , terribileque DEI judicium animo & cogitatione ſemper revolvens, ùt probat ejus epiſtola, quam morti proximus ad Conradum de Geiſenfeld, ſi rectè conjicimus, Tegernſeam dedit, quem pariter, ut ſe ad ſanctè obeundam mortem paret, hortatur. Eam ex Codice Tegernſeenſ. depromptam hìc integram accipe.

Vigilanti animo vicinum expectare adventum Domini.

Vulgò dicitur: dilectus cùm ſit procul ab oculo, etiam ſit procul à corde. Solent hoc homines amatoribus ſuis, à quibus cupiunt diligi, objicere & improperare, cùm ſe in abſentia ſua putant eis viluiſſe. Affirmant in hoc, quod eſt verum: quia ſæpe nimia elongatio & præſertim longa abſentia dilecti à diligente facit evaneſcere amorem ipſius, aut ſaltem multum remitti, & hanc evanitionem aut teporem amoris cauſare oblivionem dilecti. Sed abſit, ut credam, quòd longinquitas loci, qua disjungimur, mihi veſtrum deleverit abſtuleritque amorem, quo me quondam, cùm ſimul habitavimus, recolo fuiſſe complexum. Neque hoc ſuſpicari vos volo de me erga veſtram perſonam, qui etſi procul vobis abſim corpore, non minus tamen familiari cordis amore conjungor retento adhuc antiqua noſtra ſocietatis nexu, ex qua etiam libuit ſtylum ad vos amplius extendere. Habet hoc vulgare proverbium veritatem de dilecto propter aliquid ſperatum à diligente ad conſequendum ſibi, ſcilicet diligenti à dilecto vel per ipſum, quod nempe dilectum nimia elongatio facit ipſum diligentem deſperare aut in amore ſenſim langueſcere. Nec mirum hoc, cùm ceſſante cauſa ceſſet etiam effectus. Et talis dilectio ſolet vocari amor concupiſcentiæ, & cauſatur ex inordinato amore ſui: nec ipſa oſtendit diligentem eſſe verum amicum dilecti, ſed fictum & apparentem, cùm id, quod in illo diligit, non velit ei, ut hoc ſit ſibi bonum, ſed ipſimet diligenti, ſcilicet ut ſit ei cauſa ſua delectationis aut utilitatis, honoris, vel gloriæ aut commodi temporalis, aut alterius talium, etiamſi hoc ſit cum detrimento dilecti aut grandi malo ipſius, qualis verbi gratia eſt lenonis ad lenam, avari ad divitem, prodigum vel liberalem &c. Non eſt autem hoc proverbium verum de eo, qui gratuita dilectione diligitur, quæ vocari ſolet amor amicitiæ: quali nimirum amore reor me quondam à vobis dilectum & adhuc diligi, non meo merito ſed veſtra benevolentia. Hæc eſt vera dilectio, qua quis vult bonum dilecto ſolùm propter hoc, ut id ſit bonum ipſimet dilecto, nullo habito reſpectu ad ſe diligentem. Et idcirco hæc dilectio, in quocunque invenitur, hunc evidenter oſtendit eſſe verum amicum dilecti. Hanc quoque dilectionem non tollit nimia elongatio aut longa abſentia dilecti à diligente, aut alia talis cauſa, ſed nihilominus durat & æquè manet cæteris paribus ad longinquum & propinquum, maſculum & fæminam, juvenem & ſenem, pauperem & divitem, deformem & pulchrum, ægrum & ſanum, nobilem & ignobilem, humilem & potentem, deſpectum & honoratum, mortuum & vivum. Denique cùm omnis dilectio inanis ſit, quæ non ordinatur ad finem ultimum, hoc eſt: in Deum, ſic nos invicem diligamus, ut nobis alterutrum præ omnibus & ſuper omnia Deum velimus & nos Deo. Ad cognoſcendum & fruendum ſe ipſe nos condidit. Ad hunc ergo finem diligamus nos, ad hunc tendamus, ad hunc totis viribus ſatagamus pervenire, dum tempus habemus. Ecce nunc tempus acceptabile, ait Apoſtolus, ecce nunc dies ſalutis! Subaudiendum: quàm diu nempe in hoc mortali corpore vivimus. Veniet poſt hanc vitam nox, in qua nemo poterit operari. Demus ergo operam, dum tempus habemus, & nunc operemur noſtram ſalutem, antequam nobis adveniat nox illa, qua operari non amplius poterimus. Ecce ſenuimus & canuimus,

mus, & dies vitæ noſtræ præſentis inclinata eſt, & quaſi pervenit ad occaſum: deficiunt vires naturæ, jamjamque tenebreſcit dies noſter, & prope eſt nox mortis. Diſtrictum Omnipotentis DEI judicium appropinquat, & quodammodo in foribus adeſt, in quo diſcutiendi ſumus quoad omnem vitam noſtram. Ante tribunal Chriſti ſtare nos oportebit, ut ibi accipiat unusquisque pro his, quæ geſſit in corpore ſive bonum ſive malum. Ibi diſtricto judici, quem latere nihil poteſt, de omni verbo otioſo, quod locuti ſumus, ipſo teſte reddemus rationem. O quàm terribile ratiocinium & omnium terribilium terribiliſſimum! In eo quippe, qui ſufficiens inventus fuerit, ibit in vitam æternam, & quid felicius? Qui deficiens, in ſupplicium æternum, & quid miſerabilius? Bonum eſſet ei, ſi natus non fuiſſet. In æternum, inquam, ſupplicium ibit deficiens, non diurnum, non annuum, non centum, mille millium &c. annorum, aut quantumcunque dicere poſſum, ſed æternum. O æternitas, horreo, dum de cogito! Et quod rei caput eſt, ab his duobus ſummè extremis non poſſumus aliò divertere, ſaltem finaliter & ultimatè (quod propter Purgatorium addo) *quin ad alterum horum unumquemque pervenire neceſſe ſit, altero penitus excluſo. Qui ad beatitudinem pertingit, pœnas inferni evaſit: qui beatitudinem amittit, pœnas inferni infallibiliter in ævum ſuſtinebit, ſi parvulos cum Originali decedentes, qui pœnam ſenſus non habebunt, excipias. O nimis terribilis neceſſitudo omnium filiorum Adæ! Iſta conſideranti & attentè meditanti mihi, ſeſe non nunquam hæc aut ſimilis cogitatio ingerit quamvis ſtulta & nullatenus audienda, perſuadere tentans, malle debere hominem habere communem conditionem moriendi cum pecoribus, ut ſaltem ita poſſem eſſe ſecurus de illa ineffabili miſeria. O cauſa ardua, cauſa dura, & gravis & magna, immò omnium maxima & nimiùm formidanda, cauſa denique æternæ vitæ vel mortis! Nonne, quæſo, horreſcunt omnes pili veſtri præ terrore, dum iſta attentè cogitatis, cùm neſciat homo, an odio vel amore ſit dignus! Præparemus nos ergo omni ſolicitudine nobis poſſibili ad rationem reddendam DEO, ne in illo tremendo examine deficiamus, in quo nobiſcum agetur de æterna vita vel morte. Quam ſoliciti ſunt homines Officiales, cùm dominis ſuis reddere rationem debent! Quanta diligentia illam præparant, & ita ordinant, ut ſufficientes inveniantur, ne ad breve ſaltem tempus puniantur in corpore, aut rebus ſuis pro infidelitate, aut cum rubore confuſionis deſtituantur de officiis ſibi commiſſis! Quanta igitur ſolicitudine nos præparare debemus ad rationem DEO reddendam, qui ſubſtantiam ipſius diſſipavimus proh dolor in multis, ne excludamur à regno perenni, & puniamur in ævum cum diabolo & angelis ejus? Nacta opportunitate ſcribendi placuit vos hac exhortatione ſolicitum facere, ut horam mortis veſtræ præveniatis dignis pœnitentiæ fructibus, ne, quod abſit, tunc primùm incipiatis id velle, cùm non inveniatis perficere. Quanti periculi ſit illic negligenter agere, crebro meditationis actu Martha non conſiderat occupata in multis. Nempe verſatur ſedulè in exterioribus, turbatur erga plurima, diſtrahitur, impeditur. Neceſſe idcirco habet interdum admoneri verbo quieſcentis Mariæ, cui, quia dilexit multùm, per benignam ſententiam Salvator Mundi dimiſſa peccata nuntiavit. Quapropter annos æternos, amice chariſſime, in mente habe, & tui quoque Fratris Johannis reminiſcere.* Hæc ultima Johannis de Spira monita, hæc ſuſpiria, hi gemitus, & animi ſenſa, inter quæ ad immortalem, ut equidem ſperamus, vitam ex hac lachrymarum & miſeriarum valle tranſivit Quinta Maji, qua die ejus obitus in coævo Necrologio Mariæcellenſi his verbis adnotatur: *Frater Johannes dictus de Spira, Monachus & Presbyter noſtræ Congregationis.* Atque hæc de actis Johannis de Spira dicta ſunto, quæ ſi cui plus æquo diffuſa viſa fuerint, is meminerit, gratum erga Monaſterium Mellicenſe, quod nobis iſthæc otia fecit, animum à nobis poſtulâſſe, ut in efferendis ejus ornamentis non minorem curam & diligentiam præſtaremus, quàm in aliorum locorum illuſtrandis monumentis præſtare hactenus conati ſumus. Jam præclara ingenii monumenta, quæ poſtea Johannes reliquit, recenſeamus.

1. *Expoſitio Epiſtolæ S. Pauli Ap. ad Romanos à Capitis VIII. verſu VI. usque ad Capitis XIII. verſ. X.* Incipit: *qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt &c. Gloſſa: qui ſecundùm carnem ſunt, id eſt: qui mente carni conſentiunt &c.* Extat avtographum in Cod. chart. 4. ſignato Litt. N. num. 14.

 2. *Tra-*

2. *Tractatus in Caput XXXIII. & XXXIV. Regulæ S. Benedicti, & in Caput XIII. Regulæ S. Auguſtini cum variis Quæſtionibus de proprietate & communitate Monaſticorum bonorum.* Inc. *præcipuè hoc vitium radicitus amputandum eſt &c. Quod dicit præcipuè, intelligendum eſt: ante omnia & maximè &c.* Autographum habetur in Cod. chart. 4. notato Litt. N. num. 14.

3. *Tractatus de vitio proprietatis Monachorum in Caput XXXIII. Regulæ S. Benedicti.* Inc. *præcipuè hoc vitium radicitus amputandum eſt &c. Hoc eſt Capitulum XXXIII. Regulæ B. Benedicti, quod poteſt dividi in tres partes. In prima prohibetur Monachis, ne res temporales debeant habere &c.* Cod. ch. 4. Litt. N. 14. & chart. 4. P. 31. Extat & autographum in Codice Bibliothecæ Lambacenſis.

4. *Tractatus* alius & à præcedentibus diſtinctus, *de proprietate Monachorum in Caput Regulæ S. Benedicti.* Inc. *præcipuè hoc vitium radicitus amputandum eſt &c. Quia in hoc Capitulo Regulæ XXXIII. prohibetur Monachis, ne habeant proprium &c.* In Codice avtographo N. 14. & in Codice P. 31. ac in laudato Codice Lambacenſi.

5. *Tractatus de Communitate bonorum Monaſterij.* Inc. *præcipuè hoc vitium radicitus amputandum eſt &c. Cùm in initio præcedentis Tractatus dictum ſit, quòd hoc nomen:* proprium, *dupliciter accipiatur &c.* Conſtat doctum Opuſculum XI. Capitibus in Cod. N. 14. Sed in Cod. P. 31. non niſi VII. Idem integrum reſtat in bibliotheca Lambacenſi. Germanicè verſum habes in Codice Mellic. H. 19. & R. 32.

6. *Tractatus* Epiſtolaris: *num liceat Abbati non exempto abſolvere ſuos Monachos ab excommunicatione majori in Caſibus Papæ non reſervatis*, adverſus Johannem de Campidona Monachum Mariæcellenſem. Inc. *contra ea, quæ ſcripta ſunt ante oppoſitum &c.* In hoc Tractatu laudat Johannes Caſparum de Mayslſtain *egregium Doctorem Decretorum, & multis annis Rectorem & quodammodo fundatorem Scholæ Juriſtarum Studij Wiennenſis.* Reſtat Opuſculum in Cod. chart. K. 24.

7. *Tractatus de perpetua Continentia & Caſtitate.* Inc. *dicturus de perpetua Continentia, quæ eſt ſecundum eſſentiale religioſi ſtatus &c.* Autographum habes in Cod. chart. H. 82. & Q. 30. ubi XIV. *Lectionibus* abſolvitur. Eum ab ipſo Johanne Germanicè verſum exhibet Codex chartaceus in folio, ſignatus C. 18. & alius notatus Lit. H. 19.

8. *Tractatus* idiomate Germanico ſcriptus *de tribus Eſſentialibus punctis Perfectionis Status Monaſtici.* Inc. Eſſ iſt zu wiſſende / daß ein anders iſt Volkumenhait des Lebens / vnd ein anders der Stant der Volkumenhait &c. In Cod. H. 19. & R. 32.

9. *Tractatus* eodem idiomate compoſitus *de paupertate.* Inc. In den vorigen Buchlein han ich von den dreyen weſelichen Stucken des Geiſtlichen Standes in der Gemeinde geſagt &c. In ijſdem Codd.

10. *Tractatus* in Germanica lingua *de diviſionibus proprietatis Monachorum.* Inc. in den vordern dreyen Buchlein han ich geſagt &c. Cod. R. 32.

11. *Tractatulus de neceſſitate boni exempli in Superiore, ac auſteritatis in Ordinibus Monaſticis.* Inc. *Inter omnia, quæ magis ſunt neceſſaria Prælato, eſt bonum exemplum &c.* Avtographum in Cod. N. 14.

12. *Tractatus de Oratione*, Germanicè ſcriptus. Inc. *Scriptum eſt: domus mea &c.* Zu redende von dem Gebede neme ich vor &c. Autograph. in Cod. E. 35.

13. *Tractatus* Epiſtolaris *exhortans Monachum ad ſtudium Lectionis Regularis, & quædam impedimenta ejus reprehendens.* In Codd. avtogr. Q. 25. R. 33. & G. 17. Inc. *Religioſo Fratri Othmaro Hager Monaſterii S. Crucis in Werden &c. poſt pleraque veſtræ dilectionis obſequia &c.*

14. *Tractatulus* Epiſtolaris *ad quendam Monachum fugitivum de vera Monaſtica humilitate ac in bono perſeverantia.* Inc. *Effici pauperem ſpiritu, & humilem JEſum per veram humilitatem libenter imitari ad gloriam. Si cernerem in corpore amici &c.* In Cod. chart. 4. P. 32. avtograph. Eundem vidimus etiam in Cod. Tegernſeenſi.

15. *Tractatus in Caput VII. Regulæ S. Benedicti ſuper illa verba*; ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, mox ad charitatem DEI perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem &c. Incipit viginti ſeptem capitum Liber: *non de qualibet charitate &c.* In Cod. Mellicenſi avtographo G. 21. & Lambacenſi in 4.

16. *Expo-*

16. *Expoſitio Capitis LXVIII. Regulæ S. Benedicti.* Inc. *ſi fratri impoſſibilia injunguntur &c. Quia in itinere directionis quinque gravia &c.* In Codice avtographo Lambacenſi in 4. & Mellic. B. 32.

17. *Tractatus de illicito eſu carnium Monachorum ſanorum & fortium*, editus anno 1432. Inc. *propter inſtantiam quorundam Abbatum Monaſteriorum Ordinis S. Bened. Patavienſis Diœceſis &c.* Avtographum in Cod. O. 21. adſervatur. Comparet præterea in Codd. O. 45. P. 10. & J. 10.

18. *Tractatus* à priori diſtinctus: *utrum Monachus, qui contra praeceptum Prelati ſui comedit carnes, peccet mortaliter?* Inc. *pro hujus Quæſtionis ſolutione noto primò, quòd ſecundùm Mag. Johannem Gerſon in de Vita ſpirituali &c.* Avtogr. in Cod. B. 31. & alia manu in Cod. L. 37.

19. *Apologia* mox relati *Tractatus* ſcripta *adverſus cujuſdam Monachi objectiones.* Inc. *quidam Religioſus contra aliqua dicta in prima Quæſtione, quæ legit & non intellexit, compoſuit argumenta ſequentia, quæ cuidam ſchedulæ ſua manu inſerta &c.* In Cod. B. 31. ubi etiam extat retractatio Adverſarii.

20. *Reſolutio Queſtionis: utrum Monachus frangens jejunium regulare peccet minùs vel equè, ſicut ſi frangeret jejunium Eccleſiæ?* Inc. *pro ſolutione hujus Quæſtionis noto primò, quòd ad obſervantiam jejunii &c.* Codd. B. 31. & L. 37.

21. *Tractatus de eſu Carnium infirmorum Cœnobitarum.* Hunc ex Codice avtographo, in Monaſterio Mariæcellenſi adſervato, à R. P. Ferdinando Mildenberger, Viro docto & noſtrorum ſtudiorum amantiſſimo, erutum hìc habes à col. 569. Titulus accurati & ſubtilis Opuſculi in laudato Codice hujuſmodi eſt: *Tractatus de licito eſu carnium cuidam Monacho Ordinis S. Benedicti, qui Hydropiſim patitur.* Etſi autem Johannes in hoc Tractatu præcipuè de juſtis cauſis indulti ſibi carnium eſûs agat, paſſim tamen in hoc argumento pertractando per varias Quæſtiones ita ſe diffundit, ut potiùs generalem illam de concedendo infirmis carnium eſu controverſiam, quàm ſingularem aliquam de ſuo ſtatu quæſtionem voluiſſe componere videatur. Porro quid Virum Regularis obſervantiæ ſtudioſiſſimum ad edendum hoc opuſculum impulerit, ſub finem 1. cap. ipſe his verbis exponit: *ne propter hoc* (quòd *per diſpenſationem mei Prælati contra meam conſuetudinem cum triſtitia carnibus uti cœperim coactus neceſſitate meæ infirmitatis*) *aliquis me æſtimet eſſe Monachum nimis carnalem, ſectatorem voluptatis, & deſtructorem communis obſervantiæ noſtri Monaſterii in abſtinendo à carnibus, quam ego transgrediar in ſcandalum cæteris, mihique hinc cum mea injuria detrahat coram aliis, & eos de hoc ſcandalizet, quod à me licitè agitur, aut certè, quod plus timeo, ex indulgentia mihi facta occaſio & audacia ſumatur, eſum carnium à Superioribus poſtulandi, & hinc etiam aliis perſuadendi abſque cauſa ſufficienti: ſcripſi ſequentia, non utique ut per ea Monachos Ordinis S. Benedicti doceam, ut ſciant, quandocunque & in quocunque caſu eis liceat carnes edere* (*hoc enim vires meæ intelligentiæ excedit*) *ſed ut per ea èxcuſetur mea neceſſitas, & occaſione hujus, quod ego licitè facio, nullibi introducatur illicita voluptatis indecentia & ſuperfluitas.* Hæc Johannes, qui hunc Tractatum in ſumma ſenectute ſcripſiſſe videtur.

22. *Sermones* XIII. I. De *Obſervatione Monaſticorum votorum.* Inc. *vovete & reddite &c. Hæc verba tractans Gloſſa Ordinaria &c.* Autogr. in Cod. N. 14. Alia manu in Cod. P. 31. II. De *proprietate Monachorum: ecce nos reliquimus omnia &c, Hæc ſunt verba Apoſtolici cœtus &c.* In Codice manu Johannis de Spira exarato N. 14. ubi tamen ille, qui circa 1480. indiculum contentorum confecit, hunc & ſequentem Sermonem tantùm *putat eſſe Johannis.* Vide, quæ de hoc Sermone in Præfatione ad II. Partem I. Tomi ad Henrici de Haſſia Opera obſervavimus. Controverſus Sermo extat etiam in Codd. A. 14. & P. 31. III. In illud Luc. 9. *nemo mittens manum ad aratrum &c.* Inc. *verba ſunt Salvatoris Luc. 9. cap. quæ quidem verba tractans S. Thomas &c.* In iiſdem Codd. IV. *In Cœna Domini.* Incipit: *ante diem Paſchæ &c. Hoc Evangelium poteſt dividi in tres partes &c.* Autogr. in Cod. B. 32. V. Alius in Cœna Dom. Cod. B. 32. & N. 14. incipit: *ſi ego lavi pedes &c. Hæ verba originaliter ſcripta ſunt Joh. 3. cap. & lecta in Evangelio hodierno: in quibus quidem verbis duo nobis exprimuntur &c.* VI. In Aſcenſione Domini. *Hæc ſunt verba &c. Hoc Evang. ſcribitur Luc. ult.*

in quo deſcribitur Aſcenſio Chriſti &c. Cod. B. 32. VII. *In Viſitatione B. Mariæ V. Exurgens Maria &c: Hoc Evang. ſcrib. Luc. 1. & dividitur in tres partes. Primò in eo tangitur &c.* Ibid. VIII. *In Nativit. S. Johan. Baptiſta: Eliſabeth impletum eſt &c. Hoc Evangelium poteſt dividi in quatuor. Primò ponitur ortus &c.* Ibidem. VIIII. In illud Rom. 2. *Hora eſt jam nos de ſomno &c.* Inc. *ſcribit Apoſtolus ad Rom. 2. & allegat B. Pater Benedictus &c.* Cod. N. 14. Et Germanicè P. 31. X. In illud Epheſ. 5. *eratis aliquando tenebræ &c.* Inc. *hæc ſunt verba Apoſtoli ad Eph. 5. quibus circa eos tria facit &c.* XI. In eundem locum. Inc. *dixi in præced. ſermone, quòd in his verbis &c.* Ambo hi ſermones ſunt in Cod. P. 31. XII. *De Vita religioſa.* Inc. *deduxit eos in viam rectam &c. Hæc auctoritas poteſt convenienter exponi de Religioſis &c.* Ibidem. XIII. *In Annuntiatione B. Mariæ V.* Inc. *miſſus eſt Angelus Gabriel &c. DEus omnipotens, ſapientiſſimus &c.* Cod. O. 18.

23. *Libellus Epiſtolarum*, quæ partim in Bibliotheca Tegernſeenſi, partim in Mellicenſi manuſcriptæ ſervantur. Nos ex hujus Codd. N. 14. & B. 31. omnes ſuo loco dabimus adjectis Tegernſeenſibus.

24. *Syntagma diverſarum Quæſtionum & Reſolutionum Theologico-Aſcetico-Moralium* per Codd. N. 14. B. 32. & B. 31. ſparſarum. Denique his jam perſcriptis reperimus etiam ſequentia Opera Johannis.

25. *Commentarium in Prologum Regulæ S. Benedicti.* Incipit Opus prolixum in Cod. avtogr. B. 32. *Auſculta &c. Quidam dicunt, hunc Prologum editum fuiſſe à Simplicio diſcipulo S. Benedicti &c.*

26. *Commentarium egregium in Cap. I. ejusdem Regulæ de Generibus Monachorum.* Inc. *Hac Rubrica præponitur primo Capitulo Regulæ beatiſſimi Patris noſtri &c.* Ibid.

27. *Commentarium amplum in Cap. II. ejusdem Regulæ de officiis Abbatis.* Inc. *in præcedenti Capitulo B. Benedictus diſtinxit quatuor genera Monachorum &c.* Ibid. Sed de Johannis actis & ſcriptis ſatis.

ORDO PUBLICE POENITENTIUM. à col. 610.

XI. De veteri Eccleſiaſtica diſciplina, qua fideles *in Capite Jejunii*, ſeu feria quarta, Dominicam primam Quadrageſimæ præcedente, aut ipſa hac Dominica, pœnitentiam publicè à Sacerdotibus ſuſcipiebant, nihil nobis ſingulare memorandum reliquerunt præter alios viri veterum Rituum Eccleſiaſticorum ſcientiſſimi Johannes Morinus & Edmundus Martene, quorum ille hoc argumentum in erudito Opere *de Pœnitentia*, hic in ſecunda parte Libri primi *de Antiquis Eccleſiæ Ritibus*, cumulatè pertractârunt. Porro uterque varios publicè pœnitentium Ordines, ceu quædam antiquæ ac minimè fucatæ Chriſtianæ pietatis veſtigia in laudatis Operibus edidit & poſteris conſervavit: id quod & nos ad proferendum præſentem Ordinem tantò fortiùs impulit & permovit, quantò diffuſius & explicatiùs ea omnia nobis exhibet, quæ tam illuſtrem veteris Eccleſiæ Ritum, cùm in Germania celebraretur, comitabantur. Videtur enim hic Ordo, qui pro diverſitate locorum & regnorum varius ac multiplex erat, præcipuè ac fortè unicè in Diœceſi Conſtantienſi ſervatus fuiſſe. Conjecturam noſtram firmat, quòd in Codice pervetuſto celeberrimi Monaſterii Augiæ Majoris, in eadem Diœceſi ſiti, repertus ſit, nec ſit vero ſimile, alium in id Monaſterium ritum publicè pœnitendi admiſſum fuiſſe, quàm qui ſtatuente Epiſcopo Conſtantienſi in ſua Diœceſi vulgò obtineret. Cæterùm eum acceptum referimus Plurimùm Reverendo, & Clariſſimo D. Patri Aproniano Hueber, ejusdem Aſceterii Priori, Viro undequaque doctiſſimo, cujus infinita propemodum de nobis noſtrisque ſtudiis merita extant.

ORDO PROBANDI PER IGNITOS VOMERES &c. à col. 634.

XII. Johannes Mabillonius Tom. 1. *Veterum Analectorum* pag. 47. & ſeqq. ex membranis Remigianis, ſeculo IX. exaratis, edidit *Ritum probationis per aquam frigidam, ab Evgenio Papa II. inſtitutæ*, ad cujus calcem eruditè more ſuo adnotavit, *de variis probationum generibus multos multa* ſcripſiſſe. Quæ Viri doctiſſimi obſervatio vehementem ſuſpicionem & metum nobis injecit, ne fortè hic *Ordo probandi homines de crimine ſuſpectos, per ignitos vomeres, candens ferrum, aquam ferventem vel frigidam*, à nobis editus, jam dudum lucem publicam adſpexerit, qua de re certius ij ſtatuent, qui libros de judiciis ejusmodi & probationum generibus ad manus habebunt. Nobis interea iis deſtitutis occaſio benè de Antiquitatum ſtudioſis merendi haud dimittenda videbatur, quam nobis in Bajoarico itinere conſtitutis duo inſignes manu deſcripti Codices, Ordinem hìc editum complexi, præbebant. Prior eſt Sanct-Petrenſis in 4. maj. ſexcentorum annorum: alter

Weſſo-

Weſſobrunenſis, eâdem formâ, ſed paulo antiquior, à Venerabili ſcilicet Chriſti Virgine Diemude ſcitiſſimis litteris exaratus, ex quo præſentem Ordinem A. R. P. Bernardus Leonhard, Cœnobita Weſſobrunenſis, Vir humaniſſimus, noſtro rogatu exſcripſit. Porro ſive ex eo quædam edita jam ſint, ſive non, nemo veterum conſuetudinum cupidus ſine magna voluptate iſtud monumentum integrum perleget, utpote in quo adeò ampliter ac diffusè, accuratéque ſingula, quæ cum hoc ritu conjuncta vulgò erant, traduntur, ut oculis potiùs rem omnem ſpectare, quàm cogitatione conſequi liceat. Cæterùm quanto tempore hic uſus valuerit, disquirit Mabillonius, memorátque Ludovicum Auguſtum in Capitulari Aquisgranenſi anni DCCCXXVIII. §. 7. cap. 12. ſtatuere, *ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à miſſis noſtris interdicatur, ne ulterius fiat. Quod decretum*, inquit loc. ſup. cit. Mabillonius, *condidit Ludovicus poſt Evgenij conſtitutionem, nempe anno proximo poſt obitum Evgenij Papæ ſecundi. Non tamen ritus iſte purgationis decreto Ludovici penitus ſublatus eſt: ſiquidem Hincmarus Remorum Antiſtes ab Hildegario Meldorum Epiſcopo ea de re interrogatus, multis judicium aquæ frigidæ argumentis approbavit.* Imò hic mos ſaltem apud Germanos longè poſt Ludoviciana & Ottoniana tempora quàm maximè obtinuit. Ut enim plura exempla diſſimulemus, vel in tertio noſtro volumine, in Codice Diplomatico Admontenſi num. XXVII. inſignis in eam rem locus occurrit, ubi Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis in Diplomate Monaſterio Admontenſi anno MCLX. conceſſo ſtatuit, *ut populus ad Mukkirnovve & ad Chrotſe ſepulturam & baptiſma, & omnem juſtitiam apud Eccleſiam S. Nicolai habêat, excepto duntaxat placito Chriſtianitatis, & judicio ferri vel aquæ, quæ ad plebanum de Libniz ſpectabit cooperante Sacerdote de Mukkirnovve* &c. Sed ecce, dum iſthæc ſcribimus, incidimus in eruditiſſimi Petri Lambecii *Res Hamburgenſes*, quarum Libro II. ad annum MCCLVII. de hoc ipſo, quod præ manibus eſt, argumento doctiſſimè diſputat, definítque, tandem Friderici II. conſtitutione, ac Romanorum Pontificum Honorii III. & Gregorii IX. decretis ferri candentis examen in diverſis Chriſtiani Orbis partibus ſublatum fuiſſe. Addit tamen Vir eruditus, id Hamburgi multò diutius, nempe uſque ad annum MCCLVII. in uſu permanſiſſe, cujus deprecandi cauſa Hamburgenſes jam dicto anno legationem miſerint ad Pontificem Alexandrum IV. *à quo demiſſiſſimè*, inquit, *petierunt, ut ſe periculoſo ferri candentis liberaret judicio, quippe quod multis ante ſeculis à S. Gregorio M. damnatum, atque iterum à Pontificibus Leone III. & Stephano V. prohibitum, & nuper admodum à Pontifice Honorio III. in cauſa Livonenſium iniquum & à Chriſtiana religione alienum declaratum eſſet. Annuit juſtiſſimis precibus Pontifex, & ne unquam amplius ab Eccleſiaſticis purgatione per ferrum candens gravarentur, ſingulare iis ſuper ea re conceſſit privilegium.* Hactenus Lambecius, qui idem privilegium ad mox memoratum annum exhibet, quod videat, cui lubet.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
IN
TERTIAM PARTEM SECUNDI TOMI THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

SUPPLEMENTUM HISTOR. MIRAC. S. MATHIÆ AP. à col. 1.

I. Doctiſſimi, & de univerſa Eccleſia optimè meriti Patres Bollandiani ad diem XXIV. Februarii præter Acta S. Mathiæ Apoſtoli, Hebraicè primùm conſcripta, dein ſeculo XII. ab Anonymo Monacho Monaſterii S. Mathiæ Trevirenſis Latina facta, etiam Hiſtoriam ſeu *Acta Translationis & Inventionis Reliquiarum & Miraculorum* ejusdem Apoſtoli, eodem Monacho Auctore ex tribus MSS. Codd. ſcilicet Trevirenſi Cartuſianorum, Budicenſi, & Ultrajectino ediderunt, quorum tamen nullus integra poſt eam inventionem patrata miracula continebat. Itaque ne quid in ſe deſiderari paterentur, miracula nonnulla *ex Annalibus Trevirenſibus Chriſtophori Brovveri* ſuppleverunt, ex quibus facilè colligas, Hi-

ſtoriam Miraculorum S. Mathiæ integram Browero ad maoum fuiſſe, tametſi quorſum Browerianus Codex deveniſſet, eo tempore, quo Bollandiani in illuſtrandis Apoſtoli rebus verſabantur, fortè neſciretur. Sed quæ demum cuoque illius Codicis fortuna fuerit, miracula omnia, phraſi primigenia deſcripta nobis ſervavit Codex bibliothecæ Mellicenſis, ſignatus Litt. J. num. 8. quingentorum annorum, ex quo proinde hoc *Supplementum Hiſtoriæ miraculorum* exprompſimus eo fioe, ut, ſi aliquando, quod viri eruditiſſimi meritò ſperant, volumina Bollandiana recudentur, eo ſuo loco inſerto, Anonymi Trevirenſis Opus redintegrari & reſtitui poſſit. Codex Mellicenſis nulla capitum diviſione inſignis eſt, eámque nos io Lectorum commodum addidimus. Continet præterea oon ſolùm hìc à nobis evulgata miracula, ſed ea etiam omnia, quæ à Bollaodianis & à Bròvvero publicata jam ſunt. Verùm nobis omnia recudere viſum haud fuit, ſed io iis proferendis ita nobis agendum cenſuimns, ut à noſtra edirione ea, quæ Bollandiani extulerunt, excluderemus: ea verò, quæ Brovverus dedit, retineremus, cùm is hæc non genuina & veteris auctoris phraſi, quam nunc viri docti uoicè poſcunt, ſed ſua exhibuiſſet. Eadem hiſtoria miraculorum extat etiam in membraneo Codice Mariæcellenſi quingentorum annorum, in quo tamen deſiderantur, quæ apud oos capp. XII. XIII. XIV. XV. & XVI. habentur, quod indicâſſe ſatis fuerit.

ACTA S. CHRISTOPHORI M. AUCTORE WALTHERO &c. à col. 27.

II. *Acta S. Chriſtophori M.* verſu & proſâ compoſita nobis ſuggeſſit inſignis Codex Imperialis Monaſterii S. Emmerammi Ratisbonæ, qui quidem ipſius auctoris ævo exaratus videtur. Fuit hic Waltherus Eccleſiæ Spirenſis *Hypolevita* ſeu Subdiaconus, ùt patet ex verſibus, quibus metricum ſuum Librum VI. concludit:

Hæc Hypolevita Waltherus ab urbe Nemeta
Pro vice Chriſtophori metrica depinxit amuſſi,
Cùm primùm regno ſucceſſit Tertius Otto.

Nec Spiræ muous tantùm Eccleſiaſticum geſſit, ſed etiam io eadem Urbe in lucem editus videtur, ſiquidem, ùt ipſe io Prologo ad proſaica S. Chriſtophori Acta teſtatur, *à parvis adhuc lactentis infantiæ cunis, ubi eum jam ſeptennis gratiæ puerum ludus imbuit litterarum, Divina cœlitus annuente clementia* Balderichum Epiſcopum Spirenſem, *non ſolùm omnis vigilantiæ in grege paſtorem, quin imò totius, ut ſit in filiis, ſuſcepit paternitatis auctorem.* Ejus ingenio ooo parùm delectatus eſt Baldericus, nihil prætermittens, quod ad uberiorem illius cultum pertineret. Itaque hoc Mæcenate uſus adoleſcens omnia liberalium diſciplinarum ſtudia tam feliciter coluit & emenſus eſt, ut cum doctiſſimis ſui temporis viris conferri potuerit, in Poëticis autem propè omnibus palmam præripuerit. Sanè qui rudiſſimis illis Ottooianis temporibus Waltherô verſus elegaotiùs ac eruditiùs ſcripſiſſet, oovimus oeminem. Quæ laus Walthero maximam etiam apud longè diſſitos præſtantes viros gratiam conciliavit, expatebantúrque paſſim opuſcula, ab exquiſito ejus ingenio profecta, ùt non obſcurè colligitur ex ejus Epiſtola ad Liutfredum, Benzooem, & Friderichum, *Collegas Urbis Salinarum*, id eſt: Saliſburgenſes, exarata, in qua ſcribit, ſe *modulationis* ſuæ *libellum* eis offerre, *quem viſendi gratia* eorum *poſtulavit adoptio.* Sed vitæ ac ſtudiorum ſuorum hiſtoriam ipſe Waltherus in ſuo *Scholaſtico* (ita enim Librum I. Metricum de Paſſione S. Chriſtophori voluit inſcribi) omnium optimè decantat, quem vide. Porro quamdiu ſcribeodi laude floruerit, incertum eſt, nec quiſquam hactenus, quod ſciamus, hujus Waltheri meminit, niſi Johannes Mabillonius, qui in Emmerammenſi bibliotheca hunc eundem, quo oos uſi ſumus, Codicem vidiſſe ſe ſignificat in *Itinere Germanico* pag. 59. *Vita*, inquit, *Sancti Chriſtophori auctore Walthero Nemetenſi Subdiacono, nuncupata eſt Balderico Epiſcopo, atque Hazechæ ſanctimoniali urbis Quidilinæ, id eſt: Quinaelinburgenſis, Cimiliarchæ* &c. Quæ feſtinanti ſtylo à Mabillooio notata eſſe ex noſtra editione patet. Waltberus enim ſolos priores ſex Libellos metricos de Vita & Paſſione S. Chriſtophori, à Balderico Epiſcopo emendatos, Hazechæ miſit, ùt apertè conſtat ex illius ad hanc epiſtola, laudatis ſex libellis ſubjuncta, ubi etiam occaſionem ſui Poëmatis exponit, nimirum Hazecham, Virginem *modeſtæ quidem ſapientiæ, totiúſque probitatis, à Scholis egreſſam, cùm libellum de virtutibus S. Chriſtophori inaudita in id genus verſuum dulcedine conſcripſiſſet, eundem Balderico, quaſi Magiſtro emendandi officio commendaſſe, ſed cùm id negotium* Epiſcopo *librarii ſui negligentia perdit*

dito libello præripuiſſet, ſibi, Waltbero, *eundem libellum gemina ſcribendum qualitate componendum* Baldericum *injunxiſſe. Quo præcepto perculſum ſe, ac Hazechæ pietate confiſum, injuncti operis officium toto niſu perfectum, præfati monitoris manibus in ſex quodammodo libellos diſperſum reportaſſe, atque ab eo emendatum, & ut rerum ſeries poſcebat, diligenter expoſitum, ejus præſentia ſervandum repoſuiſſe.* Quem locum hic pluribus reddidimus, ut ſimul denſiora ſphalmata, quæ col. 96. ſocordiâ typographorum in eum irrepſerunt, corrigeremus. Porro alter Waltheri Liber totus proſaicus, in quo capitulis lemmata nos præfiximus, itidem ſoli Balderico dicatus eſt, ùt patet ex Prologo, in quo præterea auctor commemorat, Baldericum *allato hiſtoriarum S. Chriſtophori libello hæc ſpeciali quadam familiaritate ſubjeciſſe: quoniam fili chariſſime, te meo ſervitio promptum videor videre, hunc, inquam, libellum, quem quorundam negligentium depravavit incuria ſcriptorum, tibi emendandum, vel potius juxta Maronis in verſibus diſciplinam, ſive Ciceronis in proſa, prout valeas, induſtriam, iterata ſtyli acie è veſtigio exarandum injungo.* Utrumque ſtrenuè exſecutus eſt Waltherus, Balderici in hoc opuſculo *præcipientis, & quaſi pede ac lingua præcedentis cautus veſtigium imprimens: cujus etiam ope*, inquit in Epiſtola ad Collegas Urbis Salinarum, *& gratia omnis, ſi qua tamen fuit, in hac quaſi arida ſarmentorum ſtrue ſcintilla refulſit.* Quique *recepto ſuæ creditionis debito, quod admonuit, ultra dignitatem ſua examinatione probavit, probatumque expoſitionis ſuæ pollice elimavit* &c. Ex quibus diſcimus, hunc Baldericum, qui apud Bucellinum German. Sacr. part. 1. anno 987. obiiſſe traditur, virum elegantioribus litteris præprimis eruditum fuiſſe. Sed hæc obſervata ſint duntaxat, ut Mabillonii verba rectè intelligantur. Cæterùm cujus fidei ſint Acta S. Chriſtophori à Walthero illuſtrata, doctiſſimis Patribus Bollandianis, quorum præcipuè gratiâ cum hæc cum alia plura in noſtram collectionem intulimus, diſcutiendum ſtatuendumque relinquimus.

III. Duabus partibus hoc vetus de S. Herculano monumentum conſtat, *actis* videlicet & *Miraculis* ſanctiſſimi Peruſini Epiſcopi. Nos etſi non neſciremus priorem jam dudum à ſupra nominatis Antverpienſibus Hagiologis ad primam diem Martii pag. 51. & ſeqq & noviſſimè in *Tractatu præliminari ad Tomum 1. Julii* cap. 6. eſſe publicatam: eam tamen, utut multiplicibus erratis & parachroniſmis fœdatam, una cum parte poſteriore, quæ illius miracula complectitur, hic recudere viſum eſt, tum quia brevis erat, tum quia id Prologus ſuadebat, qui mediis pauculis omiſſis cum miraculorum hiſtoria non ſatis aptè copularetur. Et ſanè ſi CL. Conrado Janningo ob unicum recens repertum miraculum integra ex S. Gregorio M. Herculani acta in ſupra citato Tractatu reddere operæ pretium fuit: cur id nobis non multo magis videatur, ut qui pluſcula, ab ipſo auctore, quiſquis demum ille fuerit, patrari viſa, ex Codice Mellicenſi proferimus? Porro hic Codex ſignatus Litt. M. 4. ex iis prægrandibus ſex membraneis voluminibus unus eſt, quæ circa annum 1470. Chriſtophorus Lieb, Cœnobita Mellicenſis de Actis Sanctorum collegit, & ex veteribus membranis deſcripſit. Ex Prologo & toto contextu ſatis patet, auctorem vitæ & hiſtoriæ miraculorum S. Herculani, quem Mellicenſis Codex *Herculianum* conſtanter vocat, ſuum opus in modum Sermonis, inter Divina Officia pro more recitandi, contexuiſſe. Floruit circa annum Domini MCXXV. Nam capite 5. (in capita nos diſtribuimus) narrat anno MCIX. ope S. Herculani afflictam mulieris, quam ipſe viderit, mamillam ſanatam eſſe, quo tempore auctor annos minimùm triginta natus fuerit. Et capite ſequente idem refert, *DEO placuiſſe contractam per unum annum puellam, per S. Herculianum facere ſuum miraculum, in Sancti Benedicti memoria, quæ tunc ſuit in Sabbatho Olivarum*, eo ſcilicet anno, quo Paſcha in diem 29. Martii incidebat. At enim ab anno MCIX. uſque ad MCLXXXVII. non niſi bis Paſcha in dictum diem incidit, ſcilicet anno MCXIV. & MCXXV. Igitur ni velimus enormem ætatem auctori noſtro tribuere, anno circiter MCXXV. floruiſſe dicendus erit. Idem Monachus vel Abbas Benedictini Monaſterii, quod Peruſii eſt, extitiſſe videtur ex loco mox adducto, ut alias plures conjectandi cauſas ſilentio prætereamus. Opuſculum hoc debes diligentiæ R. P. Heinrici Pachſmid, contubernalis noſtri, qui huic volumini exornando pluſcula contulit.

ACTA ET MIRACULA INTEGRA S. HERCULANI &c. à col. 124.

IV. Sanctæ Liutbirgis, in Halberſtadenſi Diœceſi recluſæ, nullus, quod quidem nos ſciamus, Sanctorum biographus aut Martyrologus hucuſque meminit, extinctùmque jam nunc

VITA S. LIUTBIRGIS RECLUSÆ &c. à col. 146.

nunc illuſtre hoc Germaniæ ornamentum in gentilium ſuorum animis eſſet, niſi ejus acta, ſincera ſanè ac pietatis plena, nobis eruditus Abbas Babenbergenſis, Andreas in Opere ſuo inedito *de Viris & fœminis Illuſtribus Ordinis S. Benedicti* conſervâſſet. Inde ergo deprompta Liutbirgis acta eò libentius noſtro Operi inſeruimus, quò ex iis major lux Hiſtoriæ Germanicæ ſeculi noni ſperanda erat. Porro de Liutbirgis ætate nullum dubitandi locum reliquit horum actorum collector Anonymus, fortè Monachus Corbeienſis in Saxonia. Nam à S. Theotgrimo Epiſcopo Halberſtadenſi, quem anno 841. è vivis exceſſiſſe Bucellinus tradit, in ſecretam cellulam recluſam fuiſſe narrat capite VIII. & Haymoni, Theotgrimi in eadem ſede ſucceſſori, qui anno 853. deceſſit, Sanctóque Bremenſium Archiepiſcopo Ansgario, anno 865. ad ſuperos translato, fuiſſe longè chariſſimam capite XVIII. commemorat, ac denique *temporibus Ludovici Junioris glorioſiſſimi Regis Francorum* obiiſſe capite ultimo diſertè dicit, id eſt intra annum 876. & 882. quos regni terminos Ludovico Juniori, Rhegino, Annales Metenſes ac Fuldenſes adſignant, tametſi Marianus Scotus eum anno primùm 883. elatum eſſe velit. Diem obitus Liutbirgis Anonymus noſter reticet. Nam verba illa: *XI. Kal. Januarii*, quæ ſollemnem hiſtoriæ clauſulam ſequuntur, non ab Anonymo, ſed ab Andrea addita videntur, qui & *in Calendario*, Operi de Viris Illuſtribus præfixo, Liutbirgis obitum hisce celebrat: 11. *Kal. Jan. Liutburga Sanctimonialis in Fulda.* Quod unde hauſerit Andreas, ipſo tacente, divinare non licet. Certè locus recluſionis Liutbirgis, atque adeo obitus nullibi ſat apertè ab Anonymo proditur. Non tamen Halberſtadio procul abfuiſſe, ex capite VII. VIII. & XVI. colligendum videtur, ubi Theotgrimus Epiſcopus Halberſtadienſis dicitur cum Comite Bernhardo, cujus familiam curabat Liutbirgis, *firmam amicitiam* habuiſſe, ad eum ſæpius inviſiſſe, ac denique *non cum parvo numero Presbyterorum ac ſecundi Ordinis & poſteriorum graduum numeroſa collectione cellulam manſiunculæ Liutbirgis, jam ad opus paratam ſua benedictione benedixiſſe, & aſperſionis aqua ſalubriter ſparſiſſe, atque in tam parvo domicilio veluti tugurio immiſſam, &, ſi non aliqua ingrueret rerum maximarum neceſſitas, interdixiſſe egreſſum, ſuiſque benedictionibus ac doctrina, paterno ſcilicet more conſtructam objectu parietis clauſam lachrimando diſceſſiſſe, oraſſeque, ut ad bonum finem propitiante Domino agonem ſuum perducere mereretur.* Ad hæc Capite XVI. ſcribit Anonymus, *quendum Comitem nomine Friderich in eadem villa domum ſimul cum fratre ſimiliter Comite nomine Adalger* habuiſſe, *cujus prænominati uxori, nomine Piæ, cùm ſolito more quotidie ad Miſias vel ad Veſpertinales preces ad illam Eccleſiam perrexerat, obitum matris, divinitus cognitum*, Liutbirgis indicaverit. Quæ non Fuldæ, nec Halberſtadio, ſed villæ cuidam celebriori, huic tamen propinquæ congruunt. Cæterùm in titulo hujus Hiſtoriæ col. 547. Auctorem ejus *circa ſeculum decimum ſcripſiſſe videri* diximus: quod etſi verum ſit, minus tamen accuratè notatum eſt. Ex Capite enim XVI. in quo ad *ſecretiora quidem ejus intellectus, quæ* ad ſe *aut ipſa Liutbirge referente venerunt, aut fidelium aſſertione virorum, aut mulierum veridica atteſtatione ac probabili ratione veraciter firmata ſunt*, enarranda ſe accingit, manifeſtum eſt, Auctorem Liutbirgi coævum, familiarem, ac fortè etiam Confeſſarium extitiſſe. Corrigendus itaque tam titulus, quàm dies obitus ad calcem Vitæ, ubi 2. *Kal. Jan.* pro 11. *Kal. Jan.* perperam excuſum eſſe ex hactenus dictis patet.

VITA S. ALBERTI ARCHIEP. CASSEL. &c. à col. 179.

V. Qui criticum in perbrevia quidem, ſed vetera & genuina S. Alberti Archiepiſcopi Caſſelenſis in Hibernia, Acta Commentarium deſiderant, adeant Bollandianorum Tomum primum Januarii, in quo ad diem VIII. de rebus SS. Eberhardi & Alberti (eæ enim ab omnibus conjunguntur) adeò eruditè ac diffusè diſputant viri doctiſſimi, ut nihil ſuperaddi poſſe videatur. Id tamen obſervamus, Auctorem vitæ S. Eberhardi *Paulum* vel *Paululum*, qui ſub finem ſeculi undecimi floruit, iis malè viſum *Paulum Bernriedenſem illum* fuiſſe, qui B. Gregorii VII. & B. Herlucæ vitas ſcripſit. Etſi enim *neque ætate multùm neque ſtylo diſcrepent*, utrumque tamen Paulum inter ſe diſtinctum eſſe apertè nos docet Anonymus Mellicenſis de Scriptoribus Eccle. cap. 64. *Paulus Judæus*, inquit, *Fuldenſis Monachus, Vitam S. Erhardi Ratiſponenſis Epiſcopi, ſed & de Converſione Sancti Pauli Apoſtoli compoſuit Proſam, quam vulgò dicunt ſequentiam, cujus hoc eſt exordium: Dixit Dominus: ex Baſan* &c. Itaque de Paulo S. Erhardi biographo res explorata eſt. Utinam quis auctor vitæ S. Alberti, ſeu, ut Codex noſter habet, *Albarti* fuerit,

fuerit, æquè conſtaret! Verùm nibil in hanc rem prodit Codex membraneus Imperialis Monaſterii Emmerammenſis in 4. quadringentorum annorum, ex quo iſthoc monumentum exſcripſimus, & in capitula præſcriptis ſummariis diſtinximus.

LUDUS PASCHALIS &c. à col. 186.

VI. In Notis ad Cap. XXIII. Vitæ Venerabilis Wilburgis ſeu Wilbirgis Recluſæ, anno 1715. Auguſtæ Vindelicorum à nobis in 4. editæ, ubi *quadam nocte Dominicæ Reſurrectionis, cùm in Monaſterio* [Florianenſi] *Ludus Paſchalis tam à Clero quàm à populo ageretur, quia eidem non potuit corporaliter intereſſe*, dicitur Virgo Chriſti *cæpiſſe deſiderare, ut ei Dominus aliquam ſpecialis conſolationis gratiam per Reſurrectionis ſuæ gaudia largiretur*, obſervavimus, videri hunc *Ludum* fuiſſe veluti theatralem quandam repræſentationem, qua Chriſti reſurgentis gloria ad ciendam fidelium devotionem piè exhiberetur, uti hodieque Chriſti Nativitas & Paſſio diverſis figuris & ſcenis in non paucis Catholicorum locis ob fidelium oculos reducuntur. Sed quod tunc opinati & ſuſpicati tantùm fuimus, viſis poſtea & repertis ejusmodi *Paſchalium Ludorum* pluribus exemplis, certiſſimum eſſe comperimus. Inſignis in his eſt *Ludus Paſchalis* in Codice Clauſtroneoburgenſis Canoniæ quingentorum annorum, in quo Reſurrectionis Dominicæ hiſtoria pereleganti ac pio Dramate proponitur. Incipit in hunc modum: *Primò producatur Pilatus cum Reſponſorio:* ingreſſus Pilatus. *Et ſedeat in locum ſibi prædeterminatum. Poſt hæc . . . Pontifices cantant:* O Domine rectè meminimus, quòd à turba ſæpè audivimus, ſeductorem conſuetum dicere: poſt tres dies volo reſurgere. *Reſpondet Pilatus:* ſicut mihi dictat diſcretio &c. In fine: *Et populus univerſus jam certificatus de Domino, Cantor ſic imponit:* Chriſt Der iſt erſtanden &c. Nec ſolùm in ſacris his ſcenis Myſteria Paſſionis, Reſurrectionis &c. Chriſti Domini repræſentabantur, ſed etiam ſacræ aliæ hiſtoriæ, quarum tamen epilogus plerumque Chriſti triumphantis gloriam ſpectabat. Illuſtre hujus rei exemplum iſte ipſe *Ludus Paſchalis de Adventu & interitu Antichriſti*, quem ex ſeculi XII. Codice Tegernſeenſi emittimus, præbet, ex quo præterea diſcimus, quæ fuerit Germanorum & Francorum de Romanorum Imperatoris poteſtate ac amplitudine ſententia, ut alia plura tum majorum noſtrorum ſcenam, tum opinionem de modo adventus ſpectantia, quæ ex hoc monumento elici poſſunt, taceamus. Ei perlubenter Ludum Paſchalem Clauſtroneoburgenſem adjunxiſſemus, niſi preces & litteræ, in quibus aliquod ejus apographum magno ſtudio requiſivimus, irritæ fuiſſent.

HENRICI ARCHIDIAC. SALZB. HISTORIA CALAM. ECCLESIÆ SUÆ &c. à col. 197.

VII. Antequam de hac Hiſtoria, egregiè ſanè ac eleganter, ſiqua alia hujus temporis, conſcripta, pluribus agamus, Lectores monemus, neſcio cujus incuriâ ordinem monumentorum à col. 145. uſque ad 267. inverſum ac perturbatum eſſe. Itaque ut temporum ratio haberetur, hoc ordine collocanda & à typographo extrudenda erant. I. illicò poſt Acta & Miracula S. Herculani *Vita S. Alberti Archiep. Caſſelenſis.* II. *Vita S. Liutbirgis recluſæ.* III. *Vita S. Alrunæ Marchioniſſæ Chambenſis.* IV. *Vita Chonradi I. Archiep. Salzburgenſis.* V. *Henrici Archidiaconi Hiſtoria Calamitatum Eccleſiæ Salzb.* VI. *Ludus Paſchalis.* Verùm quia nunc res ſemel facta infecta fieri nequit, Lectorem monuiſſe ſatis eſſe rati, deinceps obſervationes noſtras ad ſingula monumenta eo ordine accommodare pergemus, quo ea ab Operis typographicis excuſa ſunt. Hìc præcipuè de auctore Hiſtoriæ calamitatum Eccleſiæ Salzburgenſis Adilberto ſeu Alberto Archiepiſcopo & Friderico I. Imperatore inquirendum eſt. Ipſe in fronte Opuſculi ſui ſola littera H. nomen ſuum innuit potiùs quàm exprimit. Niſi tamen valde fallimur, is H. nullus alius eſt, quàm Heinricus Præpoſitus Berchtersgadenſis, qui anno MCLXXIV. ejecto Adilberto Archiepiſcopatum Saliſburgenſem adminiſtravit, ùt videre eſt tum in Chronico Saliſburgenſi Caniſiano Tom. VI. Antiq. Lect. tum Peziano Tom. I. Script. Rerum Auſtriacarum col. 345. tum denique apud Hundium & Gevvoldum in Metropoli Saliſburg. Tom. I. & II. Certè H. quisquis demum fuerit, capite ultimo manifeſtè nos docet, ſingularem Eccleſiaſticæ diſciplinæ curam in Archiepiſcopatu Salzburgenſi, abſente Adilberto ſuſcepiſſe ſe, imò *Archidiaconum* ſe vocat, *cujus tanta dignitas eſt, ut Epiſcopi Vicarius dicatur in Ordine Romano, ut qui vices Epiſcopi in illius Diœceſi exequatur: & Eccleſiarum viſitandarum ipſius loco curam ſuſcipiat*, ùt auctor eſt Carolus Du Freſne in Gloſſario, Verbo: *Archidiaconus.* Quæ omnia quàm egregiè Heinrico, pro Adilberto Archiepiſcopatum moderanti, conveniant, nemo non videt. Denique in neminem æquiùs Adilberti exulis Archiepiſcopi, ſuſpicio cadere potuit inſidiarum & machinationum, quàm in

Heinricum, favente Friderico Cæſare in adminiſtratione Archiepiſcopatus ſibi ſuffectum, à qua tamen labe H. tam in Præfatione quàm toto Opuſculo ſe integrum præſtare annititur. Cæterùm calamitatum Eccleſiæ Salzburgenſis ſub Adilberto Archiepiſcopo, quarum hiſtoriam ex coævo membraneo Codice Lambacenſi CL. P. Ildephonſus Prandtnerus nobiſcum communicavit, præter ſupra citatos auctores etiam meminit Auctor Anonymus Vitæ S. Gebehardi Archiepiſcopi Salzburgenſis, qua quidem parte ineditus adhuc eſt. Neque enim apud Caniſium Tom. VI. Antiq. Lection. integrum Opus Anonymi extat, ſed appendice benè longa id mutilatum eſſe comperimus ex membraneo quingentorum circiter annorum Codice Admontenſi. Quæ appendix cùm multa egregia, & cum præſenti Hiſtoria conjuncta quædam contineat, eam rei litterariæ bono hìc ad verbum dare haud importunum fuerit. Ea ſic habet.

Supplementum Vitæ S. Gebehardi, auctore Anonymo Admontenſi, à Caniſio vulgatæ Tomo VI. Antiq. Lect.

Ultima verba editionis Caniſianæ pag. 1252. *Scripſit hic in libros Regum quatuor, opus arduum ac luculentiſſimum, ſimiliter in Librum Judicum & Ruth egregiè commentatus eſt.* Tum ſequitur in Codice Admontenſi prima manu:

Cùm itaque ſanior pars Fratrum Domnum item Iſinricum Abbatem Biburgenſem expeterent, pervigili ſtudio & conſilio Domini Romani Gurcenſis Epiſcopi, qui tunc forte & in deceſſu prænotati Patris, & in electione alterius aderat, Abbas S. Lamberti in Admuntenſem Abbatem eſt electus. Sed cùm Monaſterium, cui præerat, ad B. Petri & Apoſtolicæ Sedis dominium ſpeciali jure ſpectaret, non abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate de loco illo ad noſtrum tranſire poterat. Proinde miſſus eſt nuntius cum litteris ſupplicatoriis Congregationis ad Apoſtolicum Alexandrum, qui tunc Venetiæ ob Concilium pro unitate Eccleſiæ reformanda inibi celebrandum morabatur. Is denique nulla ratione ut electioni hujuscemodi aſſenſum præberet, inflecti potuit dicens, ſe de ſpoliis proprii altaris quodlibet Salzpurgenſis Eccleſiæ altare nolle inveſtire. Apoſtolicæ igitur Sedis mandato electione caſſata Fratres omnes in Paſchali hebdomada convenientes unanimi electione quendam è Congregatione Rudolfum elegerunt, qui de longinquis regionibus adveniens per ſex annos bona & probabili converſatione religioſam inibi duxerat vitam. Quidam autem Fratrum ſimplici, quidam verò non ſimplici, ut in fine claruit, in perſonam illam convenerunt intentione, ſcilicet aliis ſanctimonia vitæ illius, aliis remiſſiorem ſuimet poſthac vitam pro ejus pia manſuetudine affectantibus.

Interea, id eſt: Anno Incarnationis Dominicæ MCLXXVII. Indictione X. Domino Deo ex alto proſpiciente, & naviculam beati Petri ſanctam Eccleſiam, videlicet à ſchiſmatis procelloſis turbinibus, quibus per decem & novem annos laborando fluctuaverat, ad portum tranquillitatis & pacis educente, religioſis mediantibus perſonis Concilium apud Venetias eſt habitum, ubi magna & celebri frequentia Prælatorum Eccleſiæ & aliorum Principum coadunata Domnus Apoſtolicus Alexander & Domnus Imperator Fridericus ſunt conciliati, ipſo Domno Imperatore & omnibus ſuis fautoribus ſchiſmati renunciantibus, & Apoſtolicæ Sedis præcepto ſeſe humiliter inclinantibus. Ibi ergo Domnus Adilbertus Salzpurgenſis Archiepiſcopus, quia Domnum Imperatorem valde offenſum habebat, pro bono pacis & concordiæ Salzpurgenſem Epiſcopatum conſilio & mandato Domni Apoſtolici reſignavit. Cui Domnus Chunradus, qui Mogontinam priùs rexerat Eccleſiam, ab Apoſtolico & Imperatore, conſenſu & voto ejusdem Eccleſiæ, qui ibi aderant, ſubſtituitur. Quibus etiam Prælatis ſeſe comitantibus Salzpurgenſis Eccleſiæ provinciam ingreditur, & apud Friſacum conventu Prælatorum & Miniſterialium Eccleſiæ ſolenniter ſuſcipitur. Antea verò quàm eundem locum ingrederetur, legatos Admuntenſis Congregationis pro electo ſuo Domno Rudolfo miſſos audivit. Quibus auditis per eoſdem nuntios & per ſcripta ſua tam electum quam & Seniores ac meliores Congregationis Friſacum evocavit, ubi & plures è Prælatis adeſſe præcepit. Quibus omnibus Friſaci adunatis cœpit de perſona electa & præſente diſcutere coram ipſis Prælatis & melioribus Congregationis, quorum etiam relatione compererat, ipſum electum tam in interiorum quàm exteriorum adminiſtratione minus ſufficientem. Fratribus igitur, qui aderant, tam pro ſe quàm pro omni Conventu bonam perſonæ illius per ſex an-

nos ſecum converſationem & unanimitatem electionis plurimùm commendantibus, Epiſcopus hac quidem ſibi admodum placere reſpondit, ſed de anteacta illius converſationis teſtimonio & ſacrorum Ordinum ſuſceptione ſeu promotione ſe ac Prælatos ſcire debere affirmavit. Quia ergo nemo aderat, qui pro his capitulis ei præberet teſtimonium, Archiepiſcopus ipſum electum in virtute obedientiæ cœpit conteſtari, ut ſimpliciter de ſuimet in ſacris Ordinibus promotione palam aperiret. Confeſſus eſt igitur, ſe ab Hermanno Conſtantienſe Epiſcopo ſacerdotii gradum accepiſſe.

Idem Domnus Rudolfus piæ memoriæ Abbas jam ſecundò factus, anno Dominicæ Incarnationis MCXCVIIII. quievit in Domino. Pro quo Domnus Johannes Abbas Biburgenſis, qui antea Prioratum Admuntenſem per multos annos tenuerat, eligitur, & à Domno Alberto Archiepiſcopo inveſtitur.

Item anno MCC. Domnus Albertus Salzpurgenſis Archiepiſcopus trigeſimo tertio Archipræſulatus ſui anno poſt multa gravamina, quæ paſſus eſt à Domno Friderico Imperatore ob defenſionem ſanctæ Eccleſiæ, & poſt plurimas infeſtationes iniquorum hominum contra eum & ſanctam Eccleſiam pro juſſu & voluntate Imperatoris ſævientium, tandem adjutorio DEI ejusque nobili providentia ac induſtria ſopitis omnibus majoribus ac minoribus, qui adverſus eum arma tulerant, cùm jam divitiis & honoribus omnes Juvavenſes Archiepiſcopos tranſcendiſſet, VII. Idus Aprilis diem clauſit extremum in ſede Archiepiſcopatus ſui, ibique debita cum honeſtate ſepultus eſt. Erat autem ſororius Domni Chunradi ſecundi Archiepiſcopi, cujus mentio eſt in antecedentibus. Tunc communi electione Cleri ac Miniſterialium electus eſt Domnus Eberhardus Brixinenſis Epiſcopus in Archiepiſcopum Salzpurgenſem & in Eccleſia Cathedrali inthronizatus.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCI. terræ motus magnus factus eſt per dimidiam ferè horam IV. Nonas Maji, ac deinceps frequenter adeò fortis, ut non nullas Eccleſias ſubverteret ac domos muratas, in quibus longè latéque magna ſtrages hominum facta eſt, inter quæ in caſtro Wizzenſtain turris corruens hoſpitem domus Hartrodi, Miniſterialem Ducis Stirenſis cum ſeptem viris interemit. Sed & caſtrum Archiepiſcopi Chaëts dirutum ferè omnes habitatores ſuos morti dedit.

Domnus Johannes Abbas Admuntenſis obiit anno Incarnationis Domini MCCII. pro quo Domnus Rudigerus ibidem nutritus & profeſſus, Prioris ac Sacriſtæ officium tenens canonicè eligitur. Qui quarto regiminis ſui anno, dum fortè in lapidicina laborantibus intereſſet, petra quadam in præceps decurrente percuſſus & mortuus eſt. Pro quo Domnus Wolframmus Durigena, qui de Monaſterio Reinerprunnenſi ad nos veniens per decem ferè annos nobiſcum fuerat demoratus, eligitur anno Domini MCCV.

Item Domnus Gotfridus, Frater noſter, Alberone Ozziacenſi Abbate defuncto, pro eo inibi ſubſtituitur.

Item anno Incarnationis Domini MCCVII. Domnus Wolframmus Admuntenſis Abbas paralyſi diſſolutus curæ paſtorali ceſſit, & ei Domnus Gotfridus Abbas Ozziacenſis ſubrogatur. Qui viginti propè annis gregem ſibi commiſſum fideliter gubernans, ad ultimum quieti & ſaluti ſuæ conſulens, Abbatiam ſpontanea voluntate reſignavit anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVI. VIII. Id. Decemb. & tertio die Domnus Wihpoto electus ſubrogatur, qui obiit anno regiminis ſui quarto, Dominicæ verò Incarnationis MCCXXIX. Pro quo Domnus Perhtoldus Puerenſis Abbas eligitur. Idem ad ſanctum Petrum in Salzpurch electus Admuntenſi Abbatia ceſſit. Pro quo Domnus Chunradus ibidem nutritus & profeſſus unanimi voto totius Congregationis XVI. Kal. Maji eligitur.* Qui poſſeſſiones Eccleſiæ augmentare ſtudens: quæ invenit, fideliter conſervavit, alienata ſive obligationibus ſeu alio quocunque modo, recuperare non ceſſavit. Adhæc emendo reditus, conſtruendo ædificia non pauca honorem Domus Domini ampliavit. In hoc opere laudabili & propoſito majora faciendi à Domino eſt vocatus ex hac vita per DEI gratiam præmia perpetua adeptus anno Domini MCCXLIII. habens annos regiminis ſui XI. & . . .

* Quæ hinc uſque ad finem ſequuntur, alia manu, coævæ tamen, in eodem cod. exarata ſunt.

Igitur Domno Abbate Chunrado defuncto, Domnus Pertholdus & Abbas, loci noſtri Frater & Profeſſus, cùm jam duarum Eccleſiarum, primò Biburgenſis, ſecundò Sevvenſis paſtor & rector extitiſſet, unanimi Fratrum electione pro ipſo ſubrogatur. Hic verè ſimplex & rectus, pius quoque ac timens Deum bona Eccleſiæ fideliter diſpenſando,

do, minimè diſſipavit. Ipſe etiam ſtructuram duorum ſacrariorum cum baſilica illis annexa Domno Friderico, tunc Sacriſta, ſibi in eodem opere pleniſſimè adminiculando fabricavit. Inſuper hoſpitum coquinam carniſariam, quæ hactenus lignea & domus humilis ac frequentiùs incenſibilis extiterat, propter urgentem neceſſitatis cautelam ſatis laudabiliter muratam exſtruxit. Eodem tempore multa turbinum & bellorum orta tempeſtate Fridericus Auſtriæ Styriæque Dux illuſtris in bello Regis Ungariæ dolosè proſtratus occubuit XVII. Kal. Julii. Ipſo etiam eodem anno Domnus Eberhardus piiſſimæ memoriæ Archiepiſcopus Juvavenſis, pacis amator præcipuus IV. Kalendarum Decembrium de vita medio evocatus migravit ad Dominum. Quos glorioſos Principes ideo memoriæ commendandos dignum duxerim, quia ipſis defunctis pax & ſecuritas totius terræ una cum ipſis funditus exſpiravit. Ea propter cùm Eccleſia noſtra tam ſeculari quàm ſpiritali patronatu orbata multigenis hinc inde preſſurarum ac tribulationum procellis crebrò agitata fluctuaret, hanc Dominus gratiam prædicto Abbati Perhtoldo conferre dignatus eſt, ut omnium malignantium corda ejus benignitatis ac manſuetudinis ſimul & bonæ converſationis ipſius opinio, multo plus à læſione Eccleſiæ compeſceret, quàm alicujus judiciariæ poteſtatis aſperitas eos abſterrere potuiſſet. Habens autem annos XVI. & menſes IV. regiminis ſui, infirmitate gravi aliquantiſper laborans contigit, ut infra ſollemnes dies Paſchæ omne habitaculum Sororum converſarum irrefrenabili incendio totaliter cremaretur. Quas in domo ſua ſtatim receptas diligenter recludi & cuſtodiri fecit. Ipſe verò præ nimia moleſtia cordis ſumens augmentum doloris uno poſt hæc evoluto menſe viam univerſæ carnis ingreſſus requievit in Chriſto VIII. Kal. Maji anno Domini MCCLIX. Pro quo Domnus Fridericus, ibidem nutritus & profeſſus, officium Sacriſtæ gerens canonica electione ſubſtituitur. Hactenus appendix Vitæ S. Gebehardi à Caniſio evulgatæ. Jam ad noſtra revertamur.

VITA CHONRADI I. ARCHIEP. SALZBURG. &c. à col. 219.

VIII. Quantus Præſul Chonradus eo nomine Primus Eccleſiæ Salzburgenſis Archiepiſcopus fuerit, facilè colliges ex iis, quæ tum duo antiqua Chronica Saliſburgenſia, in præcedenti paragrapho à nobis citata, tum Vita S. Gebehardi apud Henr. Caniſium, tum denique recentiores omnes rerum Saliſburgenſium Scriptores de illo ſcripta reliquerunt. Verùm qui ſingulari, quod illuſtria ejus acta merebantur, Opere Chunradi vitam proſecutus fuit Anonymus Raitenhaslacenſis vel Abbas vel Cœnobita, quà narrationis amplitudine, quà ætate illis omnibus præferendus eſt. Ejus Opus ex Codice Inclyti Monaſterii ad S. Petrum Saliſburgi, qui tamen trecentis annis antiquior non eſt, noſtri amore Ven. P. Leopoldus Wydemannus, Carthuſiæ Gemnicenſis Bibliothecarius exſcripſit, qui una mecum id unicè doluit, Codicem Petrenſem fœdiùs exaratum, Vitam Chunradi non niſi fine truncatam exhibere. Poſteriori malo ut omnem, quæ in noſtra induſtria ſita eſſe poterat, medelam afferremus, dedimus litteras ad Reverendiſſimum Dominum Emanuelem, Abbatem Raitenhaslacenſem cum humaniſſimis precibus, ut, quæ in Petrenſi Codice ſub finem deſiderantur, ex ſui Monaſterii *Libro Scripturarum*, in quo eandem Chonradi vitam extare Hundius in Metropol. Saliſb. pag. 8. tradit, ſupplere, nobiſcùmque benignè communicare ne gravaretur. Reſponſum Reverendiſſimi Abbatis hujusmodi fuit:

Admodum Reverende, Religioſiſſime ac Clariſſime Pater, Domine plurimùm Colende.

Secundo hujus Monachio redux accepi litteras reverentiæ veſtræ. His ut quamprimum ſatisfacerem, tam in Libro Sepulturarum noſtrarum, quàm aliis Vitam Conradi I. Archiepiſcopi Salisburgenſis perquiri feci. Et hæc bis inveniebatur, ſed utraque unius tenoris, paritérque abrupta, ita ut eadem verba, quæ R.V. in litteris annotavit, eidem finem imponant, cui quoque neque Præfatio nec Auctoris nomen appoſitum erat. Sed miror, quòd R.V. vitam hanc ex antiquis MS. ita ardenter deſideret, cùm in Hiſtoria Salisburgenſi à Clariſſimis Viris Joſepho & Paulo Mözger 1692. edita, eadem ad longum & omnibus numeris abſoluta reperiatur, quem librum ad manus fore non dubito. Interim tamen doleo, quòd voto R.V. ad votum reſpondere nequeam. Si in aliis ſervire potero, prompta erunt obſequia mea. Datum Raittenhaslachij 6. Decembr. 1719.

Paratus in Chriſto

Emanuel Abbas.

Ita

Ita Optimus & benigniſſimus Præſul: ex quibus vix ulla ſpes ſupereſſe videtur, quod ad calcem vitæ Conradi deeſt, recuperandi. Imò cum etiam Codices Raittenhaslacenſes mutili ſint, vero ſimillimum eſt, Auctorem anno ante Conradi obitum, qui anno MCXLVII. evenit, Operi ſuo Immortuum eſſe, ſiquidem adhuc paulo ante finem Monaſterii Raittenhaslacenſis fundationem anno MCXLVI. à Conrado factam concelebrat, in eaque narratione filum orationis abrumpit.

VITA S. ALRUNÆ MARCHIONISSÆ CHAMBENSIS à col. 251.

IX. Nec apud Matthæum Raderum io Bavaria Saocta, quod meritò miteris, nec apud Bollandianos ad diem XXVII. Januarii, nec apud ullum alium, qui quidem nobis viſus ſit, vel Saoctorum Biographum vel Martyrologum illuſtris hujus Chambenſis Marchioniſſæ Alrunæ oomen reperitur. Solus Gabriel Bucellinus ejus ſub nomine *Abruna* meminit, tametſi dum iſthæc ſcriberemus, locus Bucellini è Germania Sacra noſtræ memoriæ adeo pertinaciter ſe ſubduxerit, ut quidquid etiam volverimus & revolverimus, eum amplius aſſequi neutiquam potuerimus. Obiit Alruna VI. Kal. Februarii ſub finem ſeculi undecimi, utpote quæ capite 1. ſub S. Henrico Imperatore nata dicitur, & à *vita longiturnitate* cap 6. celebratur. Fuit voto duntaxat Monacha, noo profeſſione vel habitu. Nam ut cap. 3. ſcribit vitæ auctor, ſine dubio Cœnobita Altahenſis, qui ſeculo XII. floruiſſe videtur, *cupiens* Alruoa *mundanis ſe eximere curis & de medio Babylonis effugere, aſſumpto Religionis habitu vitam ſolitariam affectavit: quia nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſecularibus. Veruntamen à tali propoſito per venerabiles perſonas revocata, domeſticæ diſpenſationis gratia, quam mirificè explevit, exterior homo ſolicitudini Marthæ incubuit, nec interior Mariæ quietem deſeruit.* Hæc Anonymus vitæ ſcriptor, qui cap. 6. addit, *expleto tandem luctu multos Nobilium præſentes piè humeros feretro ſubjicientes, proſequente turba filiorum ac nepotum illorum illuſtrium Chambenſium, ſanctiſſimum corpus ejus in baſilicam S. Mauritii Altahenſis Cœnobii detuliſſe, ubi Pſalmorum & Hymnorum modulationibus ritè peractis venerabile corpuſculum ſub altari S. Oſvvaldi M. per manus quorumlibet Eccleſiaſticorum virorum honorificè quieſcat humatum* &c. Ad quæ vide, quæ Plurimùm R. D. P. Joachimus Stich anno 1717. Prior Altahenſis, fautor noſter eximius, annotavit. Eidem debuimus recens exemplum MS. hujus vitæ, quod cum Codice Mariæcellenſi trecentorum annorum contulimus, variantibus lectionibus in paginarum oras conjectis. Deoique dum io edendis S. Alrunæ Actis verſaremur, accepimus etiam à laudato Clariſſimo P. Priore *Rationes*, ùt vocat, *quibus beatæ Recluſæ Salome & Judith Monaſterio Inferioris Altahæ præ Superiori Altaichio vindicantur & aſſeruntur.* Quod ſcriptum cùm ab hoc loco non admodum abhorreat, & Patribus Bollandianis, quibus iſthæc pleraque deſtinamus, prodeſſe poſſit, hìc edere operæ pretium duximus. Eſt autem hujuſmodi:

Continuatores Actorum Sanctorum Bollandi ad diem 29. Junii pag. 492. beatas fæminas recluſas Salomen & Judith Superiori potiùs quàm Inferiori Altaichio tribuendas arbitrantur, eò quòd

1. *Iſthoc Inferius S. Mauritio, alterum verò S. Ægidio, ad cujus viſitanda limina B. Salome adveniſſe ſcribitur, ſacrum fuiſſe videatur.*

2. *Quòd ab anno MLXIX. uſque ad MLXXIX. Anglia nullum alium Regem habuerit quàm S. Eduardum, perpetuò virginem, cujus proin filia non potuerit eſſe B. Judith, beatæ Salomes amitina, ejúsque exemplum in deſerendo patrio ſolo ſecuta. Ex quo deducunt*

3. *Tempus vitæ iſtarum beatarum mulierum ſtatuendum potiùs circa annum DCCCLX. quo tempore Altaichio Inferiori nullus præfuerit Abbas* Walcherus *ſeu* Walkerus, *benè verò Superiori, quem & penultimum dicunt ante illius loci circa annum Domini 907. ab Hungaris factam vaſtationem.*

Hæc tamen tanti ponderis eſſe non videntur, ut propterea & antiquiſſimi MSS. Codices corrigendi, & perpetua conſtánsque apud utrumque Altaichium traditio evertenda ſit, præcipuè cùm neque ipſimet Superioris Altaichii incolæ vel ullo unquam indicio beatas has fæminas ſibi attribuere fuerint deprehenſi. Etenim quòd

1. *Beata Salome ad limina S. Ægidii veniſſe dicatur, nihil omnino facit pro Superiori Altaichio, ſiquidem & hoc B. Petro, nequaquam S. Ægidio ſacrum eſſe conſtat. Quòd ſi autem per illa limina ſolùm ſingularem illius cultum & celebrem in aliquo par-*

ticulari altari memoriam intelligamus, etiam apud Inferius ejusmodi olim altare extitiſſe novimus circa medium elapſum ſeculum una cum nonnullis aliis, quæ nimia ſua multitudine luminibus Eccleſiæ officere videbantur, eliminatum.

2. *Quòd Anglia circa annum Domini MLXIX. alium Regem quàm Eduardum, perpetuò virginem non habuerit, neutiquam dabunt Polydorus Virgilius Tom. 1. Hiſt. Angl. & Joannes de Buſſier Lib. 7. Hiſt. Franc. n. 8. qui anno MLXV. vel MLXVII. Guilielmum Conqueſtorem ex Duce Nortmanniæ ad regni illius ſolium evectum fuiſſe memorant: cujus etiam idem Polydorus recenſet quinque filias, nullam tamen inter eas Salomen. Sed quid prohibet ſuſpicari unam aut alteram ab eodem prætermiſſam, vel etiam binominem fuiſſe? Ut proin & hic omnia ſatis congruere cernantur ſine ulla neceſſitate beatas iſtas fœminas integro ut minimum ſeſqui ſeculo prius in vitam & ſcenam hujus Mundi producendi. Sicut & id, quod in vita num.* 18. *Litt. ſ. de* Engelberto *Iſtriæ Duce & Comite Orttenburgico (utut incidenter tantùm & per digreſſionem) inſeritur, apprimè congruit cum Arbore Genealogica hujus familiæ, ante viginti vel triginta annos circiter æri inciſa, in qua circa annum MXLII. exhibetur* Engelbertus *primus Comes de Orttenburg (locus eſt & S. R. I. Comitatus in Bavaria medio ferè intra Oenum & Danubium ſupra Pataviam itinere) & de Spanheim &c. Qui Comites etiam olim fuerunt Duces Carinthiæ, Comites de Lavant, Palatini Bavariæ &c. Neque illud etiam*

3. *Uſque adeo expeditum eſt, quod ille ſuperioris Altaichii Abbas Waltherus (qui in Hundii Metropoli vigeſimus quartus adeoque non* penultimus, *ſed* antepenultimus *ante vaſtationem dicitur) fuerit reipſa vigeſimus quartus. Siquidem teſte ipſomet Hundio, poſt Erneſtum primum ejusdem loci Abbatem ſubſequentium ſola nomina unacum die & menſe obitus ex Martyrologio commemorantur juxta conſuetum ordinem & ſeriem menſium ſine ulla mentione anni mortis, ſeu quòd eodem etiam ordine in regimine ſibi ſucceſſerint, id quod & aliàs vix credibile apparet, ut ſcilicet poſterior ſemper anteceſſorem, quemadmodum in dignitate, ſic & in menſe obitus ſubſecutus, & ſi prior in menſe Februario, alter in Martio, tertius in Aprili &c. defunctus ſit, nec ullus hunc ordinem interverterit. Dein aſſerunt etiam docti Continuatores*

4. *Everſo circa annum* 907. *Superiori Altaichio, ſtetiſſe Inferius, quod tamen ex eodem Hundio atque aliis Boicarum rerum Scriptoribus manifeſtè rejicitur, cùm utrumque Monaſterium eodem ferè tempore per iteratas Hunnorum irruptiones deſtructum, & in ſuis cineribus jacuerit, cum ſolo hoc diſcrimine, quòd Inferius centum propè annis ſub cura quorundam Canonicorum quomodocunque proviſum fuerit uſque ad annum* 997. *& tempore S. Godehardi, qui ex ultimo Canonicorum Præpoſito factus eſt Monachus & Abbas, atque exin Epiſcopus Hildesheimenſis, ut conſtat ex ejus vita ad diem quartum Maji. Tandem &*

5. *Cauſam noſtram non parùm promovet Reginhardus ille in vita hiſtoria num.* 22. *relatus, vicini & Monaſterio Inferioris Altahæ ſubjecti oppiduli* Helingersperg *ſeu* Hengersperg *incola ac perquam liberalis benefactor illius* Luitvvaldi *ex eadem cum BB. Salome & Judith proſapia oriundi, qui demum inquirentibus B. fœminam, ſacrum ipſius latibulum manifeſtavit: eam verò ex Superiori Altaichio tam commodè nôſſe non poterat.* Hucuſque Scriptum Clariſſ. P. Joachimi, cujus exemplum utinam brevi plures ſequantur! Hoc enim modo veritas quotidie amplius eluceſcet, nec exiguum ornamentum novæ Bollandianorum voluminum editioni couciliabitur. Audivimus multoties etiam viros doctos in his oris de Patrum Bollaudianorum cenſuris conqueri: ſed novimus paucos, qui ſe ad edocenda meliora & ſaniora vellent accingere. Itaque ſi qui deinceps, ſaltem è noſtris, futuri ſint, qui horum eruditiſſimorum virorum de quorundam Sanctorum Actis judicia iniquiùs ferant: meliorem ſuam, ſi quam habent, ſententiam in ſcripta redactam nobiſcum communicent, nec dubitent, omnia hoc modo ad illorum notitiam cum fructu perventura. Id tantùm omnes ſeriò commonemus, ut arma, quibus adverſus doctos viros pugnare volunt, probè ante congreſſum explorent. Si incertis ſolummodo traditionibus, hominum & ſcriptorum juvenum auctoritatibus, ſuſpectis Bullis & aliis id genus ſubleſtæ fidei monumentis rem agere inſtituent, nihil conficient, ſed viros doctos in ſua opinione ampliùs confirmabunt. Contra ſi Diplomatibus genuinis, veteribus codicibus MSS., ſi coævis aut ſupparibus Aucto-

Auctoribus muniti & veluti cataphracti pro veteribus ſuorum locorum Decoribus depugnabunt, tunc enimvero certiſſimæ victoriæ ſpes erit, imò communi omnium eruditorum nomine ac fide ſpondemus triumphum. Neque enim victas manus veritati dare doctos pudet: quin potiùs tunc ſe viciſſe credunt, cùm à ſola veritate devictos ſe vident.

LUDOVICI BARBI LIB. DE INIT. ET PROGRES. CONGREG. S. JUSTINÆ &c. à col. 267.

X. Famigeratiſſima jam à tribus in tota Italia ſeculis eſt Congregatio Monachorum Benedictinorum S. Juſtinæ de Padua, nunc ab Archimonaſterio Caſſinenſi *Caſſinenſis* cognominata. *Hæc eſt* enim, ùt Arnoldus Wion, ejusdem eruditus alumnus Lib. V. Ligni Vitæ cap. 6. ſcribit, *illa Reformatio, quæ conſiderata charitate DEI voluntatem propriam in manus aliorum relinquit, pro vanitate & ſuperbia Mundi aſſumit paupertatem & abjectionem: pro intemperantia continentiam diligit & puritatem. Hæc eſt illa fax projecta, quæ de rogo Sancti Spiritus iterum accenſa, pro frigiditate calorem, pro tenebris lucem aſſumpſit. Hæc divinum Officium in cænobiis diu neglectum ex integro & cum fænore reſtituit. hæc inſipientes illuminat, mores ſanctos inſtruit, pacem amat, concordiam diligit, conſervat charitatem, & breviter unumquemque juxta diſpoſitionem & capacitatem ſenſus ſui, in viam ſalutis & æternæ felicitatis dirigit.* Porro hujus adeò celebris Sodalitii hiſtoriam dudum Ordinis Benedictini Sodales, ab Italia longiùs remoti, deſiderârunt, probè gnari, non pauca ſe in illa deprehenſuros, quæ ſingularem quandam Dei in erigendo & proveheudo ejusmodi Cœtu & Congregatione providentiam loquerentur. Et verò rem eam omnem Divino Numine plenam fuiſſe, abundè hic *Liber de initio & progreſſu Congregationis S. Juſtinæ de Padua*, nunc Caſſinenſis, quem eruditiſſimus & humaniſſimus D. P. Joſephus Maria Sandi, Inclyti Monaſterii S. Juſtinæ Patavienſis Bibliothecarius nobis miſit, manifeſtat. Ejus auctor idem fuit, qui Congregationis, nempe vitæ ſanctimoniâ magnus ille Ludovicus Barbus, natione Venetus ex clariſſima Patricia familia de Barbo. *Hic* (verba Wionis damus ex Lib. 5. Ligni Vitæ cap. 6.) *Regulam Divi Auguſtini inter Canonicos Secculares S. Georgii de Alega, quod aliàs Monaſterium dall' Herba vocatur, eſtque Venetiis in via euntibus Patavium, edoctus, ob morum & vitæ integritatem prædicti loci Prior clauſtralis factus eſt. Et non multo interjecto tempore à Gregorio Papa XII. Abbas Monaſterii S. Juſtinæ Patavii creatus, anno Domini* 1408. *ſequenti munus conſecrationis accepit Arimini à Joanne Epiſcopo Caſtellano, ad hoc opus à præfato S. D. N. Gregorio XII. deputato, profeſſione tamen ſollemni priùs ſecundùm Regulam Divi P. N. Benedicti, viva voce emiſſa in hunc modum: ego Frater Ludovicus &c. Abbas factus ſtatim reformationi Monachiſmi invigilavit, & duobus ſociis Monachis adjuvantibus tantum effecit, ut negotium ſemel mente conceptum, ad opus tandem redegerit, quodam devoto Presbytero, nomine Marco, rem ipſam non modicum coadjuvante, qui hanc reformationem multò ante in ſpiritu ſe prævidiſſe aſſerebat.* Tum etiam, *idque non ſine Divina diſpenſatione factum, ut ſummus Pontifex, multíque alii tam Eccleſiaſtici quàm ſecularis ſtatus non infimæ dignitatis viri, hujus Congregationis ſanctitatis fama allecti, diverſa Monaſteria tum reformanda, eidem conceſſerint.* Tandem, *cùm Monaſterio S. Juſtinæ annis plus minus* 29. *præfuiſſet, & Præſidentatum quinquies ſumma cum laude adminiſtráſſet, ab Evgenio Papa IV. invitus & renitens Epiſcopus LX. Tarviſinus renunciatus anno* 1437. *eodem die* 15. *Aprilis conſecrationis munus accepit, & completis à conſecratione in Epiſcopatu annis ſex, menſibus quinque, cum magna ſanctitatis opinione, in Monaſterio S. Georgii majoris Venetiarum diem ultimum clauſit die* 19. *Septembris anno Domini* 1443. *& ad cænobium ſuum Sanctæ Juſtinæ de Padua reportatus, ibidem in Capitulo Fratrum ſub marmoreo ſepulchro ſepultus eſt cum hoc Epitaphio:*

Mille quadringentis Domini currentibus annis
Quadraginta tribus, Septembris menſe fluenti,
Progenie Veneta, Barbo Ludovicus in aſtris
Mente nitens, tumulo clauſus ſepelitur in iſto.
Splendidus ille fuit lucens virtute per Orbem:
Quin etiam clemens, humilis, ſuper omnia caſtus.
Alma Juſtina Patavæ tunc extitit Abbas,
Quum ſancti normam Benedicti conſolidavit.
Illinc Italiæ celebres luſtrando per urbes

Ornavit Monachis Chriſto famulantibus alto.
Conſilii ſancti Præſes, Præfectus & autor,
Eccleſiæ pacem tractando ſchiſma removit.
Evgenii quarti præcepto Præſulis Orbis
Antiſtes nolens eſt Tarviſinus inunctus.

Subdit verò Wion, Ludovicum *ſimplici ſed veraci ſtylo, de miraculoſa reformatione Monaſterii S. Juſtinæ, initio Congregationis ejuſdem & ejus progreſſibus ſcripſiſſe Librum unum, in cap. XV. diviſum*, quem compleverit Tarviſii anno 1440. Epiſcopatus ſui tertio pridie Cal. Julii, hoc initio Prologi: *Dilectis DEO & hominibus.* Tractatûs: *Fratres dilectiſſimi:* huncque MS. reperiri in omnibus ferè Caſſinenſis Congregationis Monaſteriis. Atque hic ipſe Liber ſeu Tractatus eſt, quem hìc publici juris facimus. Edidit præterea Ludovicus eodem Wione teſte *Tractatum de Forma Orationis & Meditationis pro ipſa Congregatione* tali exordio: *omnibus Fratribus Domino fideliter ſervientibus, de Obſervantia S. Juſtinæ:* fuitque MS. apud D. Conſtantinum Siracuſanum Monachum. At nos eundem Tractatum typis Conſtantini Munich Coloniæ anno 1644. in forma 16. excuſum in bibliotheca Monaſterii B. Mariæ V. ad Scotos Viennæ vidimus. Addit Wion duas adhuc Ludovici *epiſtolas*, unam *ad RR. PP. annales Capituli, in Concilio Baſileenſi ſcriptam*, cujus exordium ſit: *Dilectiſſimi & cariſſimi Patres:* alteram *ad futurum ſuum ſucceſſorem Abbatem S. Juſtinæ, ab eodem Concilio directam*, quæ ſic incipiat: *fili chariſſime*, & utramque eſſe MSS. apud eundem Conſtantinum Siracuſanum. Verùm ubi hodie extent, aut num aliquando prelum ſubierint, nos omnino latet.

VITA B. NICOLAI DE PRUSSIA &c. à col. 309.

XI. Nicolaum de Pruſſia titulo *beati* honorant Wion in Martyrologio Monaſtico ad diem 23. Februarii, Menardus, & Gabriel Bucelinus. Bollandiani ejus tantùm inter prætermiſſos ad eundem diem meminerunt, ajuntque *nihil de veneratione ſacra ad ejus honorem conceſſa* ſe intellexiſſe. Porro duos nactus eſt Nicolaus vitæ ſuæ ſcriptores, ùt nos docuit ſupra laudatus Cl. D. P. Joſephus Maria Sandi, cui etiam præſens inſigne monumentum acceptum ferimus. Primus eſt *Domnus Julianus de Janua*, beati Viri diſcipulus, Congregationis S. Juſtinæ de Padua Monachus, qui ea ſcripſit, *quæ de beato viro ipſo ex magna parte cognovit, ac etiam ea, quæ poſt ejus felicem obitum Dominus ad gloriam ſui nominis operari dignatus eſt*, ùt ipſe Julianus in Prologo teſtatur, tametſi ibidem non diſſimulet, ſe *non mediocriter ab opere retractum eſſe, quòd hujus beati viri non potuerit ad plenum ſingula quæque facta comprehendere, eo maximè, quia ſecreta, quæ habebat, narrare diſtulerit uſque ad mortis articulum, quando videlicet jam loquendi vires amiſerat, & cùm ſic moriens innumerabilia DEI magnalia ſe vidiſſe teſtaretur, quæ ob nimiam debilitatem reſerare non poterat.* Cæterùm Opus ſuum eleganter & ſatis accuratè compoſitum Julianus inſcripſit *Religioſo ac devoto DEI ſervo D. Placido Veronenſi*, quem anno 1500. Congregationi Caſinenſi præſediſſe tradit Arnoldus Wion Lib. 5. cap. 7. qui & in Martyrologio in Notis ad Diem 23. Februarii monet, illud MS. Buſchetti adſervari, unde fortè depromptum apographum ad inclytum Monaſterium S. Juſtinæ Patavienſis pervenerit. Alter B. Nicolai de Pruſſia Biographus fuit *Marcus Cremonenſis*, qui clariſſimis natalibus ortus Monaſticum habitum ſuſcepit in S. Juſtinæ familia die 13. Aprilis anno 1488. ùt conſtat ex *Matricula Monachorum* ad dictum annum. Monachus factus cœpit in ſtudia ſacrarum Litterarum toto niſu incumbere, ſubindéque in iis tantum profecit, ut omnes in ſui admirationem pertraheret. Erat illius in elucidandis & enarrandis Divinis Scripturis oratio adeò efficax, ut diffuſa per Urbem Patavinam illius fama paſſim ad ipſum ùt Magiſtrum & Doctorem nobiles ignobiléſque confluerent. Verùm invida mors è vivis eum ſuſtulit anno 1539. 20. Januarii. Ejus opus *de Vita B. Nicolai Pruteni* extat MS. in bibliotheca S. Juſtinæ, ac poſt epiſtolam nuncupatoriam his verbis incipit: *conſueverunt, qui alienos mores &c.* Porro quia hæc Nicolai vita multò recentior eſt illa, quam Julianus poſteritati reliquit, ejus exſcriptione fatigare noluimus Cl. amicum noſtrum Joſephum, qui tamen aliis, ſiqui petierint, pro ampliſſima ſua humanitate & in eruditos omnes benevolentia ejus apographum nunquam denegabit.

ANONYMI EPISTOLA DE REBUS ANNI MCCCLVI. &c. à col. 342.

XII. Inſignis eſt hæc Epiſtola de rebus memoria dignis, quæ anno MCCCLVI. &c. per Evropam evenerunt, ſcripta à quodam magnæ dignitatis & prudentiæ viro, utpote qui paulo poſt initium ſe à ſcribendo retractum fuiſſe dicat *ex multis continuò negotiis, quæ ex*

arce

arce Metropolitica, inquit, *& Republica, cui præſum, ſurgunt.* Quæ autem illa *arx Metropolitica & Reſpublica* fuerit, nondum certum habemus. Epiſtolam datam eſſe ad *Henricum de Eckenfeldt*, Carthuſianum Gemnicenſem exiſtimat Ven. P. Leopoldus Widemannus, ejusdem Carthuſiæ Bibliothecarius, cujus etiam benevolentiæ hanc veluti epiſtolarem anni milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi ſexti Hiſtoriam debemus.

MONUMENTA VET. RES S. SIMPERTI ILLUSTRANTIA &c. à col. 353.

XIII. De rebus S. Simperti Epiſcopi Auguſtani ex recentioribus permulti egerunt, ùt Gononon in Vitis Patrum Occidentis, Bernardus Hertfelder in Baſilica S. Udalrici & Afræ, Carolus Stengelius in Chronici Eccleſiaſtici Auguſtani, Germanicè ſcripti Libro 2., Corbinianus Khamm in Hierarchiæ Auguſtanæ parte 1. Johannes Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæc. IV. parte II. aliíque. Ex quibus Mabillonius ſeriùs quàm ordo temporum poſcebat, de S. Simperto tractavit cùm propter alias cauſas, tum ob id, quòd *accuratum, ſi fieri poſſet, ejus vitæ Scriptorem exſpectaret. Nam quæ apud Gononem in Lib. 4. de Vitis Patrum Occidentis, & quæ in Auguſtano Chronico Sigismundi Monachi de Simperto leguntur, leviſſimæ,* inquit, *ſunt auctoritatis.* Cúm verò ibidem Mabillonius elogium duntaxat Hiſtoricum S. Simperti texat, nequiquam virum doctiſſimum certiora & firmiora ſperâſſe ac exſpectâſſe ſat certum eſt: id quod nobis Auguſtam Vindelicorum delatis maximo incitamento fuit ea omnia ſolicitè corrogandi, quæ veterum ſtilo tradita ſanctiſſimi hujus è noſtris Auguſtani Præſulis acta poſſent illuſtrare. Quocirca nos haudquaquam infelices fuiſſe, hic facilè agnoſcent lectores, quorum oculis ſat ſpiſſum hujusmodi monumentorum, res S. Simperti illuſtrantium, faſcem ex Codice Imperialis Monaſterii Udalricani, benevolentia Admodum R. D. P. Antonii Supprioris & Tyronum ibidem Magiſtri longè digniſſimi ad nos perlato exhibemus.

ADILBERTI VITA S. SIMPERTI à col. 355.

Horum monumentorum primum eſt *Vita S. Simperti auctore Adilberto* prædicti Cœnobii Priore, de cujus ætate cùm multis eruditus Bollandi Socius Tom. VII. Maji pag. 548. diſſeruiſſet, ita demum num. 409. pronuntiat: *quandonam Adelbertus iſte vixerit, mihi non conſtat: nec puto ſcient dicere Udalriciani Monachi, quorum cœnobium totum conflagrâſſe anno MCCCXXXIII. ſcribit Bernardus Hertfelder in brevi ipſius loci Chronico, poſt luculenter deſcriptam SS. Udalrici & Afræ baſilicam ante hos LX. annos ibidem Prior &c.* At verò ætatem Adilberti probè novit Corbinianus Khamm Cœnobita & Senior Udalricianus, qui in Hierarchiæ Auguſtanæ Part. III. cap. 1. ſect. XX. apertè ſcribit, Hildebrandum Abbatem Udalricianum *Adilberti, Monaſterii Prioris, vitæ SS. Udalrici, Afræ, & Symberti Scriptoris, Viri qua litteris, qua præclariſſimis geſtis celeberrimi teſtamentum, miras & ſtupendas eleemoſynas complectens confirmâſſe.* Cùm igitur eodem Corbiniano Khammio teſte, Hildebrandus Monaſterio S. Udalrici ab anno 1230. uſque ad annum 1243. præfuerit, Adilberti ætas dubia eſſe non poteſt. Porro Vitam S. Simperti, quam hic edimus, compoſuit, *ad hoc inductus & illectus gratiæ ſuæ beneficio ſibi ad ſepulchrum illius collato in quadam incommoditate corporis, qua laboravit tunc temporis,* ùt ipſe teſtatur in Præfatione, in qua etiam ait, *quia penè omnia ejus geſta per incuriam & negligentiam tunc viventium non ſunt ſcripta, pauca tamen, quæ de eo ſcripta reperit, aut indagando cognovit, hic in unum coadunando deſcripſiſſe.* Cæterùm etſi Adilbertus hanc vitam communibus locis ſæpius expleat, ea tamen vel eo nomine magni facienda eſt, quod ab omnium, qui de S. Simperto ſcripſerunt, antiquiſſimo auctore profecta ſit, qui ſatius ſibi poſteríſque fore exiſtimavit, ingenuè fateri, plurima S. Simperti acta intercidiſſe, quàm nova & mira, ne dicamus fabuloſa confingere. Capite 1. notatu dignum eſt, quòd tantùm *ex veridica ſeniorum ſuorum relatione, & ex antiqua ad ſe deducta traditione* audiviſſe ſe dicat, Simpertum *ex ſorore nepotem Domni Karoli Regis & Imperatoris fuiſſe, & ex regia ſtirpe genealogiam duxiſſe,* non expreſſo nomine ſororis Karoli, quod *Symphorianæ* fuiſſe Bruſchius aliíque recentiores commemorant, tametſi, ùt eruditè animadvertit Mabillonius, inter Pippini Regis, patris Karoli, filias Symphoriana deſideretur. De aliis Adilberti Opuſculis alibi pluribus agemus.

S. SIMPERTI STATUTA MURBACENSIA. à col. 371.

Alterum monumentum, res S. Simperti ſpectans ſunt *Statuta Regularia Monaſterii Murbacenſis*, cujus eum Abbatem ante Auguſtanæ Eccleſiæ regimen fuiſſe nemo cum Carolo Cointio deinceps negabit. Nos integrum authenticum de inventione & exſcriptione horum ſtatutorum inſtrumentum ex eodem codice deprompſimus, ex quo tum præcedentem vitam, tum ſequentia miracula diverſis temporibus invocata S. Simperti ope patrata

*m dedi-

dedimus. Ad *Synodum* verò *in Francia juſſu Karoli celebratam*, cui in Regularium Statutorum titulo Simpertus *perſonaliter interfuiſſe* dicitur, quod attinet, vide, quæ Carolus Stengelius in Commentario de rebus Auguſtanis in Simperto Epiſcopo ſollerter obſervavit.

ANONYMI UDALRIC. LIBER MIRAC. S. SIMP. ab an. 1465. ad 1471. col. 382.

Tertium Sanct-Simpertinum monumentum eſt inſignis Liber miraculorum S. Simperti, quæ ab anno 1465. uſque ad 1471. contigerunt. Librum ſuum auctor in *tres Diſtinctiones* diſtribuit, idque, tametſi in Codice nomen nullum appareat, inſcripſit Melchiori, Abbati Udalricano ex Monacho Mellicenſi creato anno 1459. & anno 1474. die 30. Januarii defuncto. Hujus Libri conditorem exiſtimaremus alium non eſſe quàm celebrem illum *Sigiſmundum Magiſtrum* ſeu *Maiſterlein*, qui in Chronico Auguſtano, anno 1483. collecto, reſtatur, ſe *duos libellos de miraculis S. Simperti* edidiſſe, niſi nobis diſtributio in Diſtinctiones obſtarét. Certé ætas Scriptoris cum Sigiſmundi annis egregiè congrueret, nec abnueret ſtylus & rerum domeſticarum ſtudium ac pietas, quæ in Chronico Auguſtano Sigiſmundi, à Piſtorio evulgato, paſſim relucent. Verùm de hoc videant eruditi.

ANONYMI UDALRIC. LIB. MIRAC. S. SIMP. ab an. 1488. ad 1495. à col. 399.

Quartum monumentum, quo res S. Simperti illuſtrantur, eſt alius *Liber Miraculorum*, quem quidam Cœnobita Sanct-Udalricanus hortatu Sigiſmundi Magiſtri & Conradi Morlini Prioris, in verſibus Libro præfixis condidiſſe ſe affirmat. Utitur is oratione rudi ac ſimplici, quæ tamen rerum geſtarum, quas oculis ſuis ipſe vidir, veritatem non dedecear. Hiſtoria hæc miraculorum ab anno 1488. ad 1495. pertingit, eaque à nobis, ut reliqua omnia, in certa capita præfixis eorundem ſummariis diſtincta eſt.

ACTA SECUNDÆ INVENT. ET TRANSLAT. S. SIMPERTI. à col. 431.

Quintum monumentum, ex quo res S. Simperti lucem accipiant, conſtat *Actis ſecundæ Inventionis & translationis Reliquiarum S. Simperti*, quæ ſub Johanne de Giltlingen Abbate Udalricano anno 1491. ſuſcepta fuit. Nam de prima tranſlatione ita ſcribit Adilbertus in vita S. Simperti cap. 5. *Anno primo ordinationis Embriconis Auguſtenſis Epiſcopi, qui eſt ab incarnatione Domini milleſimus quartus, relictis ab anteceſſore ſuo quinquaginta talentis argenti, Eccleſia ſancta Affræ, ut hodie cernitur, à fundamentis conſtruitur, & multa Sanctorum corpora reperiuntur. Perfecta itaque templi ſtructura corporis ejus reliquiæ cum aliis ſanctorum Confeſſorum Wicterpi & Nicgarii & Adilberonis ad Auſtralem partem baſilicæ ſub quodam fornice in eum, ubi nunc venerantur à populo, locum decenti honore ſunt retumulatæ &c.* Porro Codex Udalricanus coævus, ex quo uti & omnia hæc monumenta non ſine graviſſimis laboribus & ſudoribus R. P. Henricus Pachſmid, ſodalis noſter diligentiſſimus, hujus tranſlationis Hiſtoriam exſcripſit, annum 1489. præfert. Aſt eum merum calami errorem eſſe reliquus contextus demonſtrat.

ACTA TRANSL. TERT. S. SIMPERTI. à col. 442.

Sextum monumentum Sanct-Simpertinum exhibet Auctoris Anonymi Udalricani *Acta tertiæ Tranſlationis Reliquiarum S. Simperti*, quæ anno 1492. *vigeſima tertia die menſis Aprilis*, tunc *feria tertia Paſchæ*, contigit. Hanc Tranſlationem in titulo Operis mirum eſt dici *ſecundam*, cùm ipſe auctor initio narrationis ſuæ eam tranſlationem, quæ anno 1491. facta eſt, *ſecundam inventionem* dicat. Nos tamen titulum in Codice poſitum, quem Italicis litteris excudendum curavimus, mutare noluimus, cùm auctor eam tranſlationem, quæ re ipſa tertia eſt, ſecundam dicere potuerit nulla habita ratione illius, quam ſub Embricone Epiſcopo ſeculo undecimo factam fuiſſe ſupra ex Adilberto adnotavimus.

FRIDERICI EP. AUGUSTANI DECRETUM DE TRANSL. S. SIMPERT. &c. à col. 353.

Hoc *Decretum Friderici Epiſcopi Auguſtani* eodem prope tempore à Cl. P. Corbiniano Khamm in Hierarchia Auguſtana part. 3. c. 1. evulgatum eſt, quo noſtra volumina ſub prelo gemebant. Noſtra tamen editio eo nomine viris eruditis jucundior erit, quòd omnia teſtium & publicorum Notariorum, qui hoc inſtrumentum auctoritate publica confecerunt, nomina complectatur, quæ in editione Khammiana deſiderantur. Cæterùm non ab re erit eruditos lectores admonere, longè plura S. *Simperti miracula*, ab anno ſcilicet 1500. uſque ad hæc ferè tempora patrata, in egregio Opere Bernardi Hertfelder, quod *Baſilicam S. Udalrici inſcripſit*, nuperriméque ab A. R. & Cl. P. Romano Kiſtler, Cœnobita & Cuſtode Imperialis Monaſterii S. Udalrici & Affræ in Germanicum idioma converſum & multis partibus auctum eſt, recenſeri. Nos id unum hìc operam dedimus, ut antiquiora & obſcuriora ex ſæpius laudato Codice chartaceo, cui mador & vermes interitum comminabantur, erueremus.

GEORGII PRIORIS GEMNICENS. EPHEMERIS &c. à col. 454.

XIV. *Acta Eruditorum*, quæ Lipſiæ idiomate Latino publicantur, anno MDCCV. Menſe Aprili pag. 151. & ſeqq. nos edocent, anno 1704. Londini Volumina IV. in folio evulga-

evulgata eſſe, *continentia Syllogen Itinerariorum, quorum aliqua è linguis exoticis in Anglicam translata, alia tunc primum è ſchedis auctorum prodirent: quibus acceſſere quædam & olim Anglicè impreſſa, ſed rariora & præſtantiora.* Tum recenſentur Opuſcula I. Voluminis, inter quæ pag. 425. *Martini Baumgarten Iter in Ægyptum, Arabiam, Palæſtinam & Syriam anno* 1507. *inſtitutum, è Latino exemplari, quod manu Joſephi Scaligeri emendatum erat, Anglicè, præmiſſa Auctoris vita, translatum* refertur, *in quo præterquam, quod multa de veteri harum regionum hiſtoria inſerta ſunt, ſingularia habeantur, quæ de Mamalucis Auctor affert.* Atqui hoc ipſum eſt Georgii Gemnicenſis Cartuſiæ in Auſtria Prioris opus, quod nunc primùm è MS. Codice ejusdem loci Latina & primigenia phraſi ac oratione ſcriptum in lucem publicam efferimus, cùm exemplar Scaligerianum typis fuiſſe excuſum haud videatur. Cæterùm Georgium Gemnicenſem, non Martinum Baumgartner, quem Anglicanus Collector malè *Baumgarten*, vocat, ſequentibus argumentis evincit P. Leopoldus Wydemannus, ejusdem Cartuſiæ Bibliothecarius, qui elegantis & accurati Operis apographum è ſuo nobis Codice ſuppeditavit. Ac primò quidem Martinum Baumgartner non eſſe harum Ephemeridum auctorem vel unicum Caput 1. Libri 1. demonſtrat, in quo illico poſt initium Scriptor Itineris ſe *in oppido Kueffſtein juventuti inſtituendæ præfectum, cum Nobili viro Martino Baumgartner, ejusdem loci indigena* anno 1507. *conveniſſe, & famulatus ſuſcepta conditione Romam ab eo miſſum eſſe pro obtinenda peregrinationis hujus ſanctæ venia, aliisque certis privilegiis & articulis ad hoc accomodandis*, diſertiſſimè teſtatur. Non igitur hujus Operis ſeu Deſcriptionis auctor, ſed Dux & Patronus peregrinationis fuit Martinus Baumgartner. Secundò auctorem horum trium Librorum fuiſſe aliquando Ordinis Cartuſiani alumnum, non minus certum eſt ex Capite 22. Libri II. ubi domum illam in Urbe Hierichuntina, in quam ſe receptum pernoctâſſe ſcribit, *à Venerabili Patre ſuo Ludolpho Carthuſienſi in Libro Vitæ Chriſti dici eſſe domum Meretricis Raab* animadvertit. Tertiò, Catalogus Librorum bibliothecæ Gemnicenſis anno 1565. concinnatus his verbis præſens Opus indicat: *Ephemeris cujusdam Cartuſienſis* Lit. E. Imò ipſiſſimus, qui in hoc Catalogo recenſetur, Codex hodieque ſuperſtes, hanc à tergo inſcriptionem præfert: *Ephemeris ſive Diarium peregrinationis Terræ Sanctæ cujusdam Cartuſienſis.* Porro etſi non conſtet, quo præcisè anno memoratus Codex exaratus ſit, id tamen certum eſt, ante annum 1532. eſſe ſcriptum. Hoc enim anno mortuus eſt P. Mathias Vicarius & Sacriſta Cartuſiæ Gemnicenſis, qui Librum tertium hujus Itinerarii ad juvandum Auctorem ſua manu exaravit. Imò eundem Codicem jam ante annum 1521. exaratum fuiſſe, ex eo patet, quòd Pater Udalricus Freydanck Græcio-Styrienſis, qui & ipſe quandam controverſi Operis partem deſcripſit, anno 1521. poſt mortem Meinradi Prioris Cartuſiæ Agsbacenſis, eodem anno, die 15. Auguſti defuncti, factus ſit ejusdem Meinradi in eodem Prioratu ſucceſſor, & poſt breviſſimum regimen eodem adhuc anno, die 25. Novembris è vita exceſſerit. Quartò exploratum eſt, Codicem ipſo præſente Auctore in Cartuſia Gemnicenſi à memoratis ſcribis perſcriptum fuiſſe, ex quibus quidam ad calcem ſui penſi hos verſus adſcripſit:

Quæ fugerant noſtras manus, hæc Frater dabit alter:
Sic liber optatus gaudet bono fine potitus.
Auctor manus Libro ferat, hic ſcaturit quia mendis.
Sic opus inſigne noſtros mulcebit ocellos.

Ex quibus verſibus, utut rudibus, perſpicua Librarii ſpes eſt, fore, ut menda ab ipſo, utique præſente Gemnici auctore, corrigantur. Quintò Opus autem à Georgio Gemnicenſi conditum fuiſſe probat manus, uti conjicit P. Leopoldus, Bartholomæi Maringii, Prioris Gemnicenſis, anno 1604. in Februario demortui, qui rubricam Codicis à tergo correxit, & verbo: *cujusdam*, ſubſtituit: *Gregorii noſtri Profeſſi hìc in Gemnico.* Potuit Bartholomæus, utpote qui Auctoris ſeculo in ſacro Ordine vixit, vel ex ſenioribus nomen ejusdem intelligere, vel alicubi legere, eaque ratione ductus inſcriptionem Codicis mutare. Nec admodum moveat, quòd *Gregorium* vocaverit auctorem, quo nomine nullus toto illo ſeculo in Gemnicenſium Cartuſianorum albo reperitur. Cùm enim à quadringentis annis nomen *Georgii* apud noſtrates paſſim ſcriberetur *Georii*, facili

ſanè lapſu ex *Georgio Gregorius* fieri potuit. Poteſt & illud eſſe, quòd in ſtatu ſeculari auctor fuerit *Gregorius* vocatus, & nomen *Georgii* in ſacra Profeſſione adoptârit. Certum quippe eſt, jam inde à ſeculo XV. apud Cartuſienſes nomen Baptiſmale in aliud nomen tempore Profeſſionis vulgò fuiſſe immutatum. Congruit egregiè ipſa temporum ratio. Nam anno 1508. nullus adhuc Gemnici fuit Georgius, ùt patet ex originaria Epiſtola ad Reverendiſſimum Patrem Generalem eo anno data, & à ſingulis Gemnicenſibus Monachis ſubſcripta, inter quos nullus nec Georgius nec Gregorius. Aſt anno 1514. Georgium quendam Gemnici jam fuiſſe Vicarium ex duplici authentico inſtrumento Gemnici adſervato conſtat. Potuit ergo anno 1508. ſub finem anni aut ſequenti ibidem in numerum Novitiorum adſciſci, & anno 1514. Vicarius creari, maximè cùm ipſum maturioris fuiſſe ætatis non ſolùm ex Ludi magiſterio & Itinere Jeroſolymitano, ſed etiam ex Polonico & Ruſſiaco, cujus Lib. II. c. 17. meminit, ſat certò colligi poſſit. Porro Vicarii ac poſtea etiam Procuratoris munere Georgius Gemnici functus fuit uſque ad annum 1526. quo Cartuſiæ Agſpacenſis Prioratum adminiſtrare cœpit. Anno 1529. *tempore tribulationis*, ùt in Serie Priorum Agſpacenſium dicitur, idem munus Gemnici geſſit. Extant adhuc ibidem litteræ Joannis Fabri, Ferdinando I. à ſacris Confeſſionibus, poſtea Epiſcopi Wiennenſis, hoc eodem anno ad Georgium datæ, quibus eum ad incommoda temporis æquo animo perferenda, & ad pendendam in exercitum Cæſaris quartam Monaſticorum proventuum partem hortatur. Id ni quamprimum faciat, minatur iram & indignationem Ferdinandi. Neque tamen unquam iis minis expugnatus fuiſſet Georgius, Ordinis & Cartuſiæ ſuæ privilegiis tectus, niſi novo ex Hiſpania in Auſtriam Duce advenτante major neceſſitatis quàm juris ratio habita fuiſſet. Quæ res cùm graviſſimum Carthuſiæ Gemnicenſi damnum attuliſſet, Georgium ad cedendum paucòrum menſium Prioratu adegit. Anno 1534. à Capitulo Generali Prior in Fränitz deſignatur, quem tamen Prioratum vel nunquam acceptavit, vel acceptato intra annum ſe abdicavit. Anno 1542. in Syllabo mortuorum, more Sacri Ordinis ad Provincias miſſo, etiam nomen *Georii olim in Gemnico profeſſi & Prioris* reperitur, quod argumento eſt, Virum doctum, pium, eruditúmque anno 1541. mortem cum vita commutâſſe. Atque hæc ſunt, quæ nobis de Georgio, genuino harum Ephemeridum Auctore ſæpe laudatus Bibliothecarius Gemnicenſis ſuggeſſit, quæ num ſolidiora ſint iis, quæ Anglicanæ Collectionis Concinnator de auctore hujus Operis diſſeruiſſe dicitur, expendent viri eruditi, qui ea cum noſtris conferre non gravabuntur. Sed Obſervationum in Tomum ſecundum noſtri Theſauri ſatis, in quem quia pluſcula vitio typographorum errata irrepſerunt, ea pleraque emendata ad tertii Tomi calcem Lector reperiet.

Theſauri Anecdotorum Noviſſ.

Tomi II. Pars I.

THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

TOMI II.

PARS I.

Digitized by Google

B. FLACCI ALCUINI,

ORD. S. BENED.

OPUSCULUM.

DE

COMPARATIONE NOVI
ET VETERIS TESTAMENTI A DENARIO NUMERO USQUE AD UNUM,

deque myſtico ſingulorum ſignificatu.

Acceſſerunt ejusdem Epiſtolæ Septem ad Arnonem, Antiſtitem Salzburgenſem.

Eruit ex MSS. Codd. Inclytorum Monaſteriorum, S. Emmerammi, & Benedictoburani Ord. S. Bened. P. Bernardus Pez, Benedictinus & Bibliothecarius Mellicenſis.

B. FLACCI ALCUINI OPUSCULUM.

*Sic inſeribitur hoc Opuſc. Alcuini in Cod. Emmer.

* DE COMPARATIONE NOVI ET VETERIS TESTAMENTI A DENARIO NUMERO USQUE AD UNUM, deque myſtico ſingulorum ſignificatu.

A. DIlecto filio meo Galliccellulæ Albinus ſalutem. Quia me rogâſti de numerorum ratione, vel magis comparatione, qui in veteri lege inveniuntur, ad auctoritatem novi Teſtamenti referre; quia non occurrit nobis, iter agentibus, plura ſcribere, à denario tamen incipiamus, donec usque ad unitatem perveniamus; ut cum pedibus gradientis calamus currat ſcribentis.

B. Decem præcepta ſunt legis; quæ data ſunt in duabus tabulis per Moyſen, & Aaron populo Dei. Decem mnas dedit Chriſtus utriusque prædicatoribus populi.

Per decem plagas percuſſa eſt Ægyptus; ut populus Dei liberaretur. Per decem perſecutiones coronata eſt Eccleſia Chriſti.

Decima die menſis primi tenendus fuit agnus Paſchalis, qui immolandus fuit. Decima quarta die menſis ejusdem decima hora Agnus Paſchalis pro mundi ſalute, hoc eſt, Chriſtus in cruce ſpiritum emiſit.

Decima generatione diluvium, & perdidit impios. Poſt decem Reges noviſſimi temporis naſcitur Antichriſtus, cum quo pereunt omnes impii.

Novem lapidibus opertus eſt Archangelus, qui cecidit de cœlo. Novem ordines Angelorum remanſerunt in cœlo.

Octo animæ ſalvæ factæ ſunt in Arca. Octo beatitudinibus ſalvantur animæ fideles in Eccleſia.

Octavo die in populo Dei circumcidendus fuit omnis maſculus puer. Octavo die circumciſus eſt Chriſtus, per cujus circumciſionem octo vitia principalia deſtruuntur.

Septima die requievit Deus ab omnibus operibus ſuis. Septima ætate requieſcunt Sancti à laboribus hujus ſæculi.

Septem columnas excidit Sapientia ad conſtruendam ſibi domum. Septem donis Spiritus Sancti Chriſtus domum ſuam, id eſt, Eccleſiam confirmavit.

Sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Sex ætatibus omnia currunt hujus ſeculi tempora.

Sexta die creatus eſt homo de immaculata terra. Sexta ætate filius Dei de immaculata Virgine factus eſt homo.

In Quinque libris Iſraëlitico populo Moyſes dederat præcepta vivendi. Quinque talenta Chriſtus, ad cœlos rediens, fideli tradidit ſervo.

Quatuor de uno Paradiſi fonte ad irrigandam profluunt flumina terram. Quatuor Evangelia de uno fonte, qui eſt Chriſtus, procedunt ad irriganda corda arida; ut virtutum floribus vernent.

C. Quatuor ſunt elementa, quibus mundi ornatus conſtat maximè. Quatuor ſunt virtutes, quibus minor mundus, id eſt, homo ornari debet.

Tribus modis Adam tentatus eſt, & ſuperatus, id eſt, gula, jactantia, & avaritia. In bis tribus iterum Chriſtus tentatus eſt, & vicit victorem Adam.

Totus orbis in tres dividitur partes, Europam; Africam, & Indiam, in quibus partibus tribus modis colendus eſt Deus, fide, ſpe, & charitate.

Tria

Tria præcepit Deus Abrahæ dicens : Egredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui. Tria promittuntur nobis : reſurrectio, vita, & gloria.

Duæ fuerunt tabulæ Teſtamenti, in quibus Decalogus digito Dei ſcribebatur. Duo ſunt præcepta charitatis, quæ digito, id eſt, Spiritu Sancto in cordibus ſcribuntur credentium.

Duo fuerunt Cherubin in templo; Cherubin multitudo ſcientiæ interpretatur; A. ideo duæ partes ſunt ſcientiæ. Una eſt, Diabolum relinquere; altera Deum diligere.

Una fuit Arca, in qua mundo pereunte fideles ſunt ſalvati. Una eſt Sancta Dei Eccleſia, in qua pereuntibus peccatoribus ſalvantur fideles.

Unus fuit tranſitus Iſraëlitici populi per mare rubrum, ut promiſſam acciperent terram. Unum eſt baptiſma, per quod tranſeundum eſt ad vitam æternam.

EXPLICIT.

FLACCI ALCUINI
EPISTOLÆ SEPTEM
AD
AQUILAM, SEU ARNONEM, ANTISTITEM SALZBURGENSEM.

I.

Hortatur Arnonem, ut lætus in Hunnorum regnum cum exercitu proficiſcatur, futurus ibi pietatis prædicator, non exactor decimarum, quas Hunnis exemplo Saxonum imponi diſſuadet.

CArissimo, unanimoque amico Aquilæ Superſpeculatori in Chriſti caritate ſalutem. Quarta feria poſt ſanctam Pentecoſten litteras tuæ beatitudinis accepi, caritate conſcriptas, fide ſigillatas, in quibus, ſicut optavi, audivi; ſicut ſperavi, agnovi; nec ſpes fefellit conſilii, nec ſocietatis cooperatio retardavit. Veſtrum verò iter ad probandam rei veritatem modò in præſentia diſpoſitum eſt; fortitudo verò exercitus, qui tecum vadit, ad caudelam & defenſionem veſtri directa eſt. Et hoc conſilium quodamodo ab ipſis proceſſit Hunnis; & ideo in ſpe voluntatis Dei lætus hoc iter perage. Nos verò te, donante Deo, in pace cum certo conſilio revertentem ſpectemus in his ita, ùt æſtimo, regionibus. Obſecro; ut mox te redeunte, dilectionis tuæ litteras dirigas nobis; ut curioſitas noſtra certitudinem rerum per tuum intelligat conſilium. Regnum itaque illud diu ſtabile fuit, & forte; ſed fortior eis, qui vicit illud, in cujus manu ſunt omnes Regum & regnorum poteſtates, B. & quemcunque voluerit, exaltat, & cujuſcunque cor voluerit, viſitat, illuminat, & ad ſuum convertit ſervitium; & ſi illius gratia reſpicit ſuper regnum Hunorum, quis eſt, qui ſe ſubtrahere audeat miniſterio ſalutis illorum? Pauci nobis reſtant dies hujus vitæ, & valde deſiderandum eſt, Deique miſericordia toto corde deprecanda; ut illi in opere Dei firmentur; quia plus uniuſcujuſque noſtrûm de fine judicatur, quàm initio. In peccatis naſcimur; ſed gratia renaſcimur, quæ nos in bono opere currentes C. comitetur, & usque ad finem firmùm perſeverare faciat. Tu verò, Pater Sancte, amice fidelis, frater dilecte, fili cariſſime, cum proſperitate bona, divina tecum comitante gratia perge in opus Dei, & cum gaudio revertere ad nos, & eſto prædicator pietatis, non decimarum exactor; quia novella Apoſtolicæ pietatis lacte nutrienda eſt, donec creſcat, convaleſcat, & roboretur ad acceptionem ſolidi cibi. Decimæ, ùt dicitur, D. Saxonum ſubverterunt fidem. Quid imponendum eſt jugum cervicibus idiotarum, quod neque nos, neque fratres noſtri ſufferre potuerunt? Igitur in fide Chriſti ſalvari animas credentium confidimus. Vade modò, dilectiſſime frater, in benedictione Dei, & conſolatione Spiritus Sancti. Albinus tuus eſt tecum in corde, quem utinam habeas citò Socium

in opere Dei! Nos matriculares pro te orare non ceſſamus, quatenus divina te ubique præveniat, & ſubſequatur gratia, & cum multiplici pii operis fructu revertaris ad nos. Bonos & religioſos tecum habes ſocios, in quorum ore & converſatione nomen Domini JEſu glorificetur. Nos ſemper ſuſpenſi erimus de reditu tuo, donec videamus, quem amamus; amplectemur manibus, quem corde deſideramus. Tertiam verò partem de laboribus tuis per ſingula loca ſeu Epiſcopatus, ſeu monaſterii conceſſit tibi Rex in eleemoſynam tuam tradere, ſi dies tuus tecum proſequetur in via, & hoc indiculis confirmari præcepit. Ecce deficiente cartula, non charitate, pennam deponimus, hæc ſalutationis tantummodo verba ſubnectentes: vivas Deo feliciter, vadas, & proficiens floreas in opere Dei, & tecum ubique euntem, & redeuntem Summi Regis dextera protegat, & defendat, venerande, dilectiſſime, & dulciſſime.

II.

Quid Romæ cogitatum, actumque ſit, quo tempore ejus reditum ſibi ſperare liceat, nuntiari cupit. Febribus ſe fatigatum eſſe ſcribit, hortaturque Arnonem, ut in prædicanda vera, & Catholica veritate conſtans ac fortis ſit.

VEnerando volucri, & verè amantiſſimo Aquilæ Albinus ſalutem. Expectans expecto lætum audire nuntium, quando Aquila ſublime volans, Alpina juga transcendat, & feſſus volato in Rhetiæ partibus alas componat ſuas, vel quid mihi nuntiet de Sancto N. partibus, & Romanorum conſiliis, & ſi fieri poſſit, quod valde optamus, Deo donante, ut fiat. Quapropter precor omnes aligeras poteſtates, de cœleſti ſede deſcendentes; ut Aquilam meum citò ſanum cum omni proſperitate faciat venire ad nos. Nos verò velut æſtiva hirundo ad Palatium menſe Julio properamus. Neſcio de noſtro itinere quid erit futurum; tamen me ſpero usque ad illum menſem vel diem in his morari partibus, ſi ſic Deo noſtro, & Domino Regi placuerit, & ibi præſtolari, quid auditurus ſim de Aquilæ deſiderato adventu. Et dum hanc perlegas cartulam, citò remitte alteram; ut ſciam, quid acturus ſit Aquila cum aviculis ſuis, vel quid avaritia faciat, vel credat, vel quid Romanorum nobilitas novi habeat adventu, vel quid de Græciæ ſublimitatibus audieras, & an aliquas Sanctorum reliquias tecum attuliſſes, quibus poſſes conſolari Albinum tuum. Proſpera, Deo donante, nobis ſunt; niſi quod febris & infirmitas me fatigatum habet. Tamen qui infirmior, fortior erit juxta Apoſtolum; & ſæpe prodeſt infirmitas corporis, ut fortitudo fidei creſcat in anima. Orate pro nobis, ut Spiritus Sanctus Paraelitus inſpiret animas Servorum ſuorum ad defendendam Catholicæ fidei veritatem; quia tempus eſt, ſicut legimus prædictum eſſe in libris ſanctis. Tu verò cum tuis ſemper ſanam ſequere doctrinam, & Catholicam prædica diligenter fidem, ut æternam mercedem cum multiplici fructu habere merearis. Vivas felix, & gaudeas in Chriſti amore cum tuis omnibus, Aquila chariſſime.

III.

Queritur, quòd nuntiato ex Hunnis reditu, nihil de rebus apud eosdem geſtis ad ſe perſcripſerit. Ardet Arnonem coram præſentem complecti, idque certò futurum ſpondet, ni adventus Caroli Regis rem perturbet. De Angilberto & Leidrado quædam.

SAnctiſſimo Pontifici, & dulciſſimo filio Aquilæ Albinus ſalutem: Suaviſſimas dilectionis veſtræ accepi litteras, & lætus de agnitione proſperitatis & reverſionis veſtræ legebam eas; expectans, quid illa mihi nuntiarent de novelli populi Chriſtianitate, & rerum ibi geſtarum profectu. Sed nihil de his inveni. Tamen volente Deo, viſurus vos, vel neceſſitate coactus * habebis dicere, quod cartula continet. Item quærens in illis, quanto tempore beatitudini tuæ in his partibus eſſet manendum? Sed neque hoc inveni. Ideoque incertior de conloquio veſtro factus quid demandarem? Tamen ſi usque ad Paſcha liceat tibi in Monaſterio permanere, forſitan intra quadrageſimam viſitemus tecum in lectulo deliciarum ſedentem. Ego verò ignarus ad hoc ſum, detinere me propter famam, quæ volat per ora multorum: Regem orationis gratia Sancti Martini viſitare patrocinia; & mihi neceſſitas incumbit, illum ſpectare, hoſpitiumque præ-

* *Cod.* habes.

præparare Domino meo dilectiſſimo. Et utinam volâſſet Aquila inter cæteros ſanctorum volucrum cœtus ad piſcationis ligeri fluminis! Mandavit mihi quoque Domnus Rex, revenire ad Kyslæ, ſanctiſſimæ ſororis ſuæ cœnobium Gale obviam Angilberto; ſed ignoro adhuc, quomodo hoc fieri debeat. Si ante Regis condictum, tunc venies nobis obviam ad Coiſacam S. Stephani cellam, vel ad . . . noſtrum. Sed feſtina reſcribere mihi, quantum ſciri poteſt, tempus manſionis tuæ apud S. Amandum, & quid Leidrado demandare velis. Vix vivet, ſi facies noſtras non videbit pariter. Fuit enim toto anno infirmus valde, & diſſolutâ animâ ſuâ conſiliare nobiſcum cupit. Multa bona, gloria Deo, habet in illis partibus facta. Dubitat verò, an melius ſit, laborare in prædicationis miniſterio, vel quietam ducere vitam? Sed certius ab illo ipſo, permittente Deo, hæc audituri erimus. Mandavi per litteras etiam, & ſæpius viva voce fratribus S. Servazii tuæ ſervire auctoritati, ſicut & mihi. Plura tibi ſcriberem de ſancta prædicationis inſtantia, & honeſtate morum inter paganos; quia converſationis dignitas ſolet eos erudire in prædicatoribus, ſicut verborum veritas. Sed quia ſpero citò vos, miſerante Deo videre, meliùs hæc conloquendo putavi conferre, quàm ſcribendo innoteſcere. Nec majorem ardorem habet animus veſter, quàm meus conloquii veſtri. Ideo rogamus Dei clementiam; ut concedat nobis in ſua miſericordia, & in noſtra proſperitate videre nos citò facie ad faciem. Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti te in omni bonitate proficere faciat, fili chariſſime.

IV.

Quo loco res Arnoni commiſſæ Romæ ſint, ſcire cupit, rationesque itineris ſui ad Sancti Amandi Monaſterium proximè ſuſcipiendi exponit. Itaque ut huc quamprimum advolet, peramanter invitat, & urget.

Dilectiſſimo Patri Aquilæ transalpino Albinus Magiſter ſalutem. Gaudeo, quòd vel aliquam famam de veſtro adventu audivi, multùm cupiens veſtræ beatitudinis faciem videre, & optatam audire loquelam, ſimul & de proſperita-
A te Domni Apoſtolici agnoſcere, & quid in illis partibus geſtum ſit, & quomodo legatio veſtra vobis eveniſſet, & ſi S. Pauli cauſa ad profectum fieri poſſit. Hæc omnia per velocem nuntium mihi demandare curam, obſecro, habeas. Secundum quod iter meum diſpoſitum habeo, volente Deo, die Sabbati proximo, id eſt Nonis Auguſti, ad Monaſterium S. Amandi habemus diſpoſitum venire, & ibi die Dominica ſtare, & tunc ad Barallam villam noſtram quatuor, aut quinque dies manere non longè à S. Amando, ſed quaſi quinto decimo milliario, &
B ſic ad Cauſiaco pervenire, & ibi hebdomada ſtare, & ſic ad ſanctum Lupum. Inter hæc loca, Deo propitio, habes me totum Auguſtum, & aliquam partem Septembrii menſis, ſi ullatenus poſſis impetrare, ut noſtrum fiat conloquium. Interim dum in proximo erimus, remanda mihi, & quantos dies debeam te expectare; quia non habeo in iſtis partibus aliquid, ubi expectare poſſum, propter inopiam rerum; quia quicquid fuit ibi, anno præterito omnia amici noſtri conſumpſerunt benè facientes, & familiari-
C ter utentes rebus noſtris. Et quàm citiùs poſſint litteræ veſtræ ad nos venire, feſtinanter legatus currat; ut nos in proximo reperiat. Si Rex vos jubeat in Palatio ſtare, non contradicit tibi Liutgardis, & infantes, ut ad nos venias, quia illæ ituri ſunt ad Niviella, uti ibi Miſſam
*Sanctæ agant. Veni, veni feſtinanter, * *Cod. Sancta.*
ſi Deo placeat, & S. Martino, & S. Amando, ut nos videamus. Nullatenus voluiſſem longiùs ire, antequam tuæ beatitudinis faciem viderem. Manda verò per noſtras curtes; quicquid ibi erit, omnia
D tibi parata erunt. Multum gaudeo de veſtro conloquio; quia neſcio, quando erit, ſi nunc non erit. Feliciter lege, & proſperè veni, Pater optime, & amice fideliſſime, & in Chriſto chariſſime.

V.

Se ad Kyslam Caroli Regis Sororem tertiò vocatum proximè venturum, indeque ad S. Lupi, & Ferrarienſe Monaſterium, profecturum ſcribit. Rogat Arnonem, ut ſe de rebus Regis, atque exercitus certiorem faciat.

Chariſſimo filio in veræ charitatis dulcedine ſalutem. Expectavi dilectionis

nis veſtræ litteras, vel legatum. Sed tertio Kyſla, Soror Domni Regis diceretur ad me miſſos, ut venirem propter aliquas neceſſitates ad illam. Sed nunc volente Deo iturus ero ad eam viſitare, & inde ad S. Lupum, & ibi maximè ſpero me manere Septembrium menſem totum. Siquid inde de veſtro itinere, vel de Domni reverſione, vel de exercitus ſui profectu audias, ne tarderis mihi remandare, & ſic Octobrio menſe ad Ferrarias S. Petrum viſitare, & ibi uſque ad medium illum menſem ſpero me eſſe. Ideo hæc vobis ſcripſi; ut ſciatis de itinere noſtro, ubi nos beatitudinis veſtræ miſſus invenire poſſit. Sed & de fratre noſtro, & amico, quem tecum iterum dimiſi, remanda mihi. Sollicitus ſum valde de Domno Rege, & populo Chriſtiano propter has auras duriſſimas, & terram illam peſſimam, & homines invidos, ſi Deus propitietur illis, & Sanctæ ſuæ Eccleſiæ defenſori. Multo tempore illum conſervet cum ſuis fidelibus! Direxi vobis unam tapetam, & unum ſagellum tenuum, obſecrans, ne deſpicias munuſculi parvitatem, quæ vidua obtulit in Gazophylacio templi, quam Dominus JEſus laudavit; quia plena charitate offerebat. Vivite vos Deo placentes in omni opere bono, & pro nobis orantes valete in perpetuum.

VI.

Plura eſſe, quæ ad eundem perſcribat, ſed quæ meliùs mutuo colloquio tranſigantur, ait De variis Eccleſiæ calamitatibus, quarum auctores non ſoli pagani, ſed etiam falſi fratres ſint.

Dilectiſſimo charitatis filio, & venerandæ ſanctitatis Patri devotus in fide amicus ſalutem. Multa habuiſſem tecum valde neceſſaria conferre, ſi tempus & locus, & faciei veſtræ præſentia adeſſet, ſive de generali ſanctitatis Eccleſiæ ſtatu, ſive de ſpeciali rerum ad nos pertinentium viciſſitudine. Sed hoc erit, dum vult, qui omnia diſponit, qui eſt in cœlo & in terra; quia quandoque concedet nobis mutua charitatis verba inter nos habere, & cordis æſtus verbis pacificis pateſcere. Sed tu chariſſime, & omnium Sacerdotum Chriſti corde noſtro junctiſſime, obſecro, interceſſiones fac pro nobis, quatenus divina clementia & vos pro-
A. ficere faciat in omni bono, & nos regere dignetur ad ſalutis noſtræ profectum. Multæ ſunt hujus ſeculi occupationes, & diverſæ varietates, & eventus miſerabiles, & Eccleſia Chriſti multis modis impugnatur, non ſolùm à paganis, ſed etiam à falſis fratribus, & ubi fons æquitatis, & juſtitiæ ad omnes per rivulos ſanctitatis profluere . . . .

VII.

Se illius fratrem in priſtinam gratiam recipere velle. Vota ejus & preces pro ſuorum peccatorum venia expetit. Læta Leoni Pa-
B. *pæ precatur. Hæc epiſtola in Cod. Benedictoburano præcedentibus mox ſubjuncta eſt; dubito tamen, an ea Arnoni ſeu Aquilæ inſcribenda ſit.*

Venerabili Patri, & amabili fratri, deſiderabilique filio in totius charitatis jocunditate ſalutem. Satis mihi placet concordia inter filium meum & fratrem tuum, quem vocatus viſitare veniſti, & benè feciſti me hortando ad charitatem ejus reverti, unde nunquam averſus fui, licèt dubitationem aliquam pavimento figere, & veniam delictorum
C. præteritorum indulgentiam rogare . . . Nunc verò, ſcit ſancta almitas veſtra, quia propter longitudinem terræ noſtræ, & impedimentum paganorum undique noſtri pericula imminent, huc ita, ut diſpoſitum habemus, die pro Conſule habuimus, occurrere minimè valuimus, ſicut nobis magna neceſſitas fragilitatis noſtræ expetiit. Propterea veſtram ſanctam poſtulamus clementiam, ut pro nobis in ejus beatiſſimam confeſſionem ve-
D. niam rogare velitis, ut per veſtram interceſſionem à vinculis noſtrorum delictorum abſolutionem aliquantulum nobis pius Dominus largiri dignetur. Nos autem digni non ſumus, veſtrum in aliquibus exercere ſervitium; ſcimus à Deo & Sancto Petro vobis retributionem & in hoc ſæculo, & in futuro mercedem & gloriam adipiſci. Alma Trinitas & inſeparabilis unitas cuſtodiat Domnum Leonem, ſummum Sacerdotem nunc & ſemper & in æternum feliciter cum Dei gloria.

F I N I S.

S. WOLF.

SANCTI WOLFGANGI, EPISCOPI RATISBONENSIS PIA PARAPHRASIS IN PSALMUM L.

Eruta è Cod. MS. Celeberrimi Monaſterii S. Emmerammi Ratisb. ab Adm. R. D. P. Caſparo Erhart, ejusdem loci Cœnobita.

S. VVOLFGANGI EPISCOPI RATISBONENSIS ORATIO, SEU PIA PARAPHRASIS IN PSALMUM QUINQUAGESIMUM.

Verſ. III.

O Ineffabilis Miſericordia, & immenſa Pietas, Benignitasque Deus! - - - Cùm omnis Mundus concluſus eſſet in peccatis - - univerſitatis, Filius Dei, & Unum in principio, qui cœlum cum Patre, & Sancto Spiritu extendiſti, & maria diffudiſti, qui & ubique es, & omnia imples, humilis in Mundum venire dignatus es, & principia peccantium ad te vocâſti; ut nullus poſtmodum deſperaret ſalutem: impios, & publicanos, immundos, meretrices, homicidas, latrones, negantes, atque blaſphemantes Te, ſola ineffabili miſericordia tua injuſtos, & nolentes ad te miſericordem Dominum convertiſti, qui omni tranquillitate plenus es, ac omni tempeſtate carens. Ego autem miſer, & ulceribus plenus, vulneribus refertus, millibus nimiùm circumdatus, tota mente ad Te confugio, tuæ pietati propterea gratias agens, & laudem dicens, qui peccatores, & pœnitentes ad te converti gaudebis: tu miſericors, qui omnibus ad te confugientibus miſereri digneris, *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: ſicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen.*

Non peto ſecundùm meritum meum, vel juſtitiam meam, aut fidem meam, ſeu opera mea, quibus ego peccator in omnibus deviavi à Te: non ſecundùm mea malefacta Te contra me agere depoſco; ſed ſecundùm pietatem tuam. *Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto &c.*

A. ℣. IV.

PErii enim peccans, lapſus ſum miſerabiliter, omnem juventutem meam confudi, omnem vitam meam perdidi. Fervebat propterea præſentis vitæ voluptatibus; duxi cor meum in inanem lætitiam, & in vanam gloriam, quia carnalibus deſideriis ſupra modum conſentiebam. Nunc ergo Domine fac me aſſueta mala relinquere, & tibi placita opera agere; quatenus te adjuvante Diabolicas poſſim perſuaſiones evadere, & devitare, & in tuo ſancto famulatu firmiter,
B. & conſtanter in perpetuum valeam perſeverare. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.*

℣. V.

NOvi peccata mea maxima, O pie Deus! vel parvam pœnitentiam, & confeſſionem concede mihi ante diem mortis meæ. Da oculis cordis mei veræ compunctionis lachrymas, ut per ſingulos dies poſſim plangere terribilia peccata mea, quæ præ multitudine numerari non poſſunt. *Quoniam iniquitatem meam ego*
C. *cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Gloria Patri &c.*

℣. VI.

O Benigne medice! adhibe mihi miſero curationes tuas, ſana vulnus animæ meæ, aufer putredinem peccatorum meorum, compone miſericordiæ confeſſionem; quia quod homines horreſcunt audire, tu ſolus vis portare: quoniam tibi ſoli datum eſt à Patre judicare nos, qui es ſimul judex, & interceſſor, ac defenſor noſter apud Patrem. Ad te confugio, tu, qui pius es, miſerere mei. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci; ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas,*

cùm

cùm judicaris. Gloria Patri, & Filio, & A. *Spiritui Sancto &c.*

℣. VII.

CONſidera ergo miſericors Deus ſubſtantiam infirmitatis, vel paupertatis meæ, & oſtende ſuper me magnitudinem pietatis, bonitatisque tuæ; quia nemo bonus, niſi tu ſolus Deus, qui es immenſum pelagus miſericordiæ. Tu me miſerum attolle, & tua benigniſſima miſeratione omnia mea dele peccata, quæ mihi ex originalis peccati contagione inhæſerint, & quæ à meis pravitatibus poſtea ſupercreverunt. Ab his me, Do- B. mine, clementer emunda, & omnibus parentibus meis concede gaudia ſine fine manſura. *Ecce enim in iniquitatibus, & in peccatis concepit me mater mea. Gloria Patri, & Filio &c.*

℣. VIII.

NE reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum meorum, neque vindictam ſumas de peccatis meis o Domine JESU Chriſte, Deus bone, & benigne, qui ad hoc homo fieri dignatus es, ut miſeræ humanæ naturæ notitiam tuæ naturæ aperires. Inſere pectori meo C. veram voluntatis tuæ charitatem; ut nunquam te obliviſcar, licèt in peccatis adhuc languidus volvar, tu tamen Domine, qui omnia potes, ſimul vis, ac vales me mundare. *Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.*

℣. IX.

MEmoriam peccatorum meorum, Domine, igne veræ pænitentiæ accende; ut ſemper ante oculos meos habeam diem mortis meæ, & diem judicii, & D. delicias Paradiſi, quas Sanctis tuis præparâſti, & ita me hanc præſentem in tua fac voluntate perducere vitam; ut pœnas inferni evadere valeam, & æternæ beatitudinis partem te largiente ſine fine merear poſſidere. *Aſperges me hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Gloria Patri &c.*

℣. X.

DOce me, Domine, ſemper recordari peccatorum meorum, ut tu ea in perpetuum obliviſcaris. Doce me ſemper recordari magnitudinem beneficentiæ tuæ, Deus, & ſtudium, quod nunc usque in peccatis exemi, in tua me fac voluntate deinceps exercere; ut tibi nunc famulari libenter incipiam, & in tua ſervitute te adjuvante conſtanter permanere valeam; & ſic me usquam audire permiſeris: venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine Mundi. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Gloria Patri &c.*

℣. XI.

DIco enim iniquitates meas, ut larga clementia tua juſtifices me. Exacerbavi te etenim, Domine, per multa opera mala, quæ ab infantia mea usque nunc perpetrare conſueveram, & adhuc agere non ceſſo. Sed tu, pie Domine, præſta mihi deſiderabilem fontem lachrymarum, ne præſumptionis deſperatione peream; ſed flebili confeſſione & bonorum operum exhibitione fructuoſam, & tibi placitam dignè poſſim agere pœnitentiam. Jube, Piiſſime, peccatum meum ante diem mortis meæ transferri à me; ut tunc te merear feliciter ſine fine laudare. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Gloria &c.*

℣. XII.

EMunda pollutum cor meum Deus, per quod valde elongor à te; ut fias mihi appropians, & non Deus à longe; ut Spiritus tui fervore accenſus ſemper [pœnitere] valeam. Quin cùm abductus fuero de hoc ſæculo, etiamſi pœnitebit me, nulla exinde utilitas pœnitentiæ: quamvis ſit tunc ſtridor dentium, licèt ululatus & fletus, licèt effundam preces, & innumeris obſecrationibus proclamem, nullus audiet, nullus ſubveniet. Ideo bone Domine, hìc fructum in corde meo præpara pœnitentiæ; ut auxilium miſericordiæ tuæ illic valeam invenire. Dele à me in iſto ſæculo peccata mea; ut in futuro ſalvari merear clementiâ tuâ. Fac me puro corde in tuo famulatu permanere, ut in æqua Beatorum ſorte tuo merear auxilio ſine fine gaudere. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.*

℣. XIII.

DOmine JEſu Chriſte, qui & filius hominis es propter humilitatem, & Filius Dei in majeſtate; homo inter ho-

mines converſatus, tuum ab inſidiatori- A.
bus cognomen impoſitum eſt miſeriæ noſtræ: *Peccatorum, & publicanorum amicus*; quia multos per ſuavitatem manſueti tui Spiritus ab errore ſuo ad te mitiſſimum Dominum convertiſti: reſpice me miſerum peccatorem, & illumina cor meum Sancti Spiritus tui illuſtratione, ut tibi rite ſervientium per tuam clementiam particeps fieri merear. *Ne projicias me à facie ſua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Gloria &c.*

℣. XIV.

CONſolatorem Spiritum Sanctum tuum fac mollire, & lætificare lapi- B.
deum cor meum; ut Spiritus malignus non habeat in me locum, ſed Spiritus pacis, & pietatis, qui eſt totius largitor bonitatis, ſuo me gratioſiſſimo lumine accendat, & ab omnibus me malis clementer defendat in iſto ſæculo, & futuro. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Gloria &c.*

℣. XV.

CUrro ergo ad communem peccatorum portum, ad tuam, Domine JEſu Chriſte [charitatem], quam habuiſti, quando in utero Virginali homo dignatus es fieri; C.
ut miſeram humanam naturam tuæ bonitati conjungeres, de qua ego miſer peccator longè me ſeparavi, quia multa mala perpetravi. Propter enim carnalia deſideria, tua ſanctiſſima transgreſſus ſum præcepta; quia ab infantia mea usque nunc, ſemper fui ſuperbus, avarus, inobediens, fur, adulter, hypocrita, ſimulator, publicanus, homicida, invidioſus, iracundus, contumax, odioſus, malitioſus, nequitia plenus, iniquus, immundus, ſanguine pollutus, ſubſtantiam meam luxurioſè diſſipans, perſequens, & evellens fideles tuos malis exemplis, & operibus meis. Nunc D.
ergo, Domine, ad te confugio, qui de converſo peccatore gaudium eſſe in cœlis dixiſti. Converte me, Domine, ad te, & omnem conſuetudinem malam repelle à me. Fac, ut mala mea odiam, & bona tua diligam. Concede mihi; ut poſſim, & velim vivere rectè, bonumque aliis exemplum præbere; ut omnes bonitatem tuam in me cognoſcentes, meam autem converſionem & liberationem videntes, glorificent nomen tuum ſanctum, quod benedictum eſt in ſæcula. *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Gloria Patri, & Filio, &c.*

℣. XVI.

ABieci enim, Domine, ſuave jugum tuum, & duras, ac ferreas catenas peccatorum cervicibus meis impoſui; abjeci onus tuum leve, & pro eo molam [aſinariam] infelici collo meo ſuſpendi. Sed tu, mitiſſime Deus, usque in profundum inferni non patiaris me demergi; ſed libera me de adverſario meo, priusquam ſuam furioſam ſuper me exercere prævaleat pravitatem. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exaltabit lingua mea juſtitiam tuam. Gloria Patri &c.*

℣. XVII.

SOlve me de vinculis peccatorum meorum, Domine, porrige manum miſericordiæ tuæ; ut me cadentem erigas, & ad tuam miſericordiam perducas; ut confidenter cum latrone dicere poſſim: memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Gloria Patri &c.*

℣. XVIII.

REcordare miſericors Deus paupertatis, & miſeriæ meæ, & memorabilis clementiæ tuæ, & quia ſolummodo Sacrificium bonæ voluntatis deſideras, per magnam miſerationem tuam præſta; ut in memoria mea ſemper habeam exacerbationes multas, quibus te ſæpiſſimè exacerbavi, & ad iracundiam multipliciter provocavi. Sed tu, Domine clementiſſime, me perdere penitus noluiſti, ſed ad pœnitentiam miſericorditer reſervâſti. Ideo te laudo, & glorifico, & in tuam me deinceps cuſtodiam commendo; tu in me, quod tibi placitum ſit, operare, & me ipſum tibi acceptum ſacrificium aptare dignare. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Gloria Patri &c.*

℣. XIX.

DEprecor immenſam pietatem tuam, Deus omnipotens, ut in me miſero aliquod tibi gratum ſeparare digneris ſacrificium, ne nomen Chriſtianitatis inaniter teneam; ſed digna huic nomini opera tuo in nomine agere prævaleam, illius tenendo [Sacramentum] Dominici Chriſmatis, quod mihi in fronte (fonte) conceſſiſti baptiſmatis. Præſtitiſti enim

in

in baptiſmo templum Corporis tui fieri. A.
Sed ô Omnipotens! maligni Spiritus vio-
lant illud ſecundùm voluntatem illorum.
Speculum Sancti Evangelii & cœleſtem
viſitationem tuæ fidei demonſtrâſti mihi.
Ne des, Domine, poteſtatem diabolo ſu-
per me, ut bona largitionis tuæ caligine
tenebrarum à me auferre valeat. Sed
tua benigna pietas omnes ſenſus meos
ſanctiſſimi tui luminis ardore accendat,
& in tua voluntate perſeverantes faciat.
Non me ſpiritus ſuperbiæ extollat; ſed
vera humilitas mecum ſemper, & ubique
permaneat; ut in tuo conſpectu cor ha- B.
beam contritum, & humiliatum, quod
tibi acceptum, probatumque eſſe valeat
ſacrificium, ſicut ſcriptum eſt: *Sacrifi-
cium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum,
& humiliatum Deus non deſpicies. Gloria Pa-
tri, & Filio &c.*

℣. XX.

MAgna fiducia, & maxima ſpes ſalutis
eſt noſtræ, quòd miſericordiæ tuæ
viſceribus infirmitati noſtræ tam beniguè
compati ſoles; ut tibi ſacrificium ſit hu- C.
militas, & contritio cordis noſtri. Et
quamvis in peccatis ſimus converſantes,
tibi ſoli per confeſſionem tui nominis, &
per compaſſionem miſericordiæ tuæ au-
demus dicere, quod homines horreſcunt
audire. Propter hoc ſuſcipe me miſerum,
& peccatorem cum corde contrito, &
humiliato ad te confugientem, piiſſime,
& mitiſſime Domine Deus. *Benignè fac
Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædifi-
centur muri tui Jeruſalem. Gloria Patri, &
Filio &c.*

℣. XXI.

OStende, Domine, ſuper me fragilem
bonæ voluntatis tuæ benignitatem.
Viſita cor meum durum, & mollifica il-
lud. Immitte ei ex abundantia pietatis
tuæ tibi placentes proferre pœnitentiæ
lachrymas; ut multa peccata mea, quæ
ab infantia usque nunc perpetravi multi-
pliciter, acerrimè, & amariſſimè ab hac
hora ſemper deflere prævaleam: & fac
me, Domine, immenſum pondus pecca-
torum meorum de collo meo excutere,
& jugum importabile diabolicæ deceptio-
nis procul à me dirimere; ut corde &
opere tibi ſubjectus, tuoque jugo ſubdi-
tus, præcepta tua valeam adimplere, &
in tuo ſancto famulatu ſine fine valeam
permanere. *Tunc acceptabis ſacrificium ju-
ſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc impo-
nent ſuper altare tuum vitulos.*

Gloria Patri ingenito, qui proprio filio
ſuo non pepercit tradere illum pro nobis
peccatoribus. *Et Filio* ejus Unigenito,
qui erat obediens Patri usque ad mortem.
Et Spiritui Sancto, qui in linguis igneis in
homines venit totum genus humanum
illuſtrare, & ad veram lucem convertere.
Deo gratias. Gloria, & jubilatio, laus, &
gratiarum actio, honor, & imperium, nu-
menque ſempiternum Trinitati, & indi-
viduæ Unitati, Deo magno, & immen-
ſo, æterno, & excelſo, qui eſt omnipo-
tens, & mirabilis, & glorioſus, atque
laudabilis, bonus ac benignus, & omni
gloria dignus. *Sicut erat in principio.* Glo-
ria tibi Trinitas æqualis, una Deitas &
ante omnia ſæcula, & nunc & in
perpetuum. Amen.

ERHARDI
DE LAINIZ
ABBATIS SANCT-PETREN-SIS SALISBURGI
Ord. S. Bened.

EXPOSITIO MORALIS
admodum egregia Pſalmi

XII.

Nunc primùm edita ex Cod. MS. Petrenſi, operâ Adm. R. D. P. Vitalis Potenhöffer, Inclyti Monaſterii Sanct-Petrenſis Presbyteri.

ERHAR-

ERHARDI DE LAINIZ ABBATIS SANCT-PETRENSIS PRÆFATIO IN EXPOSITIONEM PSALMI XII.

A Verbo, quod præcepiſtis, Venerabilis Pater, & Domine, trepidavit cor meum; ut ſcilicet proferam ea, quæ neſcio, & ſcribam, quæ ignoro. Nondum enim ſuper omnes docentes me intellexi, ſicut eximius Prophetarum, qui de theſauro Dominico novit proferre nova & vetera. Unde grave eſt, quod mihi injungitis, & fortaſſe gravius, ſi injunctum diffidentiæ torpore non perficitur. Sicque angit me ignorantia, & compellit obedientia; prohibet præſumptio, & ſuadet voti ligatio. Renuit hebetudo ingenii, & redarguit renuere quod inquit: *quæ dicunt facite*, mandatum divini eloquii. Et poſt propenſiorem hujusmodi in animo fluctuationem ſuadet confidentiæ pietas ex ſanctiſſima beatiſſimi Patris noſtri, Sancti Benedicti Regula aggredi opus injunctum, quatenus ex fiducia Divinæ miſericordiæ ſuper id, quod vires meas videtur excedere, ipſe auctor omnis virtutis imperfectum meum, quod noverunt oculi tui, obedientiæ merito dignetur complere. Super qua fiducia, & gratia calami ſcribæ velociter ſcribentis paucula attentavi ſuper *Pſalmo Duodecimo* de miſeria humanæ conditionis, & ejus lamentatione in faſciculum brevis meditationis de ſententia Sanctorum Patrum, poſt terga metentium, grana colligere. Præfati verò operis numerus duodenarius ex ter quatuor, vel quater tribus in ſe ductis reſultans, fidelis animæ ad Deum redeuntis, charitatem, quæ à timore anxii, & tribulati ſpiritu ſalutis concipitur, deſignatur; quia per fidem Trinitatis quadruplex Orbis in bellum Domini ſigno charitatis congregatur: ac ipſi bellantes de quatuor malis

A. ſuſpirantes, de Dei oblivione, ac ſuæ conſolationis averſione, peccatorum multiplicatione, & malorum inſultatione ter clamant ad Deum: *illumina, reſpice, & exaudi.*

INCIPIT EXPOSITIO PSALMI XII.

VOx ergo conturbatæ animæ, cujus gravia, & doloroſa ſunt tentationes, & afflictiva tormenta, ad Deum primò in tribulatione ſuſpirantis, & ejulantis pro conſolatione, & demum ab ipſo illuminari, reſpici, & exaudiri ſupplicantis, & demum ob hoc in ipſo exultari, & ſibi

B. pſallere, & cantare promittentis, ſe in corpore corruptibili, quod inhabitat, iniquitatibus pleno, pollutam, & tabefactam cognoſcens, magnitudinem damni, quod miſerabiliter incurrit, videns, & cognoſcens, & ponderoſitatem delictorum ſufficienter, quantum meruit, deplangere non valens, ad Deum clamat, & dicit: O piiſſime Deus, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, cujus miſericordiâ plena eſt terra, cujus miſericordia præveniet, & ſequetur me, cujus multitudo miſerationum ſuperat multitu-

C. dinem omnium peccatorum, ut, cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis:

Uſquequo Domine oblivisceris me in finem? ℣. 1.

Quamdiu differs, & prolongas auxilium pro mea liberatione, & finienda tentatione? Dixiſti enim: propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam. Et item: nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Etiamſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Et ſi ego oblitus ſum tuas juſtitias, nunquid ob hoc itidem obliviſceris mei? Et

Uſque-

Uſquequo avertis faciem tuam à me? A. Faciem, inquam, tuam, id eſt, animadverſionem tuam, clementiam, & benignitatem tuam, quam te avertente, omnia in me turbabuntut, & turbantur, ita ut pet peccata mea radios tuæ bonitatis, & miſericordiæ non valeam contemplari; & cognoſcere, cognoſcendo amare, amando collaudare. Hoc quippe in me factum eſt, ut, dum in cæcitatem mentis incidi, me ipſum non agnovi, & peccata perpetrata celeriùs non deprehendi. A luce veritatis excluſus, in me nil, niſi tenebras inveni, & plerumque in peccati foveam pedem porrexi, & B. contemnendo in profundum malorum cecidi. Ad hoc cavendum nullam providentiam deputavi; ſed licentiam peccandi liberam propoſui. Et nunc durum, & laborioſum eſt mihi ad ſerenitatem, & tranquillitatem Divinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Et ſic juſto judicio avertis faciem tuam á me, qui averti faciem meam à te. Nec hoc ex crudelitate facis, quæ in te eſſe non poteſt; omnia enim cum tranquillitate judicas, & diſcernis: Sed quia impuram, & pollutam, ac vagam tibi offero oratio- C. nem, & fictam pœnitentiam; perfectam mihi differs conſolationem: diu quoque me cum vitiis luctari permittis; ut ex hoc ſuadeas animæ meæ, in quæ mala ſe præcipitavit, & ut ex diuturna tribulatione, & anguſtia diligentior fiat pet eam receptæ conſolationis cuſtodia; ut differendo extendas deſiderium, & deſiderando extendas animum, & extendendo facias capacem ſervando tibi, quod non vis citò dare, ut diſcat magna magis petere. Sic autem avertendo faciem tuam, æqualiter atque indifferentet præſtò es D. omnibus, & Divinæ unique majeſtatis, & magnitudine virtutis tuæ; gratiæ tamen exhibitione, ſeu inhibitione quibusdam longè, quibusdam propè eſſe diceris Angelorum duntaxat, & hominum, & rationabilium creaturarum. Sed longè à peccatoribus ſalus, ſicut & Propheta de te conqueritur in alio loco: *ut quid receſſiſti longè?*

** Locus valde corrupt.*

Cæterùm autem ſcis* pia diſpenſatione ad tempus, ſed non ex toto, ſed juxta aliquid . . longè facis; peccatòribus autem, de quibus dicis: *Superbia eorum aſcendit ſemper.* Et item: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, ſemper valde longe es . . . Sed quæſo té, miſericordiſſime Pater, ne declines in ira à ſervo tuo, ſed ſi declinas, declina in miſericordia: & ne in ira avertas faciem tuam à me; ſed in miſericordia converte te ad me, ut & ego convertar ad te: & converte animam meam, peccatis ligatam, & in ſua converſione multis hoſtibus impeditam, & oppreſſam, tanquam inhærentem perplexitatibus hujus ſæculi, & ſpinas quasdam dilacerantium deſideriorum patientem. Converteré Domine aliquantulum, & deprecabilis eſto ſuper eam. Reſpice de cœlo, vide, & viſita eam; ut & deſiderii ardor præveniat faciem meam, ut faciem tuam contemplari valeam, & faciem tuam requiram. Concupiſco enim decorem tuum, & adire te geſtio deſideratum cordis mei. Uſquequo abſtinebo abſentiam tuam, expectationem faciei tuæ quanto tempore feram? Uſquequo ingemiſcam, & ſtillabit poſt te oculus meus, & conturbabitur anima mea, dum in ea ſurgunt fluctuationes, preſſuræ, tentamenta, ac perturbationes, ita ut conſiderata multitudine periculorum ipſa renuat conſolari, non propter infinitam tuam miſericordiam, ſed propter continuam ipſius recidivam, & quaſi peccandi neceſſitatem, & quia occulta ſunt judicia tua, & abyſſus multa, profunda, & inſcrutabilia, ad quæ pertingere non valet homo, quoniam ex eodem luto vas quoddam facis in honorem, aliud in contumeliam ſempiternam, & non aſſecuratut homo vivens ſuper terram, cùm neſciat, an odio, vel amore dignus ſit: & cùm ſperat in ſua virtute, decipitur, & ubi magis poſſe credit, ſemper minus poteſt? Adeſt quippe ſibi voluntas, ſed non adeſt facultas. His reciprocis animæ motibus mecum revolutis, quibus ſæpiùs à peccato cogitavi declinare, & in me non inveni perficere, ſed maſſam carnis nimis corruptam, & ad recidivas peccatorum nimis pronam, ſpiritui, & rationi rebellem, & contrariam, continuumque bellum, quod vinci poteſt, non placari, perpetuo in mortali corpore duraturum, & me in eodem minimè exercitatum cognoſcens, anxius ſum in conſiliis propriis, & ſupet tribulatione mea, ac ten-

tentatione dolor cordis me cruciat. Dum A.
enim de prædictis pono ſcientiam, &
conſiderationem, tunc etiam appono do-
lorem: & quò magis agnoſco meam mi-
ſeriam, & me inter tot mala ſore per-
plexum, & dilationem receptionis in bea-
tam patriam; eò magis concipio dolo-
rem, & anguſtiam, ita ut in me conturba-
tus clamem, & dicam:

℣. 2. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea per
diem?* Nunquid quotidie, & frequenter
hoc faciam, ut quemadmodum carceri
incluſus ad pœnam ſervatur, & multa
ſibi conſilia ponit, qualiter periculum B.
evadat; ſic & ego fluctuans in conſiliis,
cujus cogitationes diſſipatæ torquentes
cor meum, ita ut neſciam eligere, vitam
vel mortem. Mortem quidem eligere
non audeo, ut cupiam diſſolvi cum beato
Apoſtolo; ſed formido, quia peccator
maximus ſum, ſciens, quia mors pecca-
torum peſſima. Quomodo non peſſima,
ubi ſubvenit vita? Formido ergo exire, &
in ipſo contremiſco portûs ingreſſu, dum
confido propè aſſiſtere, qui excipiat ex-
euntem. Quid enim? Securéne exeo,
ſi non Dominus cuſtodiat exitum meum? C.
Heu ero ludibrio dæmonum intercipien-
tium me, non aſſiſtente, qui redimat,
neque qui ſalvum faciat! Quomodo au-
tem eligam vitam, in qua tot calamita-
tes, & adverſitates patior, in qua in ini-
quitate ſemper iniquitatem appono? To-
ties cado, mala commiſſa corrigere dif-
fero, omnesque dies mei ſine fructu bo-
norum pene tranſierunt. *Triginta quinque*
nempe *anni ætatis meæ* dilapſi ſunt: perie-
runt, & tranſierunt tam negligenter; ut
neſciam, ſi unquam aliquem diem ex
omnibus expenderim ſecundùm Dei vo- D.
luntatem in exercitio cunctarum virtu-
tum tam laudabiliter, & perfectè, ſicut
fortè debuiſſem, & potuiſſem; vel ſi un-
quam placitum famulatum conditori
meo exhibuerim gratum, & acceptum,
ſicuti ſtatus meus, à cæterorum commu-
nium hominum converſatione ſegrega-
tus, profeſſio, & religio requirebant.

Quid ergo faciam, quoniam vulneran-
tur omnia interiora mea? Quamdiu po-
nam conſilia in anima mea? Quamdiu
dicam: heu mihi, quare incolatus meus
prolongatus eſt? Quamdiu ſuper flumina
tentationis, & tribulationis in hoc confu-
ſo ſeculo ſedebo, & flebo, & recordabor
miſeriarum mearum?

Quamdiu etiam *ponam dolorem* meum *in
corde meo per diem*, & per ſingulos dies?
Maxima eſt enim mihi anguſtia, deficere
in conſolatione, & tribulationis exonera-
tione; & quia ſpes evadendi tribulatio-
nem protrahitur, ſic deſiderium evadendi
vertitur in dolorem. Quamdiu ergo,
dum non video in effectu mihi adeſſe
tuum conſilium, per quod mitigem meum
affectum, creſcit dolor in corde meo per
diem. Æſtimo, Piiſſime Pater, quòd
quamdiu hæc patior, quoadusque jactans
cogitatum meum in te, ut educas me, &
omnem fluctuationem auferas à me, per
ſpirituale conſilium te requiram, quoad
veniat conſolator, qui omnem deſpera-
tionem, & turbulentas, ac noxias cogita-
tiones, & ſuggeſtiones auferat, & cuncta
tentamenta dulcedine Divinæ conſola-
tionis temperet. Sed quando hoc fiet,
clementiſſime Deus, quoniam adverſa-
rius noſter tanquam leo rugiens circuit
quærens, quem devoret? Ipſe eſt, Domi-
ne, tentator, & inimicus meus tenebroſus,
fortis armator, transfiguratus in Angelum
lucis, draco magnus & rufus, ſerpens an-
tiquus, vocatus diabolus, & Sathanas,
ortus in Paradiſo voluptatis, qui trahit
tertiam partem ſtellarum cœli, & mittit
eas in terram, & veneno ſuo corrumpit
aquas terræ, ut bibentes homines mo-
riantur. Domine Deus

Usquequo exaltabitur hic *inimicus meus ſu-* ℣. 3.
per me? Ex quo enim cecidit in ſoveam
ſuam, & ejeciſti eum de monte ſancto
tuo, & de medio lapidum ignitorum, in
quorum medio ambulavit, non ceſſat
perſequi me. Verſutus eſt autem, & tor-
tuoſus, nec facilè deprehendi poterit cir-
cuitus ejus, nec cognoſci vultus ejus. Un-
de ſive dormiam, vel vigilem, comedam,
vel bibam, ſive quodcunque opus operer,
inſtat modis omnibus die, ac nocte, frau-
dibus, & artibus, nunc palam, nunc oc-
cultè, nunc hìc, nunc illic, nunc agnum,
nunc lupum, nunc tenebras, nunc lucem
ſe oſtendit: & ſingulis temporibus, &
locis ſecundùm varias mutationes varias
immittit tentationes. Nam ut me tri-
ſtem decipiat, triſtatur; ut gaudentem
illudat, fingit ſe gaudere. Si ad ſpirita-
lia arma confugio, & ſtrenuos actus pra-

cticare volo, pelle lupina ùt agnus apparens, ne me ipſum lædam, pietatem ſub ſpecie crudelitatis ſuadet, laqueos abſcondit ſubtiles, & ſub virtutum colore vitia inducit, non ſolùm in carnis operibus, & vitiis, quæ de facili cognoſcuntur, ſed in ipſis quoque ſpiritualibus exercitiis, in quibus ſe in Angelum lucis transfigurat.

Hæc autem omnia, Domine Deus meus, optimè nôſti, qui noſcis contentionem ejus, & cervicem duriſſimam. Nec ideo ea dico, ut tibi oſtendam, cui clara ſunt omnia; ſed dolorem & tribulationem meam conquerens, & ante oculos tuæ majeſtatis proponeus, de inimico meo, qui exaltari vult ſuper me, opprimendo me, querimoniam facio. Ex quo enim tu ſolus es, in quo ipſe non habet quicquam, & tantum impetum furore ſuo auſus eſt facere in ſanctiſſimam animam beati Martini, Gemmæ Sacerdotum, quàm horribiliter occurret miſeræ animæ meæ ille doli artifex, & hoſtis animarum amariſſimus? horrendo aſpectu vultus ejus, intolerabili fætore os ejus, ſulphurea flamma oculorum ejus! Certum eſt enim, ùt tradunt Doctores, quòd timor hujus horrendæ beſtiæ omne genus tormentorum ſuperat, plus quàm in hoc mundo cogitare quis queat. A quo Propheta liberari petivit, cùm ait: à timore inimici eripe animam meam. Si ergo tantus erit timor ex ejus aſpectu; quantus horror, quanta confuſio, afflictio, pœna, & lamentatio erit cohabitatoribus ejus?

Sed cùm hæc omnia noſcam, ſciam, & intelligam, nihilominus peſſima eſt inſania mea, ita ut in carne laſciva torpens, infinitos laqueos ſuos, quibus vias meas decipulis complevit, nullis bonis exercitiis & actibus aufugiam; ſed in peccatis inveteratis graviter ſauciatus, langueſcens jaceam. Sed tu, Domine DEUS meus, Rex fortis, & potens, libera me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Prætende ſuper me alas tuas, ut fugiam ſub eis à facie inimici ſerpentis hujus, turris fortitudinis in Iſraël, quæ non dormitas, neque dormis cuſtodiendo Iſraël, quare non dormit, qui impugnat Iſraël. Surge Domine Deus meus, & diſſipentur inimici tui. Da mihi auxilium, & de-

A. fenſionem contra hunc crudeliſſimum hoſtem; ut ſicut fragilitatem meam non ceſſat impetere; ita tuis viribus victus cogatur abſcedere. Et ne exaltetur ſuper me,

Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus petentem liberari à prædictis malis. Exaudi, inquam, me; quia de profundis peccatorum clamo ad te. Non enim in uno profundo, ſed in profundis, pluribusque fluctibus miſeriarum exiſto. Porto enim mortale corpus, tot ærumnis ſubditum, & ab inſtanti vindicta originalis
B. culpæ infectum: in quo eſt infirmitas, animam impotentem reddens reſiſtendi motibus. Ipſa eſt etiam fœditas, per quam anima maculatur; ipſa eſt pronitas propter continuam inclinationem appetitûs ſenſuum ad malum; ipſa eſt corpus, quod ducit ad nihilum, id eſt, peccatum; ipſa eſt vitium, quod eſt comminutio bonorum naturalium; ipſa eſt languor naturæ, qui durat in natura corrupta. Ipſa eſt lex carnis, quia lege Divina ſibi ipſi eſt inflictum; ipſa eſt lex membrorum, quia movet organa ad cooperationem concupiſ-
C. centiæ. Ipſa eſt tyrannus propter dominationem quaſi violentam in ipſa vi concupiſcibili. Ipſa eſt fomes, per quam ſovetur peccatum in carne. Ipſa eſt ſtimulus carnis, qui ſtimulat carnem ad motus primos. Ipſa eſt concupiſcentia, & concupiſcibilitas, qua anima per carnem multis peccatis actualibus eſt ſubjecta, quarum ipſa eſt cauſa, quæ in me rectam rationem ſupergrediuntur: inſuper & plagæ peccatorum meorum per baptiſmum ſanatæ, per conſenſum peccati in me putruerunt, & per actum peccati cor-
D. ruptæ ſunt. Itaque tantùm in his malis afflictus, & dejectus ad terrena, & infixus in limo profundi, & intraverunt aquæ tribulationis in animam meam in hujus vitæ diluvio, in quo circumſtantibus agitor procellis, ubi non invenio fidam ſtationem, & locum eminentiorem, ubi pes columbæ valeat modicum quieſcere.

Nunquam mihi ſecura pax, nunquam tuta quies, ubique hoſtis, foris pugnæ, intus timores: altera enim pars ſum cœli, altera terræ, unde corpus, quod corrumpitur, eſt, quod aggravat animam. Sed animus meus fatigatus veniens de via languet,

guet, & jacet diſciſſus, atque laceratus A. ab his, per quas tranſit, vanitatibus. Cor quoque meum eſt mare magnum, tumens fluctibus, impletum illuſionibus. Et in his adverſitatibus etiam increduli, & ſubverſores ſunt mecum, & cum ſcorpionibus habito: & verſari cum his ſanè non eſt meæ virtutis, ſed tuæ, Domine, potentiæ. *Reſpice* ergo Domine, *& exaudi me* petentem erui ab his neceſſitatibus, ab eis videlicet peccatis, quæ quaſi neceſſitatem peccandi mihi imponunt; ut, dum primò ex cogitatione & motu oritur conſenſus, ex conſenſu operatio, & ex operatione conſuetudo, & ex conſuetu- B. dine neceſſitas, & ex neceſſitate deſperatio, & ex deſperatione mors. Ab illis neceſſitatibus, & omnibus tumeſcentibus fluctibus libera me, qui imperâſti ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Grandes itaque ſunt fluctus cordis mei, ut tranquilla fiat anima mea, & aſſumat pennas Aquilæ, ut volet, & non deficiat, & perveniat usque ad decorem domus tuæ, & confugiat ſub umbram alarum tuarum ab æſtibus cogitationum hujus ſæculi, & amplectatur te unicum bonum ſine tumultu vanarum cogitationum, & C. cæca caligine. Et ut has contemplationis pennas merear adipiſci, rogo, dulciſſime, & deſideratiſſime Pater miſericordiarum, verum lumen, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum;

℣. 5. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Tu es enim lux æterna, lux, quam non videt alia lux, lumen, quod non videt aliud lumen, lux, quæ obtenebras lucem, & lumen, quod excæcet omne extraneum lumen: lux, à qua omnis lux, lumen, à quo omne lumen, in cujus comparatione omne lumen D. tenebræ, ad quod omnis lux obſcuritas: cui omnes tenebræ lumen; lux ſumma, quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obfuſcant, quam nulla obſtacula claudunt, quam nusquam ſeparat aliqua umbra: lux, quæ ſemper luces, & nunquam extingueris, lumen veridicum, illuminans omnem Mundum, Sol illuminans cœlum, & terram. Nequeunt oculi mei, tenebris aſſueti, ſummæ veritatis radios intueri; ſed tenebras vident, tenebras amant, tenebras affectant, tenebras approbant, de tenebris transeunt in tenebras, & neſciunt, ubi corruant. O beatiſſima lux, Dominus meus, & illuminatio mea, & ſalus mea, quæ non niſi à purgatiſſimis oculis videri potes, illumina oculos meos, oculos, dico, cordis interiores, rationem, & intellectum. Munda me mundans virtus, munda oculos meos; ut ſanis te contempler oculis. Aufer ſquammas caliginis antiquæ, & radiis illuminationis tuæ ſplendor inacceſſibilis, ut te videre valeam obtutibus irreverberatis; illumina, inquam, oculos rationis, & mentis ab habitibus vitioſis, malis affectibus, inordinatis motibus, paſſionum impetibus, vanis & vagis cogitationibus, falſis, & ſuperſtitioſis errorum credulitatibus, ut non creſcant in me umbræ ignorantiæ

Illumina oculos inquiſitionis, & intelligentiæ; ut inſcius, & rudis declaratione ſermonum tuorum illuminatus valeam te cognoſcere; & cognoſcendo amare, per Evangelicum verbum gratiæ, ut me averſum reconciliet; & gratificet; verbum vitæ, ut me mortuum vivificet; verbum ſalutis, ut me perditum ſalvet; verbum regni, quo diſcam bona cœleſtia; verbum ſolatii, quo patienter ſufferam præſentia mala; verbum charitatis, quo impleantur promiſſa æternæ beatitudinis; & verbum virtutis, quo gubernetur oculus rationis, quo nil dulcius in hac vita ſentitur, nil avidiùs ſumitur, nil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nil ſic animum contra tentationes roborat, nil ita honorem excitat, & adjuvat ad omnē opus, & ad omnem laborem, ſicut hoc verbum, quo me peto illuminari.

Illumina etiam in me, Deus meus oculos humilitatis, quos Publicanus non audebat ad cœlos levare, ſed ad terram defixos tenebat dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* De quibus etiam Pſalmiſta ait: *averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ab omnibus his vanitatibus, quæſo Domine, illumina oculos humilitatis, ab arrogantia, vel humana laude, & per interiorem gratiam oculos rationis, & mentis ab omni perfidia, & pravitate, inſtruens oculos intelligentiæ, & inquiſitionis præceptorum tuorum lege, *ne unquam obdormiam in morte* torpore deſidiæ, vel illicita peccatorum delectatione, quibus tu per

Sanctos me conaris excitare dieens: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Et iterum: *Hora eſt, jam nos de ſomno ſurgere.* Fac me itaque ſurgere, ne vitiorum fumi, & quaſi vaporales reſolutiones, quæ ſunt circa ſingula vitia, paſſiones, claudant intellectus oculum, & tam profundè me dormire faciant, quòd non ſentiam turpitudines errorum, aut horrores meorum peccatorum, nec attendam amiſſionem gloriæ, aut periculum damnationis æternæ, ne animus meus tantum indureſcat, ut lethale vel putre peccati vulnus non ſentiat, nec doleat, nec remedium quærat, niſi cùm periculum mortis immineat, percutiárque hac animadverſione, ut moriens oblivíſcar mei, qui vivens oblitus ſum Dei. Ad hoc quod eſt ſtudium inimicorum meorum? Hi enim

℣. 6. *Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.* Sed Omnipotens Deus, ne des honorem alteri, quoniam dixerunt inimici mei: *Quando morietur, & peribit nomen ejus?* quod utique fieret, ſi me dejicerent à morte culpæ in mortem gehennæ. Tanta eſt enim inſultatio eorum, & vehementer timenda; ut omnibus modis conentur ad meam ſubverſionem. Unde exultabunt, ſi quo modo moveantur pedes mei per titubationem ad veniale peccatum, ut ex eo amplius cadam. Exultabunt inſuper, ſi tanquam turbatus, & ebrius movear ad mortalem culpam. Exultabunt, ſi more ſtulti tanquam Luna mutatus, & impius tanquam mare, quod quieſcere non poteſt fervendo, ad inconſtantiam, ad inſtabilitatem decidam. Exultabunt, ſi tanquam aurum obſcuratum, & color optimus mutatus, à gratia Dei per malignitatem corruam. Exultabunt inſuper, ſi motus fuero à fide ad infidelitatem, & ab infidelitate, vel culpa ad interitum gehennæ, & æternam damnationem. Ipſi ergo tuo, Domine, auxilio deſtituti, & Spiritu impatientiæ agitati, ſurgentes in continuum murmur, & odium tuum malitia, & acerbitate pœnæ quærunt me perdere: & ita culpabilis eſt in eis iniquitas, ut nullatenus poſſit ab eis diligi, vel deſiderari æquitas. Talis eſt enim eorum voluntas, ut habeat in ſe malignitatem, ſive ſupplicium, ut nunquam poſſit recipere bonitatis affectum. Hinc eſt, quòd vo-

A. luntate deliberativa, ùt tradunt Doctores Catholici, mallent omnes eſſe damnabiles, & miſeros, & nullos eſſe beatos. Ecce Domine, quanta invidia eorum contra nos! Ex quo enim ceciderunt, & in veritate non ſteterunt, non ceſſant perſequi me; ſed exultabunt, ſi motus fuero, cupientes perdere me creaturam tuam, quam creavit omnipotens bonitas tua, ut poſſideat gloriam tuam, quam ipſi perdiderunt. Ego autem non deſperans propter eorum inſultationem, odium, & perſecutiones, nec in mea juſtitia confidens, ſed

B. *In miſericordia* Domini *ſperavi*, in qua non timebo millia populi circumdantis me, vel dæmonis tribulantis, aut impugnantis, & ſi conſiſtant adverſum me caſtra, in hoc ego ſperabo. Si denique exurgat adverſus me prælium ipſorum dæmonum, me perſequentium, vel luctamen carnalium deſideriorum, mihi immittentium, non timebit cor meum, tua miſericordia adjutum. Quin imò poſt multitudinem dolorum meorum lætificatus ſpe conſolationis

Exultabit cor meum in ſalutari tuo. Exul-
C. tabit præ jucunditatis magnitudine. Non elatum, ſed in Deum elevatum exultabit, & extra, & ſupra ſe ſaltabit, & ad cœleſtia per contemplationem aſcendet. Exultabit lætitia interiori in ſalutari tuo, Domino noſtro JEſu Chriſto, qui eſt Salutare, in quo Deus Pater Salutem poſuit, & fiducialiter egit; quia miſeris opem, deſperatis ſalutem, gementibus gaudium, pauperibus abundantiam contulit. In hoc ſalutari eſt ſalus noſtra, & ſine ipſo nulli eſt, aut unquam fuit ſalus. Non eſt enim aliud nomen ſub cœlo datum hominibus,
D. in quo oporteat nos ſalvari. In hoc JEſu cùm devotam ejus virtutum, & exemplorum gero memoriam, meritò gaudebo; quoniam exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honeſtos, caſtasque fovet affectiones, iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris ſanat pruriginem. In hoc ſalutari exulta cor meum, & anima mea: gaudia gaudiorum ſume tibi, age feſtivitatem lætabundam in contemplatione ſalutaris

lutaris tui JEſu Chriſti, libertatis tuæ au- A. ctoris. Elevare nunc, quali potes conatu, & ſacris te ingere millibus lætantium. In Domino JEſu illuc fidei & ſpei vehiculo perge: ibi per charitatis ardorem jugiter converſare. Intende mentis oculum, in lumine vultus ejus, luſtra ac deoſculare gratulabuuda devotione ſingula loca felicium plagarum ejus, de quibus egreſſi ſunt pretioſi illi liquores ſacri ſanguinis, quo te appretiavit Unigenitus Dei, & ſanctificavit in vitam æternam.

Ipſe panis concupiſcibilis, botrus ſuavis, agnus mitis, leo fortis, formoſa pan- B. thera, ſimplex columba, velox aquila, ſtella matutina, ſol æternus, pacis Angelus, lux delectabilis, dulcedo inæſtimabilis, dulciſſimum ſolatium, veriſſimum gaudium. O ſuaviſſima irradiatio irradia fulgoribus tuis animam meam dulciſſimæ charitatis tuæ jaculo transfixam, & amoris facibus inflammatam ſapidiſſimis affectibus tuis, & amore languentibus deſideriis refice dulcoratam, ut te amet. In te delectentur omnes ſenſus mei, & per te perficiatur cor meum à Spiritu tuo, & caro mea deficiat concupiſcentiis ſuis. Et C. cum hoc gratuitè mihi donaveris, fiducialiter dicere poſſum cum Sancto Propheta:

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, quantum ad vitam contemplativam; *& pſallam*, quantum ad vitam activam: non cuilibet; ſed *nomini Domini Altiſſimi*, ita ut cor meum, & caro mea exultent in Deum vivum, & omnia, quæ intra me ſunt, benedicant nomini ſancto ejus: omnia quoque deſideria mea incaleſcant, & effluant in Deum meum, quem laudent, magnificent, benedicant, & dicant: tu Rex regum, & Judex judicum, magne, & D. metuende, decore nimis, & multùm amande. Tuæ operationes ſunt gemmæ, vivæ & immortales. Per te Seraphim ardet, per te Cherubim lucet, per te judicant Throni. Et tu Deus noſter ignis es innocuè ardens, & à tuæ Divinitatis immediata approximationis charitate ignitur, & flammea coruſcatione veſtitur Sacer Ordo Seraphim. Quæ & ſuavis incendii exuberantia ſpargitur in cæteras inferiùs tibi militantes adminiſtratorias phalanges, quorum agmina ſunt viva ſuperioris cœli Sydera, lilia interioris Paradiſi, roſæ plantatæ ſuper aquam Siloë, quæ ex te lucent, candent, & rutilant in virginea caſtitate, in charitatis odoribus ſempiternis. Florida hæc juventus tua, Domine, omnium electorum tuorum nobis in noſtra miſeria deſerviat, & in his tenebris Mundi greſſus noſtros pædagogica pia manuductione dirigat.

Inter quos Virgo Virginum Maria, ſuper agmina Angelorum elevata, cælicæ amænitatis Roſa pulcherrima, caſtitate præfulgida, humilitate profundiſſima, inter primæva Divini luminis ſuſceptiva lucerna ſplendidiſſima, mihi, quæſo, peccatori ſuffrageris; ut ſit tibi compaſſio ſuper me, & loquaris pro me bona, dum in conſpectu filii tui ſteteris; ut avertat indignationem ſuam à me, & ne obliviſcatur mei in finem, nec avertat faciem ſuam à me; ſed oculis miſericordiæ, quibus Petrum lachrimantem, Magdalenam pedes Dominicos rigantem, & cæteros peccatores pœnitentes reſpexit, dignetur ſuper me peccatorem grandævum dignanter illuminare, & à me tenebras caliginoſæ, & inveteratæ ſordis auferre.

Accedat inſuper præfulgida, & præclara matrona, & Domina Salvatoris, & Domini noſtri JEſu Chriſti Genitricis Mater electa, item pro me intercedens; ut Filiæ, & Matris oracula ad Unigenitum Dei Patris Filium cumulatim porrecta, in effectum Divinæ clementiæ exaudiendo ſint præſtantiora.

Aſſurgat & hic eximius Prophetarum; quo inter natos mulierum major non ſurrexit, Vox clamantis, Lucerna, Præcurſor, & Præco Domini, ad ejus, cujus vox erat, oraturus; ut ipſe auctor lucis, à quo omnis lux, dignetur illuminare tenebras meas, & dirigere pedes meos in viam pacificæ beatitudinis.

Concurrat etiam ad placandum omnipotentem Deum electus Domini Apoſtolus, Virgo innocens, & caſtiſſimus, Joannes Evangeliſta, Deo dilectus; ut hauriens ex arcanis pectoris dulciſſimi JEſu ſalutaria pocula, mentem meam æſtu vitiorum exſiccatam & aduſtam, humore fœcundiſſimi roris gratiæ Divinæ dignetur reficere.

Properet & ipſa fortiſſima mulier, & Domina Sancta Maria Magdalena, cujus ferventiſſimæ charitatis flammâ, & con-

ſtantiſſima converſionis pœnitentiâ no- A. bis ſpes & fiducia miſericordiæ Dei eſt declarata, exorans clementiſſimum Patrem miſericordiarum; ut ejus merito ipſe rubiginem peccatorum meorum inveteratam igne Divini amoris, & gemitu pœnitentiæ dignetur abſtergere.

Conſurgat & præclarus, & ſplendidus Pater, noſtræ profeſſionis Legiſlator, Doctor, & Ductor Benedictus re, & nomine, multiformis gregis Dominici exem- B. plo, vita, doctrina, & moribus Auctor, deprecans altiſſimum, quatenus non reſpiciat prævaricationis meæ contra ſanctiſſima ſua inſtituta delictum, ſed infinitæ ſuæ bonitatis, & miſericordiæ cumulum; dignetur quoque me Sanctorum, & Electorum cætui aggregare.

Rogitet quoque magnus, & præcelſi meriti Pater . . venerandus Ægydius, ut, cujus oratio in corpore fragili tantæ extitit efficaciæ; ut occultorum mereretur indulgentiam peccatorum, modo corroborata ſanctitas, & præſtantiſſima exauditionis poſtulatio mereatur graviorum facinorum auctam, & ponderoſam, ac vetuſtam ſarcinam impetrando relevare.

Aſſocietur, Omnipotens Deus, in conſpectu tuo cum his intercedentibus, & toto cœleſtis militiæ exercitu invictiſſima Martyr, inclyta, prænobilis, & amœna Virgo Dorothea, omnium neceſſitatum mearum coram te celerrima, & conſtanti prece advocata, & patrona; ut ab omnibus malis ereptus, te Deum Deorum in Syon contemplari valeam, & laudare inceſſabili, atque infatigabili conatu magnificæ laudis glorificare queam
in ſæcula ſæculorum
Amen.

DEO GRATIAS.

WALA-

Digitized by Google

WALAFRIDI STRABONIS
ABBATIS AUGIENSIS ORD. S. BENED.

In Initium Evangelii ſecundùm Matthæum de Genealogia Chriſti

HOMILIA.

Eruta ex Codd. MSS. Inclyti Monaſterii Tegernſeenſis, Ord. S. Bened. ab Adm. R. D. P. Cajetano Schellkopf, ejusdem Aſceterii Presbytero.

WALA-

Digitized by Google

VVALAFRIDI STRABONIS HOMILIA IN INITIUM EVANGELIUM SANCTI MATHÆI.

INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHÆUM.

Liber generationis JEſU Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham genuit Iſaac; Iſaac autem genuit Jacob; Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus: & reliqua

HOMILIA WALAFRIDI STRABI DE EADEM LECTIONE.

MOyſes vir ſanctus Librum A. creationis cæli & terræ divina fultus authoritate conſcripſit, in quo perituri hominis originem texerat. Mathæus Apoſtolus Chriſti, & Evangeliſta Librum Generationis JEſu Chriſti, in quo eſt initium ſalutis noſtræ, & qui eſt perfectio æternæ beatitudinis noſtræ, congruo ſcripſit exordio: quia JEſus *Salvator* interpretatur; Chriſtus *unctus*, quod eſt nomen ſummæ dignitatis; quia antiqui Reges & Prophetæ, atque Sacerdotes oleo ungebantur ſanctificationis. JEſus B. autem Chriſtus Dominus noſter oleo lætitiæ præ participibus ſuis unctus â Domino legitur. Qui venit in hunc mundum per electos & circumciſos patres, quorum nomina per ordinem Mathæus ideo in exordio ſui libri poſuit; quia in his noſtræ redemptionis & æternæ ſalutis figuram Spiritu Sancto revelante eſſe cognovit, & eaſdem figuras per Chriſtum in veritate completas. Sicut enim Chriſtus per horum Patriarcharum genealogiam ad noſtram in hunc mundum venit ſalutem, & horum omnium in ſemetipſo gerebat officium: ita etiam in horum omnium interpretatione nominum noſtram ſalutem ſpiritualiter voluit deſignari. Nos quoque quantum ipſo inſpirante, atque adjuvante poſſumus, eorum imitari debemus interpretationem, ùt ait Joannes Evangeliſta: qui Chriſtum deſiderat imitari, *debet quomodo Chriſtus ambulavit, & ipſe ambulare.* Nunc ad ipſius libri ordinem redeamus.

Liber generationis JEſu Chriſti filii David, Math.
filii Abraham. Hìc quæſtio oritur, cur c. 1. v.
anteponitur David Abraham? Quoniam quidem major electio in David, quàm repromiſſio. Nam electio in David, de quo dicitur: *Inveni David filium Jeſſe ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et iterum: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Repromiſſio verò ad Abraham. Cui dicitur: *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ.*

David *manu fortis* interpretatur; quia ſuperbiſſimum Goliath ſolus vicit, & peremit. Abraham *pater multarum gentium* interpretatur; quod utrumque Chriſtus intelligitur. Ipſe enim eſt bellator noſter fortiſſimus, qui ſolus cum diabolo, hoſte fortiſſimo pugnavit, eumque ſuperavit, & damnavit, & poſt hanc victoriam multorum

torum effectus eſt Pater Populorum, id A. eſt pater omnium credentium, qui omnibus in ſe credentibus patrem ſe invocare conceſſit dicens: *Sic autem orabitis. Pater noſter qui es in cælis.* Nos quoque in baptiſmo diabolicis omnibus renuntiantes operibus, omnibus quoque pompis diaboli abnegantes, difficilimum contra eum, ſpiritualeque certamen inivimus; & quomodo ipſe nobis nunquam inſidiare deſiſtit: ita nobis diligentiſſima cura vigilanter atque ſollicitè usque in diem exitûs noſtri in eodem certamine permanere neceſſè eſt, Deique omnipotentis cle- B. mentiſſimam pietatem jugiter implorare, quatenus nobis ſua magna miſericordia victoriam tribuat, & patres nos multarum virtutum eſſe concedat, quod ſunt arma militiæ ſpiritualis.

℣. 2. *Abraham autem genuit Iſaac.* Iſaac autem *gaudium* interpretatur. Benè etiam pater omnium credentium Chriſtus, gaudium omnium ſuorum effectus eſt Populorum; quia in nativitate ejus Angelus paſtoribus locutus eſt dicens: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Ita & nos per multiplicationem in perſeve- C. rantia bonorum operum gaudium nobis vitæ æternæ cum Sanctis Angelis præparare debemus. Et in eodem nos ſemper gaudio ſperemus manere, ùt Apoſtolus admonet dicens: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete*, ut ſubaudiatur, ita de Chriſti nos nativitate, paſſione, & reſurrectione, atque in cœlos ejus aſcenſione gaudere oportet; ut ad gaudia æterna mereamur pervenire.

Iſaac autem genuit Jacob. Jacob *ſubplantator* interpretatur. Poſtquam verò Chriſtus nativitatis ſuæ gaudia mundo con- D. ceſſit, diabolum etiam, humani generis vaſtatorem, ſua paſſione ſubplantavit, & vaſa ejus diripuit. Ita & nos per gaudium ſecundæ nativitatis, id eſt; poſt perceptionem remiſſionis omnium peccatorum in baptiſmo ſubplantatores eſſe neceſſe eſt omnium vitiorum, & carnalium delectationum, & diaboli in nobis ſubplantare tentamenta, ejusque fraudes & inſidias omnino cavere, quantumcunque poſſimus Dei gratia largiente.

Jacob genuit Judam. Judas *confeſſio* interpretatur. Confeſſio namque non ſemper ad pœnitentiam pertinet. ſed aliquando ad Dei laudem, & ad gratiarum actionem. Benè itaque Chriſtus ſubplantatis diaboli tentamentis confeſſionem, id eſt: Laudem obtulit Deo Patri, ùt ibi: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ*, quod ad laudem pertinet. Nos quoque dum auxiliante miſericordia Domini Salvatoris noſtri aliquantulum vitiorum, & carnalium delectationum in nobismetipſis vincere, & ſenſerimus ſuperare, hoc totum Dei miſericordiæ deputemus, nihil noſtris meritis tribuamus; ſed ſemper præveniamus faciem ejus in confeſſione peccatorum noſtrorum: die quoque ac nocte in ejus ſemper permaneamus laude; ut ſua nos clementiſſima protectione âb inſidiis antiqui hoſtis defendere, atque protegere dignetur, & confiteamur nomini ſancto ejus, & gloriemur in laude ipſius in ſæcula ſæculorum.

Judas autem genuit Phares & Zara. Phares *diviſio* interpretatur, & Zara *oriens*; ℣. 3. Benè etiam Chriſtus diviſio poteſt intelligi; quia ſanctam Eccleſiam â ſocietate infidelium ſeparavit. Itemque in judicio ſegregat juſtos à peccatoribus, & reddet unicuique ſecundùm opera ſua. Nobiſque neceſſè eſt, ut dividamus nos âb impiis, & infidelibus: actus quoque noſtros âb eorum ſocietate ſecernamus; ut in diviſione ultima non cum impiis damnari, ſed cum juſtis mereamur coronari. Benè in Zara, qui *oriens* interpretatur, Chriſtus intelligitur, de quo Propheta: *Orietur vobis timentibus nomen Domini ſol juſtitiæ.* Et ipſe in initio prædicationis ſuæ, Iſaiæ uſus teſtimonio, de ſemetipſo ajebat: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Et alibi: *Ego ſum lux mundi.* Ita & nos poſtquam dividamus nos âb infidelium actibus, & carnalia deſideria fugiamus, oritur in cordibus noſtris ſplendor lucis æternæ, ſol juſtitiæ Chriſtus, & ipſe in nobis habitare dignetur, ſicque per operationem virtutum impleatur in nobis, quod ipſe præcepit dicens: *Sic luceat lumen veſtrum, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Phares autem genuit Eſron. Eſron *ſagitta ſalutis Domini* interpretatur. Chriſtus enim ſalutis noſtræ ſagitta poteſt intelligi; quia ſagitta venenata cùm in quodlibet vivum

configitur, mortificat: ita & Chriſtus ſa- A. gittâ prædicationis ſuæ noſtra in nobis vitia, & peccata mortificat dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et ſancti Apoſtoli, prædicatores Eccleſiæ, ſagittæ Domini acutæ dicuntur, quorum prædicatione corripiuntur infideles, & corriguntur fideles, dum pro peccatis ſuis compunguntur ad pœnitentiam. Nos quoque ſagittam diſtrictæ examinationis juſti judicii Dei ponamus ante oculos noſtros, & dignâ defleamus pœnitentiâ mala quæ fecimus, & ut noſtrorum mereamur veniam delictorum, & aliis formam præbeamus ſalutis.

Eſron genuit Aram. Aram *electus* inter- B. pretatur. Chriſtus eſt electus Dei, de quo Pater loquitur: *Ecce puer meus, electus meus, quem elegi.* Nos quoque magnopere eligamus, quæ ſit voluntas Dei, eamque, quantum poſſimus, operemur, ut ait Apoſtolus Petrus: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.*

ỳ. 4. *Aram antem gennit Aminadab.* Aminadab *popnlus mens ſpontaneus* interpretatur. Chriſtus autem *ſpontaneus* rectè interpretatur, quia ſponte ſemetipſum obtulit pro noſtra ſalute hoſtiam immaculatam. Nos quoque ſponte Domino Deo noſtro obedire C. oportet, ejuſque voluntatem, quantum poſſimus, non coacti, ſed ſponte operari facto ſtudeamus. Et ipſe in Evangelio eos, qui voluntatem ejus faciunt, & fratres & matrem, & ſorores ejus aſſerit dicens: *Si quis fecerit volnntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.*

Aminadab genuit Naaſon. Naaſon *augur fortis* interpretatur, quod Chriſtus intelligitur qui eſt Propheta fortis, *cùm* de die judicii diſcipulis ſuis prædicavit dicens: D. *Cùm veneris filius hominis in majeſtate ſua, tunc ſedebit in ſede majeſtatis ſua*; ut judicet orbem terræ in æquitate, & reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Nos verò in virtute Chriſti mundanis auguriis gentilium relictis, promiſſis divinis fidem adhibeamus, & omnium proſperitatem rerum in Dei ſolius voluntate, non in falſis divinationibus collocemus, ſed divinis pleniter credamus oraculis.

Naaſon autem gennit Salmon. Salmon *ſenſibilis* interpretatur. Chriſtus ſenſibilis, qui mulieri retro veſtimenta tangenti dixit: *Tetigit me aliquis, nam & ego novi virtutem de me exiſſe:* qui ſcit omnia antequam fiant: qui novit omnia præterita, præſentia atque futura. Nos quoque in Domino ſenſibiles oportet exiſtere, & ſola ea, quæ bona ſunt, teneamus, & ſenſibus perfecti, in malitia parvuli ſimus, ut unanimes uno ore honorificemus Dominum, & Patrem Domini JEſu Chriſti, ac ſacræ ſcripturæ ſenſibus inſtructi docibiles Dei efficiamur ſecundùm Iſaiæ vaticinium dicentis: *Et erunt omnes docibiles Dei.*

Salmon autem genuit Booz. Booz *robur virtutis* interpretatur, quod eſt Chriſtus, qui de paſſione diſcipulis loquens ſuis dixit: *Cùm antem exaltatus fuero â terra, omnia traham ad meipſum.* Et alibi: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Nos quoque ut confortemur in Domino, & viriliter agamus Chriſto confirmante manus noſtras ad prælium, & digitos noſtros ad bellum, ut robore patientiæ firmati omnium tentationum genera ſufferre, & de inimicis triumphare poſſimus, ſenſuſque noſtros exercitatos habentes ad diſcretionem boni & mali, tenentes illud Apoſtolicum, qui dicebat: *omnia poſſnm in eo, qui me confortat.* ỳ. 5.

Booz autem genuit Obeth. Obeth *ſerviens* interpretatur. Chriſtus benè *ſerviens* intelligitur, qui dixit: *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo, hnmiliavit ſe ipſum factus obediens usque ad mortem.* Noſque ſerviamus Domino in lætitia, videlicet ſervitute, qua non per ſpiritum timoris, ſed per ſpiritum adoptionis ſervitur Domino: ac perfecta ſervitute perfectos ſervos exhibeamus nos Domino, ut cum tempus ſervitutis fuerit finitum, vocemur à Domino ad æterni regni gaudia.

Obeth autem genuit Jeſſe. Jeſſe *incenſnm* interpretatur. Chriſtus enim benè incenſum dicitur, qui ait: *Ignem veni mittere in terram, qnem volo, nt ardeat.* Ignem divini amoris ſeminare in corda fidelium dicit. Noſque incenſum orationum noſtrarum in ara cordis noſtri jugiter incendamus, & in amore Domini noſtri ſummo flagremus deſiderio, dicentes cum Pſalmiſta Domino: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectn tuo.*

Jeſſe autem genuit David. David *deſiderabilis*

bilis ſive *bellator fortis* interpretatur, quod A. utrumque Chriſtus intelligitur, de quo Propheta: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Et Evangeliſta: *Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol. Et veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Sive bellator fortis: dum diabolum vincebat, & humiliavit calumniatorem noſtrum. Nosque in typo Chriſti ac David Prophetæ proprias remittamus injurias, & deſiderabiles efficiamur Domino, avidumque erga Dominum habeamus deſiderium ut diligentes Dominum diligamur à Domino. Fortes ſimus etiam bellatores, id eſt, perfecto opere ſpiritalem gigantem Diabolum proprio occida- B. mus gladio, & de poteſtate ejus tam noſtras, quam proximorum animas eripientes; ut extremo adveniente judicio deſiderabiles fulgeamus ſicut Sol in regno Patris noſtri, & bono certamine certato repoſitam nobis in cœlis accipiamus à juſto Judice Juſtitiæ coronam.

℣. 6. *David autem genuit Salomonem.* Salomon *pacificus* interpretatur. Chriſtus enim pax noſtra, ùt ait Apoſtolus, qui facit utraque unum, id eſt, ex Judæis, & gentibus, unam ſibi fecit Eccleſiam, quam pretioſo ſanguine ſuo redemit, & reconciliavit Deo Patri ſuo. Nos quoque cum C. Apoſtolo, quantum ex nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes, & inteſtino vitiorum bello ſpiritualibus victores virtutibus, & utroque homine noſtro, id eſt, interiori & exteriori, in unum cœleſte deſiderium reconciliato, pacem habeamus ad Dominum, & proximum, & non ſolum cum omnibus pacati, verùm omnibus etiam exiſtamus pacifici, & diſcordantes ſcilicet fratres ad concordiam revocemus: *Beati*, inquit Dominus, *pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.*

℣. 7. *Salomon autem genuit Roboam.* Roboam D. *latitudo populi* interpretatur. Chriſtus enim latitudo fidelis populi rectè intelligitur; quia multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cœlorum, id eſt, ex omnibus mundi partibus vocantur ad regna cœlorum fideles. Nosque latum mandatum charitatis implentes, ſine ulla perſonarum acceptione, omnibus charitatem fraternam exhibentes, ſpirituali bonorum gaudio perfruamur in cœlis.

Roboam autem genuit Abiam. Abia *Pater Dominus* interpretatur. Chriſtus enim Pater noſter, qui dixit: *Nolite vocare vobis patrem ſuper terram; unus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt.* Nosque dignis exerceamus operibus, ut patrem habeamus Dominum, & fratres ſimus in Domino, ut veraciter dicere poſſimus: *Pater noſter, qui eſt in cœlis:* ut mereamur hæredes quidem eſſe Dei, cohæredes autem Chriſti.

Abia autem genuit Aſer. Aſer *tollens* interpretatur. Chriſtus tollens, de quo Joannes ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nosque tollamus mentes noſtras de præſentibus ad futura, de terrenis ad cœleſtia ſublevemus.

Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat qui ℣. 8. interpretatur *judicans* in Joſaphath. Chriſtus judicans dicitur, qui ait: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Nos quoque ut recte judicemus tam noſtra, quam ſubditorum examinantes peccata, cogitantes ſimus illud, quod ait ipſe Dominus: *Nolite judicare, ut non judicemini.* Et: *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.*

Joſaphath autem genuit Joram. Joram interpretatur *excelſus.* In Joram rectè Chriſtus excelſus intelligitur, qui ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi Filius hominis qui eſt in cœlo.* Et Pſalmiſta: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus.* Nosque ut à morte peccatorum per opera juſtitiæ exurgamus cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quæramus, id eſt, cœleſtia, non terrena; ut effecti in Domino ſublimes noſtram converſationem habeamus in cœlis.

Joram autem genuit Oziam. Qui interpretatur *Robuſtus Domini:* quod Chriſto convenit, quia in voce virtutis ſuæ quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Nosque ſecundum Apoſtolum confortemur in Domino, & in potentia virtutis ejus, ut Domino noſtro JEſu Chriſto roborante, & pro nobis pugnante conteratur Sathanas ſub pedibus noſtris velociter.

Ozias autem genuit Joatham. Qui inter- ℣. 9. pretatur *perfectus*; quod bene Chriſto convenit, qui baptizatori ſuo Joanni renuenti dicebat: *ſine modò: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Et alibi ait: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Qui etiam nos per diſcipulos ſuos perfectos eſſe in opera-

operatione noſtra præeepit dieens: *Eſto-* A. *te perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfe-ctus eſt.* Ideoque opera perfecta faeientes, perfecti exiſtamus, & integri: nullatenus malignis tentationibus eonſenſum adhibeamus.

Joathan autem genuit Achaz. Qui *apprehendens* dicitur: quod Chriſtus intelligitur, qui eœlum palmo ponderavit, & terram pugillo eoneludit, ùt ipſe ait: *Omnia tradita ſunt mihi à Patre meo.* Noſque ut apprehendamus, & concludamus Chriſtum in eordibus noſtris, poſteriorum oblivifcentes, ad futura nos ſemper B. extendamus, ut poſſimus apprehendere veram vitam.

Achaz autem genuit Ezechiam. Qui *fortis Domini*, vel *confortans Dominus* interpretatur, quod eſt Chriſtus de quo Paulus Apoſtolus ait: *Nos autem prædicamus Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Et ipſe diſeipulos confortans dieebat: *Confidite, ego vici mundum.* Noſque jugiter fortitudinem pro nobis pugnantis laudemus; ut & ipſe nos in ſua voluntate eonſortet: humiliter deprecemur, ut ſua miſerieordia nos ab omni malo liberet, & vitam nobis C. coneedet æternam.

℣. 10. *Ezechias autem genuit Manaſſen.* Qui *obliviosſus* dicitur. Chriſtus enim eſt obliviosſus peceatorum noſtrorum, qui ait per Ezechielen Prophetam: *In quacunque die converſus fuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non memorabor ampliùs.* Ipſe etiam injuriarum noſtrarum oblivifei nos docet dicens: *Cum ſtabitis ad adorandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ex cordibus veſtris, ut & Pater veſter cæleſtis dimittat vobis delicta veſtra.* Noſque in nocte præſentis ſæculi malorum præterito- D. rum oblivifcentes, memores ſimus nominis Domini: ultionem non quæramus remittentes debita fratribus noſtris, ut noſtra nobis à Domino dimittantur.

Manaſſes autem genuit Ammon. Ammon autem *fidelis* interpretatur. Chriſtus fidelis pro omnibus eſt, qui dixit: *Petite & accipietis: quærite & invenietis; pulſate & aperietur vobis.* De quo Joannes in Apocalypſi ait: *qui eſt teſtis fidelis.* Fidelis autem eſt, quia ejus promiſſa ſperanda ſunt pariter, & expaveſeenda. Noſque viriliter ſtemus in fide Chriſti, fidelique Do..o fideliter adhæreamus quia *juſtus ex* A. *fide vivit.* Et ipſe ait: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et fidelem ſervum in gaudia Domini intrare eoneedit, & ſuper omnia bona ſua eonſtituet.

Ammon autem genuit Joſiam. Qui interpretatur *Salus Domini.* Chriſtus enim eſt ſalus noſtra, de quo Apoſtolus ait: *Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Nos quoque operibus juſtitiæ, & pietatis ſalutem noſtram ſimus operantes; ut ita per invocationem ſancti ſui nominis ſalutem conſequi mereamur æternam.

B. *Joſias autem genuit Jechoniam* Qui interpretatur *præparatio Domini.* Quod eſt Chriſtus, qui dixit: *Si enim abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum.* Nos quoque in adventum Domini nos ipſos jugiter præparemus, ſemperque vigiles, & ſuſpecti, ne ſuperveniat nobis repentina illa dies, quæ tanquam laqueus irruit ſuper omnes, qui habitant ſuper faciem terræ. Caveamus, ne exemplo fatuarum virginum exeludamur à nuptiis veniente Domino, ſed cum prudentibus potiùs ad nuptias, atque ad C. gaudia intromittamur æterna. ℣. 11.

Jechonias autem genuit Joàchim. Qui *Reſurrectio Domini* interpretatur. Chriſtus enim eſt reſurrectio noſtra, qui dixit: *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me non morietur in æternum; ſed reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Nos quoque à morte peccati ad juſtitiæ viam reſurgamus, ut per iſtam reſurrectionem animæ in reſurrectione noviſſima cum ſanctis & juſtis æterna mereamur poſſidere gaudia.

Joachim autem genuit Salathihel. Quod eſt *petitio mea Dominus.* Chriſtus enim pro ℣. 12.
D. nobis petiit Patrem, cum ait: *Pater Sancte! ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi de mundo.* Noſque unam petitionem petamus à Domino; ut habitemus in Domo Domini omnibus diebus vitæ noſtræ: *Quia omnis qui petit accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.*

Salathihel autem genuit Zorobabel. Quod eſt *Magiſter.* Chriſtus autem Magiſter eſt omnium eredentium, qui dixit diſeipulis ſuis: *Ne vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Nos quoque omni ſtudio ſatagemus tam diſcipuli eœleſtis & veri Magiſtri fieri, quàm magiſtri imperitorum, ut quæcunque didicerimus, opere

opere complentes, alios doceamus, ùt A ſcriptum eſt: *qui audit, dicat veni:* id eſt, ut qui ad ſpiritualem cœnam invitatus eſt, cœteros quoque invitet, ut ſit domus plena diſcumbentium in vita æterna.

℣. 13. *Zorobabel autem genuit Abiud.* Quod dicitur *Pater meus iſte*, quod eſt Chriſtus qui dixit: *Ego & Pater unum ſumus.* Qui eſt Pater, & caput omnium credentium. Noſque diguis nos exerceamus operibus, ut ſit nobis ipſe Dominus Chriſtus in Patrem, & nos illi ſimus in filios & filias, & ut talis progenies cum Patre regnet in Cœlo.

Abiud autem genuit Eliachim. Qui *Dominus reſuſcitans* interpretatur, quod eſt B Chriſtus, qui ait: *Qui credit in me, non morietur in æternum, ſed reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Nos quoque in confeſſione & lamento delictorum noſtrorum in anima quotidie reſurgamus à vitiis ad virtutes, ut Domino vivere mereamur in Spiritu Sancto.

Eliachim autem genuit Azor. Qui dicitur *adjutus*, quod eſt Chriſtus, qui ait: *Non ſum ſolus, ſed qui me miſit Pater, mecum eſt.* Nos quoque adjuvante Domino aëreas vincamus poteſtates, & in Domino ſolo C confidentes dicamus: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.*

℣. 14. *Azor autem genuit Sadoch.* Qui *juſtus* interpretatur, quod Chriſtus intelligitur, de quo Joannes ait: *Advocatum habemus apud Patrem JEſum Chriſtum juſtum.* Noſque ejus imploremus clementiam, ut juſtificari mereamur ab eo, qui juſtificat impium, qui dicit per Prophetam: *Impius enim in quacunque die ab impietate ſua converſus fuerit, juſtificabitur, & vita vivet, & non morietur.*

Sadoch autem genuit Achim. Qui interpretatur *frater meus.* Chriſtus enim frater D noſter eſt, qui Dominum Patrem ſuum etiam nos patrem invoeare conceſſit dicendo: *Sic autem orabitis: Pater noſter qui es in cælis.* Et in Evangelio ait: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe frater, ſoror, & mater eſt.* Et mulieribus poſt reſurrectionem: *Ite renuntiate fratribus meis.* Noſque omni conamine ejus jugiter faeientes ſimus voluntatem, ut hujus nominis dignitatem in cœleſti regno percipere mereamur.

Achim autem genuit Eliud. Eliud autem interpretatur *Deus iſte:* ùt Thomas ait ad Chriſtum: *Dominus meus, & Deus meus.* Noſque nullum alium habeamus Dominum Patrem, & Filium ejus unicum Dominum noſtrum, & Spiritum Sanctum.

Eliud autem genuit Eleazar. Quod interpretatur: *Deus meus adjutor.* ℣. 15. Chriſtus enim omnium credentium ſibi adjutor eſt, qui ait: *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Et item: *Amen dico vobis, quidquid orantes petetis in nomine meo accipietis.* Nos quoque confiteamur ſalutem noſtram in Domino JEſu tantummodo conſtare, cogitantes illud dictum: *Quærite ergo regnum Dei primùm, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Eleazar autem genuit Mathan. Qui interpretatur *donans.* Per Chriſtum enim Deus Pater omnia noſtra nobis donavit debita: *Et ipſe aſcendens in altum dedit dona hominibus*, id eſt, beatitudinem, quam in Adæ prævaricatione perdidimus, ſua nobis paſſione, reſurrectione, atque aſcenſione reddidit: ſive cùm Spiritum Sanctum Apoſtolis tradidit. Nos quoque donantes proximis noſtris delicta eorum, & dona Sancti Spiritus accipientes, gratia DEI mereamur ditari.

Mathan autem genuit Jacob. Quod eſt *ſubplantator.* Chriſtus enim eſt ſubplantator antiqui hoſtis noſtri, qui ſuis fidelibus dedit poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & Scorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Nos quoque Rectores tenebrarum harum cum vitiis & concupiſcentiis carnis virtute Dei, & fortitudine ſubplantemus ſpirituali, ùt ait Petrus Apoſtolus in epiſtola ſua: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Sine certamine enim nequaquam belli victoria acquiritur æterna.

Jacob autem genuit Joſeph, virum Mariæ, ℣. 16.
de qua natus eſt JEſus, qui vocatur Chriſtus. Joſeph *auctus* interpretatur, qui ſignificat Chriſtum, qui dixit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et item: *Rogo Patrem meum, & alium Paraclytum mittet vobis Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere.* Noſter verò exterior homo, ſi mortificatione vitiorum corrumpitur, interior tamen de die in diem renovatur, & ſpiritualium incrementorum augetur profectibus, donec de unoquoque noſtrum ſpiritualiter dici poſſit: *Filius accreſcens Joſeph.* Creſcamus itaque

in charitate, donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut tranſeuntes de virtute in virtutem, & de timore Dei, qui eſt initium ſapientiæ, per gradus perfectionis aſcendentes ad charitatem, quæ totius præcepti finis eſt, poſt ea videre poſſimus Deum Deorum in Syon.

MARIA ut plerique æſtimant interpretatur *inluminatrix*, & *ſtella maris*. Sermone Syro *Domina* dicitur. Benè autem *inluminatrix* dicitur; quia per ipſam lux totius mundi natus eſt Chriſtus. Quia ſicut per Evæ transgreſſionem in tenebris & umbra mortis æternæ damnata eſt omnis terra, ita & per merita beatæ ſemperque Virginis MARIÆ, & per partum ejus, liberata, & ſanctificata, atque inluminata eſt omnis terra. Nautarum mos eſt, ut, cùm in aliquam terram remigare diſponant, unum aliquod ſydus eligunt, cujus ſigno luceque radiante in eam, quam deſiderant, partem, ſine errore poſſint adduci. Hoc idem in Sanctæ MARIÆ obſervatum eſt nomine. Quia nobis in mari hujus mundi navigantibus *Stella maris* dicta eſt. Quicunque enim Eccleſiaſticus nauta mundi hujus perturbationibus periclitatur, ſi in ſtellæ hujus lucem, hoc eſt, in Chriſtum, de MARIA Virgine natum, tota mentis intentione reſpexerit, & in eo ſpem ſuam defixerit, & verborum illius exemplorumque ducatum ſecutus fuerit, ſine ullo naufragio ſalutis, & diſpendio ad portum perveniet vitæ æternæ, ipſo Chriſto dicente: *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ æternæ.* *Domina* verò cur ſit nominata, explanatione non indiget, quæ Dominum peperit Salvatorem. Revera etenim mater regis Chriſti regum regina, Mater Domini Dominorum, Domina debuit nuncupari, per quam lumen fidei, & divinæ gratiæ accipientes ducamur ad ineffabilem Dei Omnipotentis viſionem in qua gaudentes, ab omni triſtitia ſæculi liberati, in æterna beatitudine regnare cum Chriſto mereamur.

Decurſis igitur generibus rurſum Mathæus recapitulat dicens: *Ab Abraham usque ad David generationes XIV.* Cur itaque per tres ordines ter ſunt poſiti, niſi quòd trium ſeminum ordini, triceſimo ſcilicet, ſexageſimo, & centeſimo tres iſti generationum

A. ordines conveniunt? Triceſimus quippe ordo, qui conjugatis fidelibus deputatur, benè Abraham congruit, qui fideli connubio Iſaac filium ſuum, quem in figuram Chriſti Domino hoſtiam obtulit, ſcribitur genuiſſe. Secundus etiam Ordo, qui viduis deputatur, benè usque ad transmigrationem Babylonis ducitur: quo tempore regia ſtirps regali viduata eſt dignitate. Tertius inde ordo usque ad MARIAM Virginem, & ad ipſum caput virginum numeratur; quia centeſimi perfectione numeri corona virginum deſignatur. Sive etiam quia per Sanctæ Trinitatis confeſſionem, B. atque per obſervationem novi, & veteris teſtamenti fideles quique ſalvantur, & ad vitam perveniunt ſempiternam: quia per decem præcepta legis & per quatuor Evangelia ſalutis noſtræ perfectio demonſtratur. Sive etiam quia à tribus mundi partibus, Aſia, videlicet, Africa, & Europa, fidelium numerus adimpletur. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad Chriſtum generationes XLII. ſunt: quia filii Iſrael ab Ægypto profecti, quod hunc mundum ſignificat ſive tenebras, per Quadraginta & duas manſiones C. terram repromiſſionis ingreſſi ſunt. Sic per quadraginta & duos patres advenit nobis liberatio, & redemptio noſtra. Sive etiam quadragenarius iſte numerus omnem vitæ noſtræ perfectionem vult deſignare, ubi per corpus & animam vivimus ſub labore & periculo tentationum, ſperantes, quod non videmus, & per patientiam exſpectantes quousque ad promiſſam æternæ felicitatis patriam pervenire mereamur.

Audiſtis, & intellexiſtis Dilectiſſimi, beatum Moyſen Librum Creationis cœli & terræ, omniumque elementorum viſi- D. bilium, & inviſibilium, atque totius mundi conditionem ab initio deſcribentem, etiam & perituri hominis jacturam de paradyſo: & in eadem ſimilitudine Mathæum Evangeliſtam etiam totius mundi reſtaurationem in Chriſto, ſicut à ſanctis Patribus pronuntiata, vel figurata fuerat, pleniter eſſe perfectam audivimus deſcripſiſſe. Non immerito igitur beatus Mathæus Apoſtolus pariter & Evangeliſta tantorum Patrum ſeriem in Chriſti nativitate texuerat; quia in his omnibus per Spiritum Sanctum myſterium noſtræ ſalutis figurari cognovit, & quia ſingulus eorum in ſe

Domini

Domini Salvaroris noſtri typum gerebat, A. & quia ipſe Dominus & Salvator noſter horum omnium in ſemetipſo reparationis noſtræ complevit officium. Ipſe enim in Patriarchis Patriarcha, in Prophetis Propheta, in Sacerdotibus Sacerdos, in Judicibus Judex, ſicut ſuperius ſatis evidenter congruentibus teſtimoniis declaratur.

Nos quoque ſumma hæc diligentia pertractantes intelligere debemus, quia eaſdem interpretationes omnium atque B. figuras, quas pro noſtra omnium redemptione, & ſalute in ſemetipſo Chriſtus in veritate complevit, ſuis diſcipulis & Succeſſoribus eorum imitanda reliquit. Ideoque magnopere penſandum eſt nobis dilectiſſimi, magnaque formidine cogitandum, quia nos, qui vicarii & Succeſſores fieri beatorum Apoſtolorum, atque ſanctorum Patrum conſtituti ſumus, ea, quæ ipſe Dominus diſcipulis ſuis in exemplum conceſſit, etiam nos ſi, ad æternam vitam pervenire cupimus, quantum poſſumus, ipſo Domino auxiliante imitari debemus. Magna ſunt enim hæc, fratres; ſed quantò majora ſunt, quantóque pluriora, quæ imitari debemus, tantò majora & feliciora nobis ſperanda ſunt præmia, ſi fideliter ea, quæ commiſſa ſunt, non noſtræ tantùm ſalutis curâ, ſed eorum, qui nobis ad providendum ſubjecti ſunt, obſervare, & adimplere ſtudeamus, cogitantes illud Apoſtoli: *Qui plus laborat, plus mercedis accipiet.* Et ipſe Dominus in Evangelio ait: *Qui autem in præceptis meis perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* * Quod & ipſe JEſus Chriſtus nobis præſtare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia Sæcula.

Amen.

* *In altero Cod. hæc clauſula habetur:* Per eum, qui vivit, & regnat Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

THEO-

THEODORICI
PATERBRUNNENSIS
CANONICI
COMMENTATIO
IN
ORATIONEM
DOMINICAM.

Prodit nunc primùm in lucem ex Cod. MS. Inclytæ Canoniæ Clauſtro-Neoburgenſis in Auſtria, Ord. Can. Reg. S. Aug. operâ Adm. R. D. Eugenii Pyrcklbauer, ejusd. loci Canonici & Bibliothecarii.

Scriptum

SCRIPTUM THEODORICI, PATERBRUNNENSIS CANONICI DE ORATIONE DOMINICA, QUOD OB MEMORIAM IMMABI VENERABILIS EPISCOPI, INSTINCTU REVERENDI SACERDOTIS REINBOLDI, PER GRATIAM S. SPIRITUS EDIDIT.

CAP. I.

De petitione prima: Pater noſter, qui es in cœlis.

PAtrem miſericordiæ noſtrum eſſe patrem cùm rationibus tum auctoritatibus, utriſque Sanctè, ac reverenter ſuſcipiendis, evidentiſſimè comprobatur. Ajt enim Vas electionis, contemplator arcanæ in cœlo veritatis: *Deo & Patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum Amen. Et alibi: Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro.* Quis enim adeò exhauſti pudoris, quis adeò impudens irriſor veritatis, quis adeò pertinax aſſertor falſitatis, qui non aequieſcat, ſi nos filii ſumus ejus, eum eſſe Patrem nos autem filios? Scriptum eſt enim: *Filii excelſi omnes.* Et rurſum: *Venite filii audite me.* Nonne enim hæc nobis carnali Iſraëli obtectis & obſignatis uſque ad revelationem capitis noſtri JEſu Chriſti, eodem velamine obvoluti, ſunt annuntiata? Ergo ipſe eſt Pater, ipſe quoque poſſidet nos per charitatem ſuam, fecit ex nihilo per potentiam ſuam, creavit nos in bonis operibus per gratiam ſuam. Hinc Apoſtolus ait: *Ipſius*, id eſt: *Dei factura ſumus, creati in Chriſto JESU in operibus bonis.* Nunquid ergo non ipſe eſt Pater, qui poſſidet, & fecit & creavit nos? Chriſtus quoque Dei ſapientia, Dei Filius, Dei conſcius: *Eſtote*, inquit, *perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Ipſe ergo JEſus Chriſtus percontantibus diſcipulis ſuis de orationis modo: *Sic*, inquit, *orate: Pater noſter* & reliqua. Igitur inſtructione Chriſti fundati, clarorum virorum teſtimonio ædificati, nullam rapinam arbitrantes in

A. oratione noſtra, animamur clamare in Spiritu Sancto: *Pater noſter.* Paulus enim ait: *in quo*, id eſt in Spiritu Sancto, *clamamus: Abba pater.* Quis enim Omnipotentem tam familiari nomine *patris* appellare in ſuo Spiritu præſumeret? *Qui es*, id eſt: qui perfectè & ſingulariter ſubſiſtis. Dictum eſt Moyſi: *qui eſt, miſit me.* Quis miſit Moyſen? nonne Deus? ergo qui eſt, Deus eſt, & alibi: *Ego ſum, qui ſum.* Quis hæc loquitur: niſi Deus qui eſt? Ergo Deus eſt. Quod autem eſſe tam creaturæ, quàm Creatori ſecundùm
B. vocis formam communem ſpecialiter Creatori aſſignatur, eo modo locutionis fit, quo multa communia uni ſoli participanti pro reverentia excellentiori attribuuntur. *Deus* enim tam veri, & in omnes divitis, & omnipotentis, quàm falſi & egeni, & inpotentis ſimulachri nomen eſt. Sed *Deus*, cùm dicitur, verus intelligitur. *Dominus* quoque tam creatori, quàm cuidam creaturæ commune, cùm effertur, intellectus noſter pro reverentia ad Creatorem trahitur. *Juſtus* quoque & *Sanctus* cùm dicitur; ipſe intel-
C. ligitur. Hinc pſalmus ait: *Mirificavit Dominus Sanctum ſuum.* Et alibi: *Juſtus autem quid fecit?* *Filius* quoque eſt commune; ſed cùm per ſe dicitur, Filius Dei intelligitur. Unde ipſe ait: *Si vos Filius liberaverit.* Hoc quoque locutionis modo cùm *Apoſtolus* ſimpliciter effertur, Paulus intelligitur. Igitur cùm Divinitatis *eſſe* ſit ante omne eſſe, excellens omne eſſe, condens omne eſſe, gubernans omne eſſe, prærogatione aſſignationis ſublimitatem Dei glorificamus, Deum intelligentes cùm dicitur: *qui es.* Et hæc ratio in hac re ſatis ſit pro brevitate, quamvis aliæ quo-

que poſſint accedere. Ipſius enim eſſe A ſingulare eſt, non conventu partium junctum, ſed quidquid in eo eſt, Deus eſt, & Deus eſt ineffabiliter, quidquid in eo eſt. In creaturis verò non ſo ſic habet. Hominis enim eſſentia, ex anima & corpore juncta, in easdem rurſus reſolvitur, nec quidquid in hac eſſentia eſt. Homo eſt. Nec homo eſt quidquid in hac eſſentia eſt. Non eſt enim homo anima, nec anima homo, idem in reliquis. Hinc Boëtius ait: *Nulla res eſt id, quod eſt*, id eſt: non omnia eſſe convertibiliter, quæ in ſua eſſentia ſunt. Congruè verò in B ipſius orationis primordio eſſe eum confitemur, id quidem edocente JEſu, ne velut inſipiens diceremus in corde noſtro: *Non eſt Deus.* Hinc Paulus ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Eſt enim primum fidei fundamentum ſuæ exiſtentiæ confeſſio. Fruſtra enim de eo quidquam crederemus, niſi de ſuo eſſe certi eſſemus, qui condidit omnia, quem glorificant omnia. Unde ſubjungitur

CAP. II.

De petitione ſecunda: Sanctificetur nomen tuum. C

IN *cœlis ſanctificetur Nomen tuum*, id eſt, ab his, qui in cœlis ſunt, glorificetur, adoretur potentia tua. Beatos Spiritus Angelorum, quos diverſis nominibus appellamus, conſpectui Dei credimus aſſiſtere, & eos gloriam Divinitatis contemplantes, & in eo ſemper exultantes, eum laudare & inceſſanter ſanctificare. Animas quoque beatorum hominum nexibus corporis abſolutas, Angelorum conſortio intereſſe, & laudem & gloriam Creatoris, D Redemptoris, Propitiatoris concelebrare. Quæ enim in carcere corporeo alligatæ, ad eum tamen ſuſpiraverunt, & obtutum ſuum utcumque per ænigma videntes, in claritatem ejus direxerunt, & potentiam, & virtutem, & gratiam ejus glorificaverunt: quantò magis nunc reſolutæ, & eo fruentes, & facie ad faciem contemplantes, nomen ſuum credentur magnificare? Igitur noſtram devotionem Deum glorificandi oſtendentes, optamus & petimus, ut hi qui aſſiſtunt ei, qui eum, ùt eſt, contemplantur, qui eo feliciter perfruuntur, conlaudent eum, & conglorificent. Ac ſi apertè dicamus: quia nos in hac fragilitate & corruptione detenti Te, Pater æterne, perfectè laudare non poſſumus, ab his Spiritibus laus tua perficiatur, quos tibi adhærere indiſſolubiliter voluiſti, & quas animas de hac cenolenta inhabitatione puras, & ad ſerviendum tibi liberas exemiſti. Unde cum magno deſiderio per nos etiam hanc laudem perficiendi ſubjungimus:

CAP. III.

De petitione tertia: Adveniat regnum tuum.

A*Dveniat regnum tuum.* Sancta Eccleſia regnum Chriſti eſt, cujus ipſe Princeps erit, quouſque inimicos ſuos partim per gratiæ electionem, partim per reprobationem pedibus ſuis ſubjecerit. Hinc Paulus ait: *Oportet illum*, id eſt, Chriſtum, *regnare, donec ponat omnes ſuos inimicos ſub pedibus ſuis.* Qua ſubjectione conſummata, & à ſapientiſſimo Rege regno ſapientiſſimè ordinato, tradet, illud Deo Patri in tempore noviſſimo, ùt Paulus ait: *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri.* In quo regno à Deo Patre ſuſcepto nos comprehendemus, ùt nos modò comprehenſi ſumus; cognoſcemus, ùt modò cogniti ſumus, cujus modò perfectionem non habemus. Hinc Paulus ait: *Etſi quid aliter ſapitis, & hoc quoque vobis Deus revelabit.* Id eſt: ſi perfectè Deum Chriſtumque ſuum non intelligitis, qui dedit id, quod tenetis, ipſe in regno illo revelabit reſidua perfectionis. In hoc quoque perſecutiones hominum non pertimeſcimus, fame, ſiti non areſcimus, frigore non torpeſcimus, nec erimus ſervituti carnis obnoxii, ſed in laude Dei liberi; nec antiquus hoſtis inſultabit, cùm Chriſtus, ùt Paulus ait: *Omnem principatum & poteſtatem & virtutem evacuaverit.* Cùm ergo adveniente Dei Patris regno de omni neceſſitate eximamur, & omnis gratiæ perfectio nobis conferatur, ut & in nobis, qui corruptione carnis impediti, voluntati ſuæ per omnia ſubſervire non poſſumus, ſicut illi, quos jam in arce cœli conſtituit, voluntas ſua fiat, quid potuit petere, quid ampliùs deſiderare oportet, quàm hujus regni adventum? Propter quod ſubinſertur:

CAP.

CAP. IV.

De petitione quarta: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Ac ſi dicamus: propterea ſempiterne Pater regnum tuum optamus advenire, ut & nos, qui in terra ſumus, tales efficiamur, qui a tua voluntate non excedamus, ſicut nec illi excedunt, qui ſunt in cœlo, id eſt, Chriſtus ipſe Filius tuus, Dominus noſter, & qui cum eo ſunt omnes Sancti. Et poteſt hujus litteraturæ talis eſſe continuatio: *Adveniat regnum tuum,* ſubaudis: ut *fiat voluntas tua*, & reliqua. Veruntamen non incongruè membrum unum per ſe accipitur. *Fiat voluntas tua.* Priùs enim optavimus ſæculum iſtud conſummari, regnum Eccleſiæ Deo Patri à Filio tradi. Quæ cùm fiunt, ſanctis gloriæ ſempiterna exaltatio, & contaminatis criminaliter pœnæ indeficiens humiliatio. Igitur Joannes, fidelis Apoſtolus & eruditor, ſciens, nobis adventum illius regni offuturum, niſi in diebus carnis noſtræ in nobis voluntas Dei fieret, ſubjungit ſtatim, illud eſſe petendum. Fit autem in nobis voluntas Dei, cùm & Sancti & inmaculati ſimus in conſpectu ejus. Hinc Paulus ait: *Eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, quæ tum perfecta erit, cùm per mundæ cogitationis armaturam contrarias peſtes è Spiritu noſtro proturbaverimus, & iuquinamenta ſuperbæ carnis per continentiam delimaverimus; & contumaciam illius ſub pede tandem perfectæ caſtitatis proculcaverimus. Hinc idem ait: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac Spiritu perficientes ſanctificationem.* Hæc jam in his perfecta eſt, qui per fidei armaturam incurſanti hoſti ſe oppoſuère, & eo victo, immò conculcato, ad palatia ſummi Regis ſui Ducis redière, & coronas præmiorum, virgam perpetuæ libertatis cum exultatione ſuſcepère; magno tamen conſilio Diſpenſatoris ſumma adhuc ſubtracta præmiorum ſine murmure & impatientia emeritorum. Qui enim hinc ad cœlos commigraverunt, partem beatitudinis perceperunt, in cætero nos exſpectantes, ut ſimul omnibus conſummatis, & ſimul exultantibus, talis lætitiæ concentus in domo æterni Regis & ſponſi oriatur, qualis decet incomprehenſibi-

A. lem Majeſtatem, familiam omni decore fulgentem, ſponſum in omni caſtitate procedentem, Virginem immaculatam in amplexus ejus occurrentem. Hinc Paulus ait: *Hi non acceperunt repromiſſionem melius aliquid providente Domino pro nobis, ne ſine nobis conſummarentur.* Melius enim erit omnibus nobis, cùm & pro noſtra & pro aliorum beatitudine ſimul invicem communiter exultabimus. Igitur cùm dicimus: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, idobſecramus, uti nos, qui adhuc in caſtris militiæ fidelis impetimur, ſancti & immaculati conſervemur, ſicut illi ſpiri-
B. tus, qui claritati vultus ejus aſſiſtunt, prout hæc terrena cœleſtibus comparari valent. Nihil enim hic conſummationis comprehenditur, ſed per arrham gratiæ ſpiritualis hic perceptæ, ad perfectionem perſequimur. Hinc Paulus ait: *Fratres non arbitror me adhuc comprehendiſſe: ſequar autem, ſi quomodo comprehendam.* Porro ad ſanctitatis conſummationem fides, quæ bonorum omnium eſt initium, ſummè eſt neceſſaria, per quam & patribus præcedentibus, & fratribus præſentibus, & filiis ſucceſſuris conferetur juſtitia. Hinc
C. ſcriptum eſt: *Juſtus ex fide vivit*, id eſt; juſtus eſt. Quapropter Dominus JEſus fidelis eruditor, & omnium in ſalutem noſtram operator, quomodo eam peteremus edocuit dicens:

CAP. V.

De petitione quinta: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Panis enim, id eſt: ſuſtentatio, quem hic petimus, fides intelligitur. Per hanc
D. verò in ſæculi ætate prima Abel juſtus, & Enoch Deo placens ſalvi facti ſunt. Noë quoque caput ætatis ſecundæ, ſuaque domus, per fidem hæredes juſtitiæ ſunt inſtituti. Eadem quoque Patriarchas tertia ætate inſignes in promiſſionis gratiam ſubvexit. Quartæ ætatis Moyſen; quintæ David principes ipſa coronavit. In ſexta verò quam ipſe auctor omnium initiavit, & præſentia ſui condecoravit, Apoſtoli & eorum imitatores per fidem participes Chriſti ſunt effecti. Atque in omni ætate ſæculi, quotquot juſti, per fidem juſti, quotquot ſalvi, per fidem ſalvi:

Digitized by Google

Sine fide enim impoſſibile eſt, quemquam placere A. *Deo.* Porro ſex diſcretiones iſtæ ſæculi & ſeptima interminata, vacans omni operatione laboris, hebdomadæ per dies ſex ad opus, ſeptimam ad requiem deſtinatam, diſtinctioni ſimiles ſunt. Cùm ergo *panis* iſte, id eſt: fides, quæ eſt ſuſtentatio, & firmamentum ad ſalutem in omni die, id eſt: ætate ſæculi præcedente, fuerit neceſſarius, jure eum quotidianum appellantes, â Deo Patre erogari *hodie*, id eſt hoc gratiæ tempore flagitamus, ac ſi apertè dicamus: O Deus Pater, fidem nobis da in hoc gratiæ tempore exiſtentibus, qua Patres noſtros omnes refeciſti, B. quos ad gloriam tuam in æterno regno tuo præordinâſti. Si quis autem fortè iſta legerit, & in aliquo tractatore ſacri eloquii eadem aliter expoſita meminerit, non tamen iſta præjudicet; de gratia Spiritûs ſententiam non præcipitet. Confido enim eundem Spiritum, qui diviſit aliis pro ſua voluntate, & mihi quoque prout voluit, diviſiſſe. Non eſt omnibus nobis idem intellectus, ſicut non omnibus membris idem actus. Hinc Paulus ait: *Alius ſic, alius autem ſic.* Et quid mirum Dei ſapientiam multas divitias in verbis ſacris recondidiſſe, qui in uno grano C. multa de ſe procreandi naturam & virtutem repoſuit, etſi diverſa grana ab uno progenita unam generis ſui ſpeciem repræſentant? Quid mirum, ſi diverſæ ſententiæ ſermonis Dominici in unam quaſi formam veritatis concordant? Et qui omne ſeminarium fœcundat benedictione ſua, cur ſemen verbi ſui in unius intellectûs ſtringeret penuria? Nec incongruè *panis* nomine fides per ſimilitudinem deſignatur. Sicut enim panis robur eſt in cibis corporalibus; ſic fides eſt initium & fundamentum in ſpiritualibus. Hinc Paulus ait: *Participes Chriſti effecti ſumus,* D. *ſi initium*, id eſt, fidem, *ſubſtantiæ retinuerimus.* Et rurſum: *Ædificati ſuper fundamentum*, id eſt, fidem, *Apoſtolorum.* Sed cùm fidem Chriſti profitemur, & in baptiſmate peccatis crucifigimur, & in ſepulturæ Dominicæ ſignum ibi ſepelimur, inde reſurgentes, nobiſcum reſuſcitatis virtutibus in ſimilitudinem reſurrectionis mortuorum cum Chriſto, univerſæ Religionis Chriſtianæ debitores effecti ſumus. Sicut enim carnalem Judæum circumciſio in carne legis, datæ per Moyſen, debitorem conſtituit, quomodo ſpiritualem confitentem ſanctificatio in ſpiritu debito gratiæ, per Chriſtum evangelizatæ, non obligavit? Hinc Paulus ait: *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quia debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Sed cùm perſolvere pergimus, perſecutor invadit, oppugnat, frequenter vincit, violenter, quæ vehimus, rapit; ùt quæ debuimus, in horrea Domini noſtri opportuno tempore non perferamus. Quid igitur Domino noſtro dicemus? Illud certè, quod ſequitur:

CAP. VI.

De petitione ſexta: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

D*imitte nobis debita noſtra*, quæ non reddidimus, ſicut tibi promiſimus. Dimitte nobis Domine, quia donamus *noſtris debitoribus* in tuo nomine. Sed cùm hoſtis fructum noſtrum depopulatur, jugo ſuæ iniquitatis conatur nos onerare, &c, ne ad Dominum noſtrum pro venia imploranda feſtinemus, curſum noſtrum impedire. Cujus aſtutiæ, ùt ſunt pernicioſiſſimæ, ita ſunt & variæ. Primum enim nos in paſſiones deſiderii tradit; deinde in patrationem ſceleris usque ſuccendit; exin mentes noſtras tenebris obvolvit; ut cùm mortale flagitium perpetremus, vel parvum, & non pœnitentia dignum æſtimemus, vel etiam quidquam commiſiſſe ignoremus. Sunt enim, qui avaritiæ laqueo intricantur, vel qui illicito amore delectantur, qui nec peccâſſe, nec ſe à regno Dei ob hæc patrata rejiciendos arbitrantur. At in Paulo Spiritus Sanctus erat; ait enim: *Puto, quia Spiritum Dei habeo.* Et in ipſo Chriſtus loquebatur: *Non enim*, inquit, *audeo quidquam loqui, quod per me non effecerit Chriſtus.* Et alibi: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* Igitur quid de avaro, & illicito amore polluto, & his ſimilibus, præſidentes beato Paulo per eum teſtificentur, videamus. Ait enim ſcribens ad Epheſios, ab his, qui ſeducunt corda innocentium, & qui ſe commendant mala opera laudando aliorum, deceptos: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis: fornicator aut avarus regnum Dei non poſſidebunt.* Eſt verò

fornica-

A. fornicatio, quidquid in hoc patratur genere ſine legitima connubii contractione. In quem laqueum Diaboli cùm incidimus, ſcilicet ut ignoremus noſtri ſceleris patrationem, procul dubio in extremam ſenſûs traditi ſumus reprobationem. Enumeratis enim multis flagitiis, in quæ gentiles devolvebantur, exaggerantes iniquitatem ſuper iniquitatem, Paulus cum gravi conqueſtione ſubintulit: *Qui cùm Deum cognoviſſent, non cognoverunt: qui talia agunt, digni ſunt morte*, illud æſtimans malum pernicioſiſſimum, dum in ignorantiam incidimus noſtrorum peccatorum. Qui enim in voragine vitiorum ignoran-
B. ter abſorptus jacet, quomodo ad pœnitentiam ſuſpiret? Quis enim de ignorato crimine pœniteat? Quodſi Sathanas ſubtrahere non potuerit agnitionem flagitii, plerumque perſuadet peccatori; ut confeſſus peccatum, æſtimet, dum pro reatu hoſtias offert pœnitentiæ, licenter poſſe in ejusdem flagitii volutari conſuetudine. Sunt enim, qui in amore illicito & in genere ſimili delinquunt, & tamen ad confeſſionem & emendationem confugiunt. Sed dum per hoſtias ſuas in culpæ purgatione currunt, non ſegniùs eodem cæno voluntariè ſeſe rurſus inficiunt, falsò putantes, ut per hoſtias reatus abluatur, cùm mens, & voluntas, & operatio in eadem ſorde pervolvitur. Hinc Paulus ait: *Voluntariè enim peccantibus jam non relinquitur hoſtia pro peccato.* Plerumque etiam perſecutor peccatorem inducit; ut verba Dei, quibus à malo prohibetur, audire nolit; ut quaſi licentiùs peccare poſſit. Quod Paulus valde terribile oſtendit, qui ad Corinthios ſcribens ait: *Si quis ignorat, ignorabitur.*

CAP. VII.

De petitione ſeptima: Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo. Amen.

ERgò cùm tot inſidiis ab antiquo hoſte circumveniamur, in quibus, ſi deprehenſi erimus, morte moriemur, neceſſe eſt, adjutorium Ducis & Salvatoris noſtri Chriſti JEſu invocare. Igitur oramus dicentes: *& ne nos inducas*, id eſt, permittas induci, in tentationem, ſcilicet ut in hoc, quo tentamur á Diabolo; mente delectemur. *Sed libra nos à malo*, id eſt, à peccati delectamento tam noſtri quàm alieni, Amen. Ac ſi dicamus: per Te; qui es veritas, quidquid hic petimus, efficiatur veritas.

Explicit.

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRES-
BYTERI, ET SCHOLASTICI,
ùt videtur, Ord. S. Bened.

HEXAEMERON.

Ex Codice MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in
Auſtria eruit Venerabilis D. P. Leopoldus Wydemann, ejusd.
loci Presbyter, & Bibliothecarius.

HONO-

HONORII AUGUSTODUNENSIS PRÆFATIO IN HEXAMERON.

Quadraginta & ſex annis ædificatum A. eſt templum hoc. Maria duodecim annorum fuit, cùm Chriſtum genuit: Chriſtus autem triginta & quatuor annorum in paſſione ſolutus occubuit. Duodecim autem & triginta & quatuor, quadraginta ſex fiunt, quibus annis templum Corporis Chriſti ædificabatur, quod à Judæis ſolvebatur. In nomine quoque Adæ quadraginta & ſex inveniuntur: Nam apud Græcos A. unum ſignificat, D. quatuor, A. iterum unum, quod ſex fiunt: M. verò quadraginta ſignificat. Quadraginta ergo & ſex annis templum ædificatur, dùm Chriſtus ab B. Adam generatur.

CAP. I.
De Neocoſmo.

Quia multi multa de primis ſex diebus diſſeruerunt, & diverſa ſententiaes, obſcuriora ſimplicibus reddiderunt; poſtulat cœtus veſter literis promendum, quid potiſſimùm de his ſit ſentiendum. Majorum itaque ſequens authoritatem, pando vobis hujus textus obſcuritatem. Cui verò hoc placeat, elucidario noſtro in capite præfigat *Hexa-* C. *meron.*

Inprimis quæritur, cur Moyſes de lapſu hominis ſcripſerit, caſum verò Angeli reticuerit? ſed ſciendum eſt, Authores librorum præcipuè concordiam in ſcriptis ſuis attendere, quò poſſit intentio cum materia uniſormiter concurrere. Intentio quippe Moyſis eſt reſtaurationem humani generis per Chriſtum figuraliter narrare, quam intentionem omnimodè ſatagit ſuæ materiæ adaptare. Cùm *in principio*, id eſt, in Chriſto, omnia aſſerit creata, & poſtmodùm cuncta in eo aſtruit reparata. In toto quoque textu ſuæ narrationis nihil aliud ponitur, niſi quod Chriſto vel Eccleſiæ figuraliter congruit. Unde etiam narrationem ſuam uſque ad liberationem populi de Pharaone, & principium JEſu perducit: Qui populum in terram repromiſſionis introducit; ſignificans videlicet verum JEſum, qui populum credentium de diabolo eripuit: Cui Pater principatum ſuper cœleſtia & terreſtia tribuit, & in noviſſimo tempore Eccleſiam in terram viventium introducturus erit. Igitur quia Dei filius, per quem omnia, hominem miſericorditer de interitu redemit: Angelum verò in reatu juſtè deſeruit, Moyſes redempti lapſum deſcribit; deſerti autem caſum ſilentio premit.

Materia autem ſua eſt hic ſenſibilis mundus, in quem homo poſt lapſum eſt pulſus; & adventus Dei unigeniti in hunc Mundum, Mundi Fabricatoris & humani generis liberatoris: quem variis & myſticis ſententiis præſignat, & ipſis rebus præfigurat: dum populum de Ægypto per paſchalem agnum liberat, & ad amiſſam patriam revocat; atque univerſum Eccleſiæ Statum per mirabile tabernaculum prænotat: cunctaque ejus Sacramenta per legalia ſacrificia prænuntiat. Unde & novum teſtamentum ſic veteri continuatur; ut quidquid vetus proponit, novum ſolvere videatur. Ob quam rem etiam utrumque à principio incipitur, cùm illud, *in principio creavit Deus cælum & terram*, iſtud, *in principio erat verbum*, inchoatur. Joannis quippe Evangelium in Canone primum ponitur. Et notandum, quod Moyſes Propheta filium principium, & in eo omnia creata commemorat: Joannes autem Apoſtolus Patrem principium, & Filium in eo ſemper,

ei

ei coæqualem manſiſſe, & omnia per A. ipſum facta prædicat. Quia nimirum unam utriusque ſubſtantiam concorditer Gen. I, 1. nobis denuntiant. Dicitur itaque: *In principio creavit Deus cælum & terram*, hoc eſt, Deus Pater creavit in filio ſimul cœleſtia, & terreſtria, viſibilia & inviſibilia. ibid. 2. *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vel aquas fovebat, id eſt cuncta de aquis procreanda animabat. Et nota Trinitatem. Deo Patri adſcribitur Mundi Creatio; Filio rerum diſpoſitio; Spiritui Sancto omnium vivificatio, vel ornatio. Simpliciter autem ſic ad literam exponitur: *In principio Creavit Deus Cælum & terram*, B. hoc eſt, in momento fecit Deus omnia corporalia & incorporalia. Cœli etenim appellatione, incorporea, ut ſunt Angeli, intelliguntur, & cuncta ſpiritualia, quæ à nobis non conſpiciuntur. Terræ autem vocabulo corporea, ùt hoc Cœlum & terra, innuuntur, & cuncta, quæ à nobis cernuntur. Aliter: *In principio*, id eſt, in primis, fecit Deus cœlum & terram, deinde cœtera. *Terra autem erat inanis*, ſcilicèt à fructibus, *& vacua*, videlicèt ab animalibus. Hoc ideò de cœlo non ſcribitur, quia ſuperius cœlum, quod C. cœlum cœli dicitur, mox creatum plenum ſuis laudatoribus, id eſt, Angelis reperitur. Ipſi enim aſtra matutina extiterunt, quæ in creatione Mundi Deum laudaverunt: Et pro mirabili opere Dei, quod ſubitò ex nihilo proceſſiſſe viderunt, omnes filii Dei magnâ voce jubilaverunt. Aſtra verò veſpertina ad laudem Conditoris proceſſerunt, dum homines electi poſtmodum creati ſunt: qui in morte, ut Sydera, occubuerunt, & ad hoc in exortu æterni diei ad congaudendum per reſurrectionem effulgebunt.

Et Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, hoc D. eſt, terra erat abyſſo immerſa, id eſt profunditate aquarum operta: quæ aqua erat tenebroſa, quia adhuc nulla luce illuſtrata. Nulla autem creatura erat, quæ tenebræ appellaretur, cùm tenebræ nihil aliud, quàm abſentia lucis comprobentur. Sed hæc tetra rerum imago chaos vel informis materia cognominatur. Porrò forma elementorum tunc temporis erat talis: Terra ipſis, quibus nunc, terminis erat circumſcripta, ſed tota aquis operta: & ejus ſpecies talis, qualis adhuc ſub profundo maris. Porrò ignis in lapidibus & ferro latebat; aër verò & terræ & aquæ mixtus inhærebat. Aqua autem univerſam ſuperficiem terræ contegebat, & totum Spatium usque ad Cœlum replebat: Seque aquis ſuperioribus, quæ adhuc ſuper Cœlos ſunt, conjungebat. Non autem craſſitudine uti nunc ſpiſſabatur, ſed in modum nebulæ tenuis diffundebatur.

CAP. II.

ET Dixit Deus, fiat lux. Cùm de Deo, Gen. I, 3. *Dixit*, ſcribitur, noſtro more dicitur, & efficacia jubentis exprimitur. Dei autem dicere nihil eſt aliud, quàm per verbum ſuum omnia condere. Per hoc verbum hanc corporalem lucem de elemento ignis protulit, & eam huic Mundo intulit. Quæ lux tunc talem claritatem, qualem nunc ante ſolis exortum, exhibuit: & tenues tunc aquas, ut nunc aërem, illuſtravit. Per duodecim autem horas ſuper terram, ut nunc Sol manſit: per duodecim verò, inferiori Orbis illuminavit.

Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona. Hoc ibid. 4. eſt; rationali creaturæ intelligere dedit: quam bona ſint cuncta, quæ per lucem cernit. *Et diviſit lucem ac tenebras*: ſcilicèt ut lux duodecim horas ſuper terram, & duodecim ſub terra ſplendeſceret: tenebræ quoque à luce fugatæ duodecim horas ſub terra totidemque ſuper terram deliteſcerent. Zona quoque, quæ in medio orbe, ignecandet, per eum æquinoctio gaudet.

Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: id eſt appellare Fecit. Sicut nos dicimus, domum fecit cùm quis facere juſſerit. *Factumque eſt veſpere & mane, dies unus.* Veſpere eſt finis diei; mane autem ibid. 5 finis noctis: quæ duo juncta, viginti quatuor horæ fiunt, & unum diem conficiunt. Ideo autem non primus, ſed unus dies dicitur, quia idem ſemper repetitur, ut ſcribitur: *Ordinatione tua perſeverat dies.* Illo primo triduo nox prorſus tenebroſa Pſalm CXVIII, 91. manebat; quia eam nec luna, nec Sydera illuminabant. Notandum autem, quod dies à luce inchoatur & in luce terminatur: quia omnia opera Dei à Chriſto, qui eſt lux vera, inchoantur, & in eodem cuncta conſummantur.

Dixitque Deus; fiat firmamentum in medio Gen. I, 6. *aqua-*

aquarum: Hoc eſt: firmamentum, quod A. in medio aquarum locatur, atque cœlum appellatur, de ipſis aquis in modum Cryſtalli induratum affirmatur: quod ideo apud Joſephum Cryſtallinum Cœlum nominatur. Aquæ autem, quæ ſuper hoc cœlum remanſerunt, formam prioris aquæ in raritate retinuerunt. Quæ autem inſerius ſpatium occupaverunt, in denſitatem, quam hodiè habent, colle-
Gen. I, 9. ctæ ſunt. Unde ſequitur: *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida.* Juſſu quippe Dei aquæ, quæ priùs inſtar nebulæ raræ diffundabantur, B. in unum locum ſpiſſando ſubitò colligebantur. Qui locus Oceanus appellatur, & terra prius limoſa areſcens, apta germinibus reddebatur. Poſtquam autem media ſpatia inter cœlum & terram vacua apparuerunt, ignis & aër, quæ priùs ſub aquis preſſa in terris latuerunt, congrua ſibi loca liberè occupaverunt. Et ignis quidem altiora, aër verò inferiora mundi naturaliter repleverunt, & tunc luce nuper creata clariùs cuncta illuſtrari meruerunt. Sciendum autem quod omnes fontes vel flumina de Oceano fluunt, & C. in eundem etiam refluunt. Amaritudinem verò naturalem in terra deponunt, per quam occultis meatibus currunt. Similiter autem aqua à tractu Spiraminis ventorum in nubes tollitur, & iterum ad terram per pluviam deponitur. Flumina autem, quæ hodie regiones dirimunt, maxima ex parte in diluvio eruperunt. Quæritur, cùm flumina omnia mare intrent, cur mare non redundet? Sed traditur, quod Sol naturali attractu totum in die ebibat, quod tota nocte de dulcibus aquis mari influit, iterumque per pluvias ad D. terras deſcendit.

Ibid. 10. *Et vocavit Deus aridam terram, Congregationesque aquarum appellavit maria*: Hoc eſt, ſic appellari fecit, ſicut jam dictum eſt.

Et vidit Deus, quod eſſet bonum: Hoc eſt, menti rationalis creaturæ indidit, quàm bona ſunt cuncta, quæ Deus con-
ibid. 11. didit. Et ait: *Germinet terra herbam viridem & lignum pomiferum.* Mox ut aqua à terris receſſit, confeſtim terra juſſu Dei cunctas ſpecies herbarum & arborum, inſuper & fructus earum jam maturos protulit. Notandum autem, quod hoc verno tempore contigit: & ideò eodem tempore hoc idem annus obſervare conſuevit.

Dixit autem Deus fiant luminaria magna Gen. I, 14.
in firmamento cœli: Hoc eſt, infra firmamentum cœli. Sol quippe in medio mundo locatus, luna autem in hoc aëre conſtituta; planetæ quoque ſuis circulis affixi traduntur: Sydera ſolummodo firmamento impreſſa feruntur. Notandum autem, quòd cuncta ternis, & ternis diebus in creatione abſolvuntur; quia videlicet omnia per Trinitatem perficiuntur. Tribus enim diebus elementa, & tribus quæ infra ea ſunt, ſunt perfecta. In principio namque cœlum & terra, ad materiam ex nihilo creantur, ignis & aër in terra aquis operiebantur. Deinde prima die lux ab igne ſerenatur, ſecundâ cœlum ex aqua inſtar cryſtalli ſolidatur; tertia terra fundatur & aqua ab ea ſegregatur, ipſaque terra floribus & nemoribus condecoratur. Quartâ cœlum & aër ſuperior ſole, lunâ, & ſtellis ex igne productis, illuſtratur. Quintâ aër inferior, avibus, aqua piſcibus fœcundatur. Sextâ terra animalibus ex ipſa procreatis onuſtatur. Primi autem tres dies, qui ante ſolis exortum tranſierunt, æquinoctiali lege, id eſt æquali diei ac noctis ſpatio, prætericrunt. Sed & quartus, qui lampas ſolis & lunæ protulit, æquinoctio inſignis fuit. Quæritur quid de luce nuper creata actum ſit, quæ poſt jubar ſolis effulſit? Fertur, quòd ſicut raritas aquarum in ſpiſſitudinem Oceani priùs eſt redacta, ità tenuitas lucis in corpolentiam ſolis ſit compacta, & in globos lunæ ac ſtellarum ſit denſata, ejusque clara gloria his præclaris gemmis ſit amplius, adornata.

CAP. III.

ET fecit duo luminaria magna: majus ut ibid. 16.
præeſſet diei, & minus ut præeſſet nocti. Magna luminaria ideo dicuntur, quia nobis magna videntur. Cœterùm luna minima ſtellarum fertur; ſeptentrionales autem ſtellæ majores Sole ſcribuntur. Quæritur quidnam obſcuri in corpore lunæ conſpiciatur? Sed dicitur lunæ globus ex igne & aqua eſſe formatus. Quia ſi totus eſſet igneus, terra ejus vicinitate exuſta torreretur; nunc autem ejus calor aquæ elemento temperatur, & inde ob-

ſcurum illud in ea videatur. Hincque fit, A. quod luna propria luce careat, nec, niſi à Sole illuſtrata, reſplendeat, & ab ea etiam ros nocturnus perfluat, & ſuper terram luceat. Aliquando quidem ſuper terram lucent; aliquando oppoſitis nubibus non lucent; ſemper autem illa loca ſplendore replent, quo fixa manent.

Gen. I, 14. *Et ſint in ſigna & tempora &c:* In ſigna ſunt, quia paſcha nobis certo tempore celebrandum, aliquando quoque tempeſtatem vel ſerenitatem, aliquando etiam aliquid futuri oſtendunt. In ſigna ſunt quoque navigantibus & in arenoſis Regionibus iter agentibus. In tempora verò ſunt æquinoctia; & ſolſtitia certa dimenſione veris, æſtatis, autumni, & hyemis proferunt. In dies ſunt, quia nunc longiores, nunc breviores ſuo ortu vel occaſu efficiunt. In annos ſunt, quia luna ſuum annum communem trecentis quinquaginta quatuor diebus peragit: Sol verò trecentis ſexaginta quinque diebus ſuum annum percurrit; Stella Martis duobus annis, Jovis duodecim, Saturni triginta annis ſuum curſum perficit.

ibid, 20. *Dixitque Deus producant aquæ reptilia & volatilia.* Hic Scriptura aperit, cur Spiritus Dei aquas foverit; quia nimirum primùm de hoc elemento voluit animantia producere, & cuncta hujus admixtione fœcundare. Genera ergo piſcium & reptilium in aquis natare permiſit, volucrum verò in aëre volare juſſit. Aëris etenim natura nihil aliud, quàm aqua eſſe fertur, & hæc cunctis animantibus vitalem flatum dare perhibetur. Atque idcirco tempeſtates in aëre, uti in mari, procreari traditur. Aqua quippe in nubes condenſatur, & iterum ventis in pluviam diſſipatur. Ex ipſarum quoque nubium colliſione tonitrua concrepant, & D. ex ignis excuſſione fulgura coruſcant. Ex procellis autem venti procreantur, ipſorumque in imbres, in grandinem formantur; ex frigoris verò inclementia pluvia in nivem commutatur. Hæc autem turbulentia in aëre tantùm verſatur. Cœterùm ſpatia inter cœlum & aërem perpetuâ luce & tranquillitate plena creduntur. Aër quoque iſte nocte tantùm obſcuratur, quæ ab umbra terræ generatur. Superior verò æther jugi die lætatur. Quod autem in nocte Stellæ videntur cadere, ſtellæ non ſunt, ſed igniculi ab æthere flatu ventorum in aëra tracti.

Dixitque Deus producat Terra jumenta & reptilia, & beſtias terræ. Notandum, quòd Gen. I, 24 de aquis duo genera producuntur, ſcilicet natantia & volantia: de terra autem tria formantur videlicet gradientia, reptantia, ſerpentia.

Igitur omnibus creatis ad uſum hominis neceſſariis, ipſe etiam de terra educitur, qui cœteris omnibus ùt Dominus præficitur. Qui etiam ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus memoratur, ut cœleſte animal intelligatur: dum ratio- B. ne & intellectu à cœteris animantibus ſequeſtratur. Et quia ei Dominus quandoque counire diſpoſuit, ei participium cum omni creatura tribuit: Scilicet diſcernere cum Angelis, ſentire cum animantibus, creſcere cum herbis & arboribus, eſſe cum lapidibus. Corpus ejus de quatuor elementis compegit, animam ſcientia replevit, & omni corporali creaturæ præfecit. Traditur etiam, quòd quaſi triginta annorum fuerit, quando creatus ſit, atque ſapientiam Salomonis, Samſonis fortitudinem, Abſalonis pulchritudinem C. habuerit.

Dixitque Deus: ecce dedi vobis poteſtatem ſuper univerſa. Ante peccatum homo omnia ſubjecta habuit; poſt peccatum verò ipſe omnibus ſubjacuit. Ante reatum hominis terra nil noxium, nullam herbam venenatam, nullam arborem ſterilem protulit: quæ poſtmodum in pœnam hominis venenum herbis intulit, fructus arboribus abſtulit. Aves quoque non raptu alitum vivebant, nec feræ beſtiolas ad eſum lacerabant, ſed omnia communiter de herbis terræ alimenta ſumebant. Unde ſequitur. ibid. 29

Et erunt eam vobis, quàm illis in eſcam. ibid. 30. Poſteà verò non ſolùm aves avibus, vel feræ beſtiis inſidias ponunt: Sed etiam ipſi homini domeſtica animalia violenter rapiunt. *Et vidit Deus cuncta, quæ fecit, & erant valdè bona.* ibid 31 Cuncta, quæ fecit Deus per ſe conſiderata, ſunt bona ſingula, in univerſitate autem numerata ſunt valdè bona: Quia licèt unum alteri contrarium videatur, unumquodque tamen neceſſarium comprobatur. Hinc quæritur cùm Diabolus inter bonas Dei creaturas ſit creatus, qualiter dicatur bonus,

cùm

cùm ultra quam dici poteſt, ſit malus? A. Similiter quæritur de ſerpentibus vel aliis animantibus, quæ ſunt nociva & ideo putantur eſſe mala. Sed ſciendum eſt, quòd diabolus à Deo quidem bonus ſit creatus, à ſe ipſo autem in malum commutatus. Qui tamen aliquo modo dicitur bonus, quia in Dei republica comprobatur neceſſarius; dum adverſarios Dei juſtè punit, velut Tortor crudeliſſimus. Serpentes verò vel cœtera animalia his ſimilia comprobantur bona; quòd juſta ab hominibus exigant ſupplicia, vel ad diverſas medicinas ſunt utilia.

Gen. II, 1. 2. *Et requievit Deus die ſeptimo & Sanctificavit illum.* Septimum diem Deus Pater antiquo populo celebrandum inſtituit: octavum verò, qui & primus eſt, Deus filius novo populo obſervabilem fecit. Uterque autem maximo Sacramento gravidus exiſtit. Sicut enim ſeptimo die Deus opera hujus mundi conſummâſſe ſcribitur, ita hic mundus per ſeptem millia annorum extendi dicitur. Et ſicut ſeptimâ die Deus ab opere ſuo requieviſſe legitur, ita juſtorum corpora in ſepulchris, animæ verò illorum in gaudio poſt laborem requi- C. eſcere creduntur. Per diem etiam ſeptimum dies judicii deſignatur, in qua omne opus Eccleſiæ conſummabitur, eique requies æterna recompenſabitur. Per diem verò Dominicam, quæ & prima & octava notatur, æternitas præfiguratur: quando finito labore poſt ſeptem millia annorum octavum ſecundum inchoatur; in quo una dies melior ſuper millia ſperatur, quæ per ſolum filium omnibus credentibus datur. Ergo per requiem ſeptimi diei requies animarum in ſeptem donis Spiritus Sancti innuitur, per requiem octavi diei requies æterna in octo beatitudinibus ex- D. primitur.

Sex quoque dies primi deſignant ſex ætates Mundi. Prima die lux creatur, & prima ætate homo in paradyſo ad perfruendam æternam lucem collocatur. Hæc dies veſperâ clauditur, quando humanum genus in diluvio mergitur. Secunda die firmamentum intra aquas ſolidatur, & ſecunda ætate humanum genus in arca ab undis conſervatur. Hæc dies veſperâ finitur, dum pentapolis cum omnibus Incolis ſuis incendio conſumitur. Tertia die terra ab aquis ſeparatur & tertia ætate fidelis populus ab infidelibus ſegregatur: dum Abraham & ſua poſteritas circumciſione, deinde filii Iſraël lege à gentibus ſequeſtrantur. Hæc dies veſperâ terminatur, dum idem populus à gentibus undique Vaſtatur. Quarta dies ſole & luna illuſtratur, & quarta ætas regno David & templo Salomonis decoratur. Hæc dies veſpera concluditur, dum deſtructo templo populus in Babylonem captivus ducitur. Quinta die aves de aquis producuntur, piſces inibi relinquuntur; & quinta ætate multi de captivitate B. delaxantur, plurimi in ea retentantur. Hæc dies per veſperam deſiit, dum Judæa gentili, Regi ſubdi promeruit. Sexta die homo de munda terra formatur, & ſexta ætate Chriſtus de Virgine generatur. Ea etiam die Deus animalia fecit, & ſexta ætate fideles, animalia ſua, ad paſcua vitæ vocavit, quæ paſtu corporis ſui refecit. Hæc dies per veſperam complebitur, cùm hic Mundus igne extremo delebitur. Septima die requievit Deus ab omnibus operibus ſuis, & ſeptima ætate requieſcet in Sanctis omnibus pro ſex dierum operibus, cùm Deus erit omnia in omnibus. Hæc dies veſpera non terminatur, quia illa requies nullo fine coanguſtatur.

CAP. IV.

Quid verò beatus Auguſtinus ſentiat de his diebus, quàm breviſſimè Studioſis dicemus. Suas autem ſententias noſtro ſtylo permutamus, quo lectori faſtidium tollamus. Si enim ipſius verba poſuero, nec pagina capit prolixitatem diſputantis: nec infirmus intellectus gravitatem argumentantis. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Hoc eſt, in filio ſuo, ſcilicet in Sapientia ſua, Deus Pater creavit omnia ſimul Spiritualia & corporalia: ſicut ſcriptum eſt, qui manet in æternum, creavit omnia ſimul. Et iterum omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat. Hoc eſt dicere: Omne quod poſtmodum factum eſt, materialiter ac formabiliter, ſemper in verbo Dei fuit cauſaliter, ac prædeſtinaliter. Unde ſcriptum eſt, qui fecit quæ futura ſunt. Cœli

Cœli autem ac terræ nomine univerſali- A. ter omnis creatura comprehenditur. Non eſt autem æſtimandum aliud inſenſibile à Deo ante Angelos creatum: omne enim ſenſibile dignius inſenſibili prædicatur. Angelica itaque natura, quæ eſt intellectualis, inprimis conditur, ubi Deus in principio cœlum creâſſe legitur. Sicut de primo Angelo ſcribitur, ipſe eſt principium viarum Dei. Quæ idcirco cœlum appellatur, quia Deus in ea habitat & divina ſecreta in ea celantur: Et hæc cœlum cœli dicitur.

Terra autem erat inanis & vacua: Hoc B. eſt corporalis creatura adhuc informata, ſed in verbo Dei cauſaliter poſita. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi:* Hoc eſt, cuncta ab aquis creanda non erant ad hoc per formas diſcreta. *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* Hoc eſt Spiritus Domini cuncta in formas diſcrevit, quæ de aquis vel per aquæ commixtionem fieri diſpoſuit. Sciendum verò quòd Deus non prius materiam, deinde formam fecit: Sed ſimul omnia formata protulit, ſicut cantus cum voce ſimul procedit. Porrò quod hoc vel hoc, illa vel illa die C. feciſſe legitur, hoc noſtro more dicitur: à quibus minimè intelligitur, quod omnia ſimul feciſſe ſcribitur. Nullum autem hominum ſcire poſſe puto, quantum inter creationem Angelorum & hujus mundi tempus defluxerit, niſi cui Deus revelaverit: præſertim cùm adhuc tempus non fuerit ſed cum iſto mundo cœperit, & nihil aliud tempus ſit niſi diei ac noctis, vel anni ut puta veris, æſtatis, autumni, hyemis viciſſitudo: vel rerum de præterito in præſens, de præſenti in futurum transmutatio. Omnia enim quæ Deus D. creavit, in æternum permanere creduntur, licèt alia in alia permutentur. Et cùm hic mundus vix ante ſex millia annorum formatus ſit, frivolum videtur, quòd Angelica natura cum eo eſſe cœperit. Igitur Angeli diu ante hunc corporeum mundum in beata & æterna vita traduntur: Unde etiam in creatione hujus Deum magna voce laudâſſe ſcribuntur. Ad Job namque Deus creator dicit, cùm ponerem fundamenta terræ & cardines Orbis, laudaverunt me aſtra matutina & jubilaverunt omnes filii Dei.

Et dixit Deus, fiat lux: & appellavit lucem diem. Quæritur utrum Deus aliquam Spiritualem vel corporalem lucem fecerit, cujus viſione Angeli fruerentur: vel aliquam diem formaverit, cujus præſentia delectarentur? Sed hoc ab intellectu excluditur, cùm intelligibile melius inſenſibili couniatur. Ergo ipſe Deus lux intelligitur, qui lux vera ſcribitur: de cujus viſione ita Angelica natura illuminatur, ùt hic corporeus dies à Sole illuſtratur. Dicitur itaque: *Dixit Deus: fiat lux*: Hoc eſt per verbum ſuum Deus lucem ſuæ Sapientiæ Angelicæ naturæ infudit, & dein adhuc omnibus creandis ſcientiam dedit. *Et facta eſt lux.* Vera quippe lux & æterna Dei ſapientia lucidam ſapientiam ſcilicet rationalem intellectum condidit, quem Angelicis Spiritibus indidit: quo creaturam à creatura diſcernere poſſint; ſicut ſcriptum eſt: prior omnium creata eſt Sapientia. Deus itaque dixit, *fiat lux*, cùm Angelos luce Sapientiæ illuſtravit. Ipſa eſt enim candor lucis æternæ. Facta eſt autem lux, cùm cognoverunt Deum omnia in ſapientia jam feciſſe, quæ adhuc futura erant: In quo omnes cauſas & rationes rerum jam conſpiciebant. *Et vidit Deus quod eſſet bonum*: ſcilicèt quod Creatorem à creatura diſcernebant, & creaturam deſpicientes, creatorem laudantes, diligebant. *Et diviſit lucem à tenebris*: Hoc eſt formatam & intelligibilem creaturam ab informata diſcrevit, dum ei adhuc creandæ ſcientiam dedit.

Appellavitque lucem diem & tenebras noctem. Hic quæritur utrum ante hunc mundum dies vel nox fuerint quæ hoc vocabulo appellata ſint, & quæ ſibi per vices ſucceſſerint. Sed cùm ante hunc ſenſibilem mundum tempus non fuiſſe comprobetur, diem autem & noctem tempus eſſe non dubitetur: non hic temporalis, ſed æternus dies intelligi neceſſariò monetur. Angelica quippe natura eſt æterna dies, quam fecit Dominus, in qua nos lætabimur, & exultabimus: quando poſt reſurrectionem æquales Angelis erimus, & Deum facie ad faciem, ſicuti eſt, videbimus. Lucem itaque Deus diem appellavit, dum ipſe vera lux habitans lucem inacceſſibilem & ſempiterna dies Angelos luce ſapientiæ ſplendentes claritate ſua æternus Sol ut hic corporeus Sol hunc diem illuſtravit. Tenebras quoque no-

ctem

ctem appellavit, quia corpoream creaturam A. adhuc in informi materia latentem maxima diſtantia à Spiritali ſeparavit. Omnis namque corporea creatura, ſi Spirituali comparatur, jure tenebræ appellatur.

Factumque eſt veſpere & manè dies unus. Notandum quòd non primus dies ſed unus dicatur, quia Angelica natura, quæ dies vocatur ſic ab æterna die, Deo inchoatur, quod nullo fine terminatur. Et hæc eſt illa, unus dies melior in atriis Dei ſuper millia, quia profectò particula Angelicæ vitæ melior comprobatur, quàm multa millia annorum, quæ hic in affli- B. ctione peraguntur. Quæritur, cùm corporea lux non eſſe in cœlo dicatur, cujuſmodi Splendor Angelis lucere credatur? & utrùm illa patria obſcura ſit & Angeli in tenebris latere arbitrandi ſint? Sed ſciendum eſt, quod innumerabilia Angelorum ſunt, qui ſinguli hunc ſolem ſeptuplo ſua claritate vincunt, & ineffabilem ſplendorem ab æterno recipiunt. Nam civitas illa non eget Sole, neque luna, ſed Deus omnipotens lumen ejus eſt, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur, & in quem Angeli deſiderare proſpicere prædicantur. Si autem hic mun- C. dus tot ſolibus illuminaretur, quot diebus annus volvitur, quà gloriâ putas perornaretur? & revera ſi ita eſſet, tota illa lux illi ſupernæ luci collata tenebræ eſſent. Ergò nulla alia lux vel dies ibi creditur, quàm claritas Dei & Splendor Angelorum atque Sanctorum, qui ineffabiliter vincunt omnem fulgorem viſibilium.

Quæritur etiam quid ſit regnum cœlorum, vel quod prœmium ibi tribuatur Spiritibus beatorum? ſi ibi amœna loca aut ſplendida mœnia æſtimanda ſint, vel veſtes pretioſæ, aut variæ deliciæ ibi præſentandæ ſint? Sed cùm Regnum Cœ- D. lorum non aliud quàm pax & gaudium legatur, nulla locorum vel ædificiorum amœnitas aut pretioſiſſimarum rerum corporalium vel incorporalium conſuetudo eſſe comprobatur: Sed ſola viſio omnipotentis Dei declaratur: in cujus contemplatione beati æterna pace & pleno gaudio & omni abundantia omnium bonorum perpetualiter perfruuntur, & perfruendo ſemper inſatiabiliter ſine fine ſaturabuntur. Unde & veſpere & mane hic nominatur, nox autem in his ſex diebus non memoratur. Quaſi enim in veſpera, ſic illa æterna dies inclinat, cùm Angelica natura creaturam per ſe conſiderat. Quaſi verò in mane exſurgit, cùm in laudem creatoris pro mirabili creatione erumpit. Quaſi autem dies clareſcit, cùm hanc in verbo Dei per ipſam veritatem æternaliter ſubſiſtere conſpicit: Nox verò non interſetitur; quia illorum ſcientia nulla ignorantia obtegitur. Sacra Scriptura ſe conformat hominum intellectibus, ut Mater infantum moribus aut veluti cera reverſis ſigillorum impreſſionibus. Materno namque inceſſu cùm tardis ambulat, cum capacibus ad alta volat, altitudine ſuperbos irridet, profunditate attentos terret, veritate magnos paſcit, affabilitate parvulos nutrit.

Hæc ergo una die Deum cuncta in ſimul creaſſe Sapientibus narrat, hæc tardioribus ſex diebus Deum opera ſua explevisſe commemorat: à capacibus quippe vix intelligitur, quòd Deus una die imò uno ictu oculi omnia in ſimul creâſſe legitur. A tardioribus autem facilè capitur, ut pomum fractum à parvulis manditur, quod ſex diebus omnis ſactura abſoluta traditur. Ergo per unam diem, in qua cuncta creata indicat, lucidam Angelicæ ſubſtantiæ naturam inſinuat, quam æternus Sol juſtitiæ ſuo ſplendore irradiat. In qua die ipſe cuncta condidit, dum Angelis in verbo ſuo cuncta adhuc creanda prænoſcere tribuit. Per ſex autem dies, quibus Dominum opera ſua perfeciſſe dicit, perfectionem tantam ſacturæ Dei innuit, quantam per ſenarium numerum exprimit. Qui in numeris ideò perfectiſſimus memoratur, eò quod ſuis partibus per omnia compleatur. In unitatem quippe & binarium & ternarium ſolvitur, & ab eisdem in integrum reſtituitur. Unum enim & duo & tria ſex faciunt. Quam regulam peritiſſimus Philoſophorum Plato non ignoravit, qui ob perfectionem ejuſdem numeri librum ſuum ſic, unus, duo, tres inchoavit. Per unitatem itaque ipſe fons & principium omnium rerum Deus intelligitur, qui verè ſolus unus eſſe dicitur, à quo binarius naſcitur, dum Spiritualis creatura ab eo producitur. à quo item ternarius gignitur, dum corporeus mundus conditur. Qui numerus replica-

tur, dum omnia ex Patre per filium in A. Spiritu Sancto ſubſiſtere intelligibili naturæ manifeſtatur. Senarius ergò numerus conſummatur, dum triplex factura, ſcilicet Spiritualis, ſenſibilis, inſenſibilis, à triplici factore, Patre videlicet, & Filio & Spiritu Sancto contineri conſideratur. Unde etiam ſeptima die Deus ab operibus requieviſſe deſcribitur, quia poſt perfectionem Deus à creatura ſua in ſe requieſcere, & ipſe in eo ſolummodò requiem habere cognoſcitur.

CAP. V.

D*ixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab* B. *aquis. Et factum eſt ita, & fecit Deus firmamentum & vocavit illud cælum.* Quod totum ſic iteratur. *Dixit Deus fiat firmamentum*, id eſt in verbo ſuo æternaliter conſtituit fiendum. *Et factum eſt ita:* Scilicet in cognitione Angelica, qui videlicet conſpiciebant jam in verbo Dei ſubſiſtere, quod adhuc futurum erat in re. *Et fecit Deus firmamentum*, poſtea videlicet in ea forma, qua hodie cernitur. *Et vocavit illud cælum:* id eſt ab hominibus ſic appellari docuit. *Et factum eſt veſpere*; cùm Angelica ſocietas, quæ lux vel dies appella- C. tur, creaturam firmamenti in propria natura conſideravit: & *factum eſt mane.* cùm creatorem inde laudavit. Et ſic factus eſt dies ſecundus, cùm ab æterno die Dei de luce ſapientiæ Angelici illuſtrantur Spiritus: qui ab eo dies vel lux denominantur; & adhuc condenda, eis per ipſum revelantur. *Dixit verò Deus; congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum: & appareat arida. Factumque eſt ita. Congregatæque eſt aqua in locum unum, & vocavit Deus aridam terram.* Hoc eodem modo, ùt ſuperius, interpretatur. *Dixit Deus, congregenter aquæ*, id eſt, in verbo ſuo ab æter- D. no eas congregandas præfixit. *Factumque eſt ita*, ſcilicet natura Angelica ita fiendum in verbo Dei cognovit. Et congregata eſt aqua, quæ apparuit arida; poſtea videlicet in ea forma, qua nunc utraque creatura producit germina vel animalia. *Et factum eſt veſpere*, cùm creatura aquæ & terræ per ſe ab Angelis, qui dies nuncupantur, conſideratur: *Et factum eſt mane*, cùm Creator inde laudatur. Fitque dies tertius, cùm ipſa intelligibilis natura à Trinitate illuſtratur; & ei ſingula condenda præmonſtrantur. Sic quoque de cæteris diebus ſentiendum. Notandum autem, quod ſeptimæ diei *mane*, & non *veſpere*, adſcribitur; & in hac die Deus requieviſſe dicitur: quia nimirum omnis creatura mane per exordium ab æterno die Deo habuit; ſed nullum veſpere alicujus finis habebit, & per ſeptiformem ſpiritum in factore ſuo æternaliter requieſcit. Sacra Scriptura Deum omnia in ſimul creâſſe affirmat, & ecce, eum ſex diebus opera ſua conſummâſſe denuntiat. Omnia eum ſimul creâſſe in veritate accipitur. Sex autem dierum diſtributio nihil aliud intelligitur, quàm quædam diſcretio, vel quidam rerum ordo contexitur; cùm quæque creatura ab alia vel à Creatore, in intellectu Angelicæ rationis diſcernitur: unde & veſpere & mane interſeritur. *Veſpere*, cùm Creatura in ſui natura ab Angelis conſpicitur: *Mane*, cùm Creator inde laudibus extollitur. Dies autem ideo nominantur, cùm ab ipſis cuncta in verbo Dei contemplantur.

Primo itaque lux in ordine ponitur, quæ dies etiam nuncupatur, & Angelica ſubſtantia declaratur: quæque à luce æternæ ſapientiæ illuſtratur. Secundo firmamentum locatur, à quo hic corporeus mundus inchoatur. Tertio ſpecies maris & terræ, in qua non realiter, ſed potentialiter herbarum & lignorum natura formatur. Quarto ſol & luna cum Syderibus in igneo elemento, potentialiter quidem, locantur. Quinto de humido aëre volatilia, de aqua verò natatilia, iterum potentialiter educuntur. Sexto de terra animalia, cum homine nihilominus potentialiter, proferuntur. Qui ordo, quia ab Angelica natura, quæ dies dicitur, in verbo Dei per ſenarium numerum diſcernitur: rectè idem dies ſexies repetitus deſcribitur. Quem eundem ſeptimum Dominus benedicit, & in eo requieſcit: quia Angelicam naturam Dominus ſeptiformi Spiritu replens ſanctificat, atque eam in ſe requieſcere præſtat. Hæc cuncta ſic intelligenda, ſequens ſcriptura manifeſtat.

Hic eſt, inquit, *liber generationis cæli & terræ in die; quando fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra.* Hoc utique de illa una &

æterna

Google

æterna die dicitur, in qua omnia in ſimul A. Deus creâſſe ſcribitur. Ergo ſicut homo ad ſimilitudinem Dei conditur; ita etiam iſti temporales dies, ad ſimilitudinem illorum ſex, vel potius ſeptem, in verbo Dei æternaliter manentium, creati dicuntur: & omnia etiam in hoc, in mundo, formata, ad ſimilitudinem formarum in Deo conſiſtentium, creata non abſurde dicuntur.

Abhinc jam ſeries corporeæ creaturæ texitur, ubi fons erumpens de terra, totam terram irrigâſſe: & Deus hominem formâſſe, & paradiſum plantâſſe aſſeritur; & animantia & ligna de terra produxiſ- B. ſe legitur.

Qua autem die hebdomadæ, vel quo ordine, utrumne una die vel pluribus, cuncta in ſpecies formaverit, ignoratur. Sed prius factâ mundi machinâ cum luminaribus, deinde inprimis hominem in hoc mundo, ut puta, Dominum mundi; & ejus habitationem, ſcilicet paradiſum, feciſſe: deinde ad ejus ſubjectionem, animantia volucrum, piſcium & beſtiarum, & eorum victum, videlicet herbas & arbores, produxiſſe putatur. Quæ cuncta mox creata, ad hominem ducta le- C. guntur: poſt quæ & mulier formata, & cuncta ei ſubjecta referuntur. Utrum verò homo diutiùs in paradiſo manſerit, dubitatur: licèt multo tempore inibi habitâſſe à pluribus aſtruatur. Igitur in his æternis ſex diebus Deus cuncta cauſaliter creavit, & ab omni opere in ſeptimo requievit. In iſtis autem temporalibus omnia temporalia & corporalia realiter per ſpecies & formas fecit; legem creſcendi, permanendi, alia ex ſe gignendi dedit. Et hæc cuncta Filius cum Patre usque modo operatur: per quem adhuc omnis cor- D. porea creatura in meliorem ſtatum transformatur.

CAP. VI.

De Incarnatione Chriſti.

INgreſſa Sapientia Dei, octavo Kalendas Aprilis, in uterum B. Virg. Mariæ, anno ab origine mundi quatermilleſimo centeſimo octogeſimo quarto, octavi magni paſchalis Cycli quingenteſimo tertio decimo, Octaviani Auguſti quadrageſimo ſecundo, Cycli ſolaris octavo, Cycli decemnovenalis octavo decimo, Cycli lunaris quinto decimo, indictione ſecunda, concurrentibus . . Epactis ſeptenis, feria ſexta, luna decima, anno etiam ætatis ejusdem virginis duodecimo. In quo utero corpus ſuum per novem menſes & ſex dies, id eſt, per quadragies ſexies ſenos, hoc eſt, per ducentos ſeptuaginta ſex dies ædificavit. Hoc enim tempus computatur ab octavo Kalendas Aprilis quando conceptus eſt, usque ad octavam Kalendas Januarii, quando natus fuit Chriſtus. Natus eſt ergo VII. Kal. Januarii, indictione tertia, Dominica vel infra, nocte. A qua Nativitate, die octava circumciditur, & die quadrageſimo in templo præſentatur. In quo templo duodennis adoleſcens, ſapientes interrogans invenitur: & anno vigeſimo octavo*, & tertia Chriſti die triceſimi anni à *mendum.* Joanne baptizatur, & triceſimo tertio anno & dimidia octava Kal. Aprilis, qua die conceptus fuerat, à Judæis comprehenditur: quorum linguâ primum, horâ tertiâ crucifigitur, & ſextâ per milites in cruce ſuſtollitur. In qua cruce per tres horas, id eſt, ſextam, ſeptimam & octavam, fuit, atque horâ nonâ expiravit. A qua hora usque ad diluculum reſurrectionis ſunt quadraginta horæ, ipsâ quoque hora nona connumerata. His enim horis corpus Chriſti exanime jacuit, quod poſitum eſt in ſepulchro veſperi; in quo per triginta ſex horas requievit. Reſurgens autem diluculo, primâ Sabbati per quadraginta dies in terris converſatus eſt, ubi voluit, & quomodo voluit. Quadrageſimo verò die, videntibus Apoſtolis ſuis, cœlos ingreſſus eſt, atque in dextera ſui Patris reſedit. Unde die ab aſcenſione decima Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos miſit. Qua die factus eſt homo primus, eadem die conceptus eſt homo ſecundus. Sexta enim die & homo vetus factus eſt in paradiſo, & homo novus conceptus in utero Virginis. Et qua hora terrenus homo invaſit pomum, humanum genus interempturus; eadem hora toleravit crucem & mortis amaritudinem cœleſtis homo, univerſum mundum redempturus. Ergo, ut videtur, eadem die & bonus obediens cum latrone in paradiſum revertitur: & homo inobediens cum muliere, ſuæ damnationis exilium intrare compellitur.

HONO-

HONORIUS
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTER, ET SCHOLASTICUS.

DE

DECEM PLAGIS ÆGYPTI SPIRITUALITER.

Ex Codice MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria communicavit Venerabilis P. Leopoldus Wydemann, ejusdem Aſceterii Bibliothecarius.

HONO-

Digitized by Google

HONORIUS
DE
DECEM PLAGIS ÆGYPTI
SPIRITUALITER.

PRima Plaga Ægypti erat A. aqua in ſanguinem verſa, in qua infantes Hebræorum necaverunt, & piſces ejus mortui ſunt. Secunda Ranæ de rivis & paludibus eductæ, replentes ſuperficiem illius terræ. Tertia Cyniphes, id eſt: Hircinæ muſcæ, ignitis aculeis hominibus & jumentis permoleſtæ, de pulvere terræ productæ. Quarta Cynomia, id eſt: Canina muſca vel potius Cœnomia, id eſt: Omne genus muſcarum terram & aërem replentium. Cœnos quippe commune dicitur, unde & cœnobium communis vita appellatur. Quin- B. ta plaga erat Peſtilentia animalium. Sexta: Veſicæ, Puſtulæ, Ulcera de cinere fornacis facta. Septima: Tonitrua, fulgura, & grandines omnia cædentes. Octava Locuſtæ & bruchi, qui reliquias grandinis in herbis & arboribus vaſtaverunt. Nona: Tenebræ palpabiles per triduum, in quibus horribiles imagines quaſi ſomniantibus apparebant, quæ eos deterrebant: ubi autem filii Iſrael erant, lux erat, & hæ plagæ eos non tangebant. Decima plaga erat: quòd Primogenita Ægypti, id eſt: Omnes hæredes ſint oc- C. ciſi & Dii eorum contriti.

Hæ autem plagæ teſte Cornelio & Oroſio quinque annis contigerunt ſcilicet ſingulis annis duæ: poſt unamquamque enim plagam ſpatium pœnitentiæ dabatur, ſed Rege indurato iterum plaga inferebatur. Sed quia Apoſtolo ſcribente hæc omnia in figura contigebant illis: & eodem aſſerente lex ſpiritualis eſt, videndum quidnam ſpiritualiter ſignificent.

Pharao, quod dicitur *denudans* vel *diſſipans* eſt diabolus, qui hominem gloria immortalitatis denudavit, & eum in variis erroribus diſſipavit. Hujus regnum eſt Ægyptus, quod ſonat *tenebra* vel *tribulatio*, & ſunt ignorantiâ, infidelitate & peccatis tenebroſi, tribulantes eos, qui ſunt bonis operibus dediti. Porrò Pharäo non eſt nomen hominis, ſed dignitatis, ſicut apud nos Reges, Auguſti appellantur, cùm propriis nominibus cenſeantur: ille autem Pharäo qui in mari ſubmerſus eſt, Ceucris dictus eſt. Plagæ Ægyptiorum ſunt percuſſiones peccatorum.

Aqua Ægypti eſt ſapientia hujus mundi: Piſces in fluctibus vagi ſunt Philoſophi in mundanis curioſi. Hæc aqua in ſanguinem vertitur, & piſces ejus moriuntur, dum ſæcularis ſapientia in peccatis animas obligat, & ſuos ſectatores mortificat, ſanguis enim peccata ſignificat, ut ſcribitur: *Libera me de ſanguinibus*, Pſ. 50.
id eſt: peccatis. Inſantes Hebræorum ab Ægyptiis in aqua necati ſunt, id eſt: ſimplices in fide ab erroneis Gentilium libris ſeducti.

Ranæ autem, quæ in paludibus coaxant, ſunt Poëtæ, qui in cœno luxuriæ ſordida facta priorum clamant. Hac plaga Ægyptus percutitur, dum horum doctrina cor mundanorum ſubvertitur.

Cyniphes verò pungentes ignitis ſtimulis ſunt inquieti, qui feruntur variis deſideriis: qui Cyniphes de pulvere terræ procreati ſunt; quia inquieti terrenis deſideriis tantùm dediti ſunt. Hircis maximè inhærent; quia hi præcipue fœtori libidinis inſident. Hac tertia plaga hi percutiuntur, qui Spiritum ſanctum non habent, qui in Trinitate tertia Perſona ſcribitur.

Cynomia autem muſca canina hæretici ſunt, qui more canum contra Catholicos indiſcretè latrant: & inſtar muſcarum

importunis diſputationibus repulſi advo- A. lant. Multigenæ muſcæ, multimodæ ſunt hæreſes, quæ multis modis catholicos inquietant, & dum ſanis ſententiis abiguntur, iterum eos impugnant.

Peſtilentia verò *animalium* eſt reproba vita carnalium, qui dum beſtialiter vivunt, carnali vita putreſcentes quaſi peſte intereunt.

Veſicæ autem ſcaturientes & puſtulæ bullientes, & ulcerum incendia de favilla fornacis formata, ſunt invidi iracundi, odio pleni: qui ira & odio feriunt, & per homicidia animarum ulcera contrahunt.

Tonitrua verò ſunt minæ potentum, B. fulgura terrores perſecutorum, grandines rapinæ prædonum: quæ ſingula Ægyptios percutiunt, dum mundanos adverſitatibus affligunt.

Locuſtæ autem & *bruchi*, qui virentia florum corrodunt, ſunt bilingues & detractores: qui malis colloquiis bonos mores bona incipientium corrumpunt.

Tenebræ verò palpabiles ſunt infideles, qui multos à luce veritatis ſeducunt ad tenebras erroris: in his tenebris horribiles imagines apparent, qui eos deterrent; C. quia quædam monſtruoſa de futuris ſuppliciis imaginantur, de quibus meritò talia credentes terreantur. Porro lux ibi lucet, ubi filii Iſraël ſunt; quia filiis lucis gaudia æternæ claritatis pateſcunt.

Primogenita autem Ægypti, quòd hæredes ſunt, amatores ſunt mundi: qui quaſi Ægyptum hæreditant, dum ſolum hunc mundum amant. Sed primogenita Ægypti percutiuntur, dum amatores mundi ab hac vita per mortem tolluntur, & æternis ſuppliciis traduntur. Dii quoque eorum damnantur, dum Prælati eo- D. rum cum ipſis æternis pœnis deputantur. Hoc etiam in nobis intelligitur. Spiritus & animæ parentes noſtri ſunt, *filii* ſunt virtutes: inter quas *primogenitus* eſt fides, quæ regni Chriſti erit hæres; quem Angelus percutiens occidit, dum hæreſis per diabolum inventa fidem in anima extinguit: ne hæres regni Patris eſſe poſſit.

Harum decem plagarum medicina ſunt decem præcepta in duabus lapideis tabulis ſcripta. In una tabula erant tria quæ pertinent ad dilectionem Dei: in altera ſeptem, quæ pertinent ad dilectionem proximi.

Primum præceptum eſt: Unum Deum adora, quod pertinet ad Patrem.

Secundum: Non aſſumes Nomen Dei tui in vanum, id eſt: non periurabis, quod pertinet ad Filium.

Tertium: Sanctifica diem Sabbathi, id eſt: Unum diem in hebdomada ab operibus corporis requieſce, & Deo vaca, quod pertinet ad Spiritum Sanctum.

Quartum: Honora Patrem & Matrem.

Quintum: Non oceides, ſubaudi: nec manu, nec lingua, nec corde.

Sextum: Non mœchaberis: ſubaudi: nec facto nec conſilio nec voluntate.

Septimum: Non furtum facies.

Octavum: Non falſum teſtimonium dices.

Nonum: Non concupiſces rem proximi tui.

Decimum: Non deſideres uxorem alterius, nec omnia, quæ illius ſunt.

Hæc ideo denario numero continentur, quia ipſe eſt limes omnium numerorum: & ideo pro mercede dabitur in vinea, id eſt: in lege Domini laborantibus, quæ eſt finis operum noſtrorum. Quem denarium ternarius & ſeptenarius complectitur; quia ternario fides Trinitatis, ſeptenario verò operatio innuitur: quæ utraque in gemina dilectione per ſeptem dona Spiritus Sancti in his ſeptem diebus complentur. Tabulæ autem lapideæ legis deſignant dura corda, quæ noluerunt dilectionem recipere. Lex verò ideo in igne datur, quia prævaricatores legis igni traduntur: facies autem Legiſlatoris ſplendida apparuit; quia obſervatores legis, ut Sol fulgebunt.

AMEN.

HONO-

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

EXPOSITIO
SELECTORUM PSALMORUM.

Ex inedito ejuſdem ampliſſimo Commentario in Pſalmos excerpta,

&

Ex Codice MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria publici juris facta à Venerabili D. P. Leopoldo Wydemann, ibidem Bibliothecario.

Digitized by Google

HONORII EXPOSITIO IN PSALTERIUM.

Authoris Dedicatio.

** Rubrica Codicis Mellicenſis, Secul. XIII. ab Ottone de Veldſperg, Priore Mellicenſi exarati eſt hæc:* Incipit Liber Honorii ad Chunonem Abbatem ſupra primam quinquagenam Pſalterii Beatus Vir. Patri Verbo, & exemplo &c.

* CHriſtiano Patri verbô & exemplô relucenti ut ſpeculum, commiſſum gregem ad paſcua vitæ per arctum callem ducenti Honorius devotus Chriſto ſervientium ſervus, devotæ orationis affectus: quatenus cùm apparuit Princeps Paſtorum, ſuper omnia bona Domini conſtituatur in tabernaculis juſtorum.

Studium tuum, venerande Pater, flagrans in ſcripturis ardenter, ad opus, B. quod jubes aggredi, accendit animum meum vehementer: & Cymbam ingenioli mei impellit in pelagus intransnavigabile, ſed tamen flatu Spiritûs Sancti ac remis orationum tuarum aliquando transmeabile. Validô ſiquidem impulſu charitatis urges me ſubire præclarum onus fraternæ utilitatis, redundantiam videlicet ſupernæ dulcedinis in Pſalmis clauſam ſtylô reſerare; ac ſqualenti vaſe dulcem Spiritûs Sancti potum ſitientibus juſtitiam propinare: quatenùs hi, qui Pſalmos jugiter ruminant, eximiam ſuperni C. nectaris ſuavitatem interiori palato ſapiant; ne fortè eis cœleſtia verba, ut inſipida aqua de ore profluant, aut ut fiſtulæ in organis inanem ſonum emittant. Cujus ardui operis dum penſo magnitudinem, perhorreſco: dum verò in eo perpendo gratiæ plenitudinem, de injuncto munere hilareſco; confidens me omnium orationibus ſublevari, qui meô potuerint labore in ſcripturis adjuvari. Hoc igitur opus nomini tuæ dignitatis dedicetur, ac per te utilitati fidelium publicetur.

Pſalterium Gallicum autem, non Romanum, explanabimus, quia in noſtris Eccleſiis illud Pſallimus. Eſt autem Gal-A. licum Pſalterium, quòd à ſeptuaginta interpretibus eſt translatum: Romanum autem quod à Symmacho, vel neſcio à quo alio eſt interpretatum. Sunt enim ſex translationes ab Eccleſia receptæ, videlicet ſeptuaginta, Theodotionis, Symmachi, Aquilæ, & quinta editio cujus Author ignoratur, & S. Hieronymi. Nos autem ſeptuaginta interpretum translationem tractabimus, & ubi opus fuerit, de aliis aſſumemus.

Quid ſit & undè dicatur Pſalterium?

MUlta ſunt indoctis de Pſalterio dicenda: Sed pauca doctis ſummatim ſtylo perſtringenda. Pſalterium eſt muſicum inſtrumentum, decem chordis diſtentum, triangulum, in modum Deltæ literæ formatum: & dicitur hebraicè Nabla, & latinè organum, inferiùs latum, ſuperiùs concavum: quod inferiùs percuſſum, ſuperiùs reddit ſonum. Ab hoc inſtrumento hic liber Pſalterium cognominatur, & Hymni in hoc inſtrumento decantati, Pſalmi denominantur. Quod autem apud nos ſunt Rhythmi ſcilicet cantus certo Syllabarum numero compoſiti, fidibus Citharæ apti: hoc ſunt apud Hebræos Pſalmi metrô variô compoſiti, chordis Pſalterii apti. Significat autem modulatio cantûs contemplationem, ipſi verò Pſalmi bonam actionem. Ideo autem myſteria hujus libri ſunt per involucra & ænigmata tecta, ne viloſcerent omnibus aperta.

Quòd ad Logicam pertineat.

PHiloſophia eſt amor Sapientiæ; Philo quippe Amor, Sophia dicitur Sapientia: hæc dividitur in tres partes in Phyſicam,

cam, Ethicam & Logicam; id eſt in naturalem, moralem, rationalem. Phyſis namque natura, ethys mos, loys ratio dicitur. Ad phyſicam pertinet Geneſis quæ de naturis loquitur; Epiſtolæ Pauli ad ethicam pertinent, quæ de moribus tractant: Pſalterium ad logicam, quæ & theorica dicitur, eò quòd de ratione Divinæ ſcientiæ memorat.

Traditur autem quòd Pſalterium in quinque diebus à David ſit editum; & in quinque libris diſtentum, per quinque millia annorum, per quinque vulnera Chriſti redemptum.

De titulo, Intentione, Materia, & Authore.

Titulus libri hujus eſt Liber Hymnorum: hymnus eſt laus Dei metricè compoſita. Omnes quippe Pſalmi in Hebræa lingua certo metro decurrunt: Sed hoc translatores propter ſimplices minimè ſervare curârunt. Titulus autem dicitur à Titane, id eſt, à ſole: quia ſicut Sol oriens mundum illuminat, ita titulus ſequens totum opus illuſtrat. Intitulatur etiam Liber Soliloquiorum de Chriſto, quia abſque perſona loquitur de toto Chriſto, ſcilicet de capite & corpore.

Intentio totius libri eſt nos hortari per imitationem Chriſto conformari: ut per ipſum redeamus ad ſummam gloriam, quâ per Adam perditâ venimus in ſummam miſeriam.

Materia eſt Chriſtus & Eccleſia, theoricæ id eſt Divinæ Scientiæ ſupponitur: utilitas, ſcire vitia cavere, bona agere; finalis cauſa, adeptio vitæ æternæ.

David Rex & Propheta omnes Pſalmos Spiritu Sancto afflatus de Chriſto & Eccleſia compoſuit, titulos quaſi quasdam claves appoſuit: quia ſicut janua clave aperitur, ita titulo intellectus Pſalmi reſeratur. Quod quidam Pſalmi ſub nomine *Aſaph*, *Idithun*, *Ethan* vel aliorum intitulentur, non ideo fit, quia ipſi eos ediderunt, ſed ut interpretatio nominum illorum denotetur. Quòd autem quidam nominibus *Aggai* & *Zacharia* inſcripti ſunt, qui longè poſt David fuerunt; declarant manifeſtam Sancti Spiritûs inſpirationem: cui omnia futura ſunt præſentia.

Qui & nomen Joſiæ Regis Longè ante prædixit, & futura Chriſti myſteria, ut poſteà contigerunt, in Pſalmis deſcripſit. Porrò trecenti viri fuerunt ordinati ad modulandum hoc opus ante arcam Domini, quibus quatuor præcentores præerant, Aſaph, Idithun, Ethan & Heman; unde & quidam Pſalmi eis attitulantur.

De ordinatione Pſalmorum.

Pſalmi non ordinatim, ſed ſparſim ſunt à David conſcripti. Poſt incenſam autem à Chaldæis legem Eſdras Propheta novas litteras invenit, legem renovavit, Pſalmos in unum volumen redegit, ordinem ob certas cauſas dedit, titulos quaſi claves ad reſeranda occulta myſteria affixit. Traditur namque, quòd David inprimis *Benedictus Dominus Deus meus* ediderit; ſed Eſdras propter myſterium *Beatus Vir* primum deinde cæteros in ordine ſequentes poſuerit.

De Forma ſive Figura Pſalterii.

Pſalterium, quod Chriſtum & Eccleſiam concinit, formâ ſuâ corpus Chriſti exprimit. Dum enim inferiùs percutitur, ſuperiùs reſonat: & Corpus Chriſti dum ligno crucis ſuſpenditur, Divinitas per miracula reſonat. Delta, ad cujus formam Pſalterium ſit, quarta litera in Ordine Alphabeti notatur, & Corpus Chriſti quatuor elementis compaginatur: ſive Eccleſia, quæ eſt Corpus ejus, quatuor Evangeliis ædificatur.

Exprimit etiam Pſalterium formam hominis, qui conſtat ex ſuperiori & inferiori, corpore videlicet & animâ: qui debet inferiùs percutere, id eſt, corpus ſuum jejuniis & orationibus affligere, ut ſic ſuperiùs poſſit dulce melos Deo reddere; juxta illud: Carnem macerant, Spiritum roborant. Quod fit in triangulo Pſalterio, hoc eſt, in confeſſione Trinitatis: & in decem Chordis, id eſt, in X. præceptis legis. Chorda exſiccatur, torquetur, extenditur: ita debet homo à carnalibus concupiſcentiis exſiccari, virtutibus torqueri, charitate extendi: quia nulla operatio valet ſine charitate; ut illud: *Si diſtribuero omnes facultates meas &c.*

Decem chordæ, quæ in Pſalterio extenduntur, ſunt decem præcepta legis, quæ per Chriſtum traduntur. Decem in quinque & quinque reſolvuntur, & quin-

que ſenſus in corpore Chriſti geminati re- A periuntur: per quos decem Chordæ dulciter reſonant, dum decem præcepta operibus repræſentant. Unde licèt Pſalterium pro uno volumine computetur, tamen in quinque inciſionibus quaſi quinque libris diſtinguetur. Qui geminantur, cùm de Chriſti Divinitate & humanitate, vel de Chriſto & Eccleſia, vel de activis & contemplativis intelligantur.

De Numero Pſalmorum.

IN Pſalterio centum & quinquaginta Pſalmi ſcribuntur: quia ſicut olim diluvió centum quinquaginta diebus mun- B di ſcelus diluitur, ſic crimen pœnitentis Eccleſiæ centum quinquaginta Pſalmis undis lachrymarum abluitur. Unde quinquageſimus Pſalmus pro pœnitentia, centeſimus pro judicio, centeſimus quinquageſimus pro laude ponitur: quia nimirum qui hic pœnitet, judicium evadet, & ad perennem laudem per Chriſtum perveniet.

De Myſterio Pſalmorum.

HIc liber ſcribit de capite & corpore & ſingulis membris, id eſt, de Chri- C ſto & Eccleſia & ſingulis electis. Unde aliquando caput Chriſti, id eſt, Divinitas; aliquando caput Eccleſiæ, id eſt, humanitas: aliquando corpus Chriſti, id eſt, tota Eccleſia, aliquando Eccleſia hìc in terris peregrinans, aliquando Eccleſia cum Chriſto in cœlis regnans: aliquando ſanum membrum id eſt juſtus, aliquando membrum ægrotans id eſt peccator loquitur: & inde eſt, quòd perſonæ in Pſalmis ita varientur.

Spiritus Sanctus de capite loquitur, uti ibi: *Beatus Vir*, id eſt, Chriſtus *qui non abiit &c.* Caput de ſe ipſo loquitur, ut ibi: D *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo &c.* Spiritus Sanctus loquitur de corpore, ut ibi: *Aſtitit Regina à dextris tuis &c.* Corpus de ſeipſo, ut ibi: *Dico ego opera mea Regi &c.* Membrum ſanum loquitur ut ibi: *Cuſtodi animam meam quoniam Sanctus ſum &c.* Membrum ægrotum ut ibi: *Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum.*

Unde Pſalmi à fidelibus decantati tam vivis quàm defunctis proſunt, ſicut eſcæ ſolo ore ſumptæ omnibus membris proficiunt: quia per verba Spiritûs Sancti tam defuncti quàm vivi in libro vitæ ſcribentur, qui in corpore Chriſti per unitatem fidei recenſentur. Sicut enim infantes in baptiſmate fidem ſuam per patrinos pronunciant, ſic indocti vel defuncti per ora pſalmos canentium Deo ſupplicant. Anima quoque in ſuppliciis poſita, quaſi dolens membrum per os Eccleſiæ clamat: *De profundis clamavi &c.*

Hic liber eſt clavis cœli & janua paradiſi: per hunc etenim cœlum reſeratur, per hunc ad æternam vitam intratur. Ideo ab hoc ſumant omnes initium diſcendi, qui per libros ſunt docendi. Hic liber inchoatur à beatitudine & finitur in laudis jubilatione. quia per Chriſtum, qui eſt beatus vir, datur beatitudo, ubi eſt perpetua laus & dulcis jubilationis multitudo. Hic liber translativè Pſalterium, propriè David, ſpecialiter & propter excellentiam Propheta nominatur. Unde aliquando legitur, ſicut in Pſalterio; aliquando ſicut in David, aliquando ſicut in Propheta ſcribitur: quod totum de iſto libro dicitur.

Scriptura veteris teſtamenti Spiritu Sancto Authore ſcribitur, & in tria, id eſt: in Hiſtoriam, in Prophetiam, in Agiographiam dividitur. Hiſtoria eſt, quæ præterita narrat; Prophetia, quæ futura nuntiat: Agiographia, quæ æternæ vitæ gaudia jubilat. Hic liber in Agiographia locum poſſidet, quia laudibus æternæ patriæ pleniùs refulget.

Nota:

SAcra Scriptura quinque modis intelligitur; aliquando ad ſolam hiſtoriam, cùm præterita narrat ut ibi: formavit Deus hominem de limo & poſuit eum in paradiſum. Aliquando ad hiſtoriam & allegoriam ut ibi: Jacob duxit uxores Liam & Rachel; quod ita in re fuit, ſed activam & contemplativam vitam Chriſto jungendam prænotavit. Aliquando ad ſolam Prophetiam, cùm futura prænuntiat, ut ibi: Ecce Virgo concipiet & pariet filium. Aliquando ad ſolam literam, cùm aliquid mandat; ut ibi: Non occides, non mœchaberis. Aliquando ad ſolam allegoriam, ut in Canticis Canticorum. Hi omnes modi in hoc libro inveniuntur. Hiſtoria, ut: Initio tu Domine terram fundaſti. Hiſtoria & allegoria, ut:

ut: percuſſit petram & fluxerunt aquæ; A. quod & in Chriſto & in eremo contigit. Prophetia, ut: Benedictus qui venturus eſt in nomine Domini. Sola litera, ut: Declina à malo & fac bonum. Sola allegoria, ut: De torrente in via bibet.

Hic liber ad formam mundi ordinatus, cognoſcitur, qui in tria tempora dividitur: quorum unum ante legem, aliud ſub lege, tertium ſub gratia computatur. Sic hic liber in ter quinquaginta Pſalmos partitur, in quibus univerſitas Sanctorum invenitur. Primi quinquaginta pſalmi quippe omnes juſtos præferunt, qui ante le- B. gem ab Abel usque ad Moyſen fuerunt; qui per pœnitentiam ad Jubilæum, id eſt ad quinquageſimum remiſſionis annum Chriſtum videlicet, annum Domini placabilem pervenerunt. Secundi quinquaginta Pſalmi omnes juſtos depromunt, qui ſub lege à Moyſe usque ad Chriſtum exſtiterunt, qui per miſericordiam & judicium Chriſtum promeruerunt. Tertii quinquaginta Pſalmi omnes Sanctos cantant, qui ſub gratia à tempore Chriſti usque ad finem mundi conſurgent: qui per charitatem, quæ in *Beati immaculati* deſcri- C. bitur; & per aſcenſiones virtutum, quæ in quindecim gradibus reperiuntur, ad laudes æternæ jubilationis perducuntur.

Pſalterium non exteriori ſed interiori homini loquitur: Sanctus enim Spiritus in eo loquitur, non carni ſed ſpiritui, & idcirco totum Spiritualiter intelligitur. Unde ſicut olim Manna habuit omne delectamentum & omnem ſaporem ſuavitatis; ſic carmen hujus libri habet omne Spirituale delectamentum, & eſt convertibile ad omnem ſenſum cujuslibet inten- D. tionis.

Cùm in choro Pſallitur, tunc ſunt verba Eccleſiæ Deum laudantis; cùm à juſto canitur, tunc ſunt verba gratias agentis: cùm à peccatore recitatur, tunc ſunt verba veniam deprecantis; cùm pro Defunctis decantatur, tunc ſunt verba animæ de ſupplicio ad Deum clamantis: & quocunque ſe intentio canentis converterit, mox ſe ſenſus hujus ſcripturæ affectui canentis conformabit. Cum maledicente maledicit, cum benedicente benedicit. Maledicit membra Diaboli, ut ibi: Maledicti qui declinant à mandatis tuis: Benedicit membra Chriſti, ut ibi: Benedicti vos à Domino.

His utiliter prælibatis expediti ad ipſum textum veniamus. Sequitur:

Primus Pſalmus de Incarnatione Chriſti.

B*Eatus vir qui non abiit in conſilio impiorum.* Primus Pſalmus non habet titulum, quia propriè eſt de Chriſto qui nullum habet initium. Hic etiam titulus omnium Pſalmorum ſcribitur, quia omnes per eum aperiuntur, dum omnes de Chriſto intelliguntur. Hic quoque Monas, id eſt, unitas nominatur, quia hunc deſcribit, qui propriè unitas adoratur. Et ſicut omnes numeri ab unitate procedunt, ſic omnes pſalmi ab hoc numerandi initium ſumunt. Hic nihilominus Caput libri nuncupatur, quia de capite Eccleſiæ Chriſto ſcriptus commemoratur; ſicut ab ipſo Domino dicitur: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.* Pſalmus hic habet duas partes: unam *Beatus Vir*, in qua Chriſti incarnatio & corpus ejus Eccleſia notatur: Alteram *non ſic impii*, in qua Corpus Diaboli demonſtratur. ℣. 1.

Materia hujus Pſalmi eſt Chriſtus cum corpore ſuo, id eſt, cum Eccleſia fidelium: & corpus Diaboli, id eſt, multitudo iniquorum; & ultimum judicium, & regnum juſtorum & ſupplicium malorum. Intentio ejus à malis revocare, & ad bona invitare, & oſtendere genus humanum per Adam in miſeriam lapſum, per Chriſtum ad gloriam reparatum. Author eſt Spiritus Sanctus, ſcriptor David Rex & Propheta.

Verba Pſalmi hujus ſumpta ſunt de prima ætate mundi ab Adam usque ad tempus diluvii. Quædam, quæ ante inceptionem pſalmi ſubintelliguntur, de Adam ſumuntur. *Beatus vir* de Abel, ſed, *in lege Domini* de Enoch: *& erit tanquàm lignum*, de ligno vitæ in paradiſo; *Non ſic impii*, de gigantibus, *ideo non reſurgunt impii in judicio*, de diluvio; *Quoniam novit Dominus viam juſtorum*, de his qui in arca fuerunt: & *iter impiorum peribit*, de his qui in diluvio perierunt, ſumptum videtur. Significant autem Chriſtum cum univerſis electis per ultimum judicium ad beatitudinem tranſiturum: & Diabolum cum repro-

reprobis æternum ſupplicium ſubiturum. A. Hic Pſalmus tripliciter intelligitur, de Chriſto, de Eccleſia, de unoquoque electo. De Chriſto igitur inprimis videamus, & ab ipſo qui eſt principium tractandi, exordium ſumamus. Adam terrenus & vetus homo infelix fuit, qui de juſtitia ad injuſtitiam, de beatitudine in miſeriam, de paradiſo in exilium, de vita in mortem abiit: *In conſilio impiorum*, id eſt, Dœmonum malum ſibi conſilantium. Et *in via peccatorum* ſtetit, quia in errore ſtabilis permanſit: *& in Cathedra peſtilentiæ ſedit*, dum malitiam poſteros pravô exemplô docuit. Hinc tres mor- B. tes exprimuntur, quibus omnes poſteri Adæ involvuntur: quæ ex conſenſu, ex actu, ex conſuetudine oriuntur. Diabolo namque perſuadente homo conſenſit, dum vetitum à Deo concupivit. Et quia à ſtatu rectitudinis abiit, dum Deo ſimilis eſſe voluit, beatitudinem amiſit & mortem animæ ſubiit: Et hoc *in conſilio impiorum* Dœmonum, quorum conſilium eſt juſtitiam deſerere, & à Deo apoſtatare; & hæc eſt mors prima.

Et in via peccatorum ſtetit, dum concupiſcentiam actu perficiens interdictum pomum comedit. *Via peccatorum* eſt trans- C. greſſio mandatorum; & quia hanc viam eſt homo ingreſſus, ideo eſt etiam morte carnis depreſſus; hæc eſt mors ſecunda.

Et in cathedra peſtilentiæ ſedit, dum ex prava conſuetudine malum exemplum aliis præbuit. Cathedra enim peſtilentiæ eſt doctrina malitiæ; per hanc prolata eſt in hominem mors tertia: quæ eſt juſta damnatio. Tali modo primus homo abiit & cum ſuis ſequacibus periit.

Chriſtus autem ſecundus Adam, cœleſtis & novus homo eſt *Beatus Vir*, qui homini beatitudinem contulit: dum ſemper Deus exiſtens vir fieri voluit. *Qui non* D. *abiit in conſ. imp.* dum à juſtitia non declinavit in tentatione Dœmonum prava ſibi conſulentium. *Et in via pecc. non ſtetit* quia peccatum non fecit: & *in Cat. peſt. non ſedit* quia nec verbo nec exemplo ullum malum docuit.

Diabolus tribus modis tentandi eum appetiit, quibus & primum hominem devicit ac tribus mortibus Victor ſubegit. Gulam quippe Chriſto ſuaſit, dum lapides mutari in panem voluit; inanem gloriam ſuaſit dum ſaltum de templo dare monuit: Avaritiam vel ſuperbiam ſuaſit, dum omnia regna mundi præbuit. Sed quia Chriſtus Victor exſtitit, dum ad concupiſcentiam *non abiit*, nec in vana gloria *ſtetit*, nec in avaritia *ſedit*: ideo humanum genus à tribus mortibus, cogitationis, locutionis & operis redemit.

Sedere eſt regnantium vel docentium; peſtilentia eſt libido Dominandi, quæ ita omnes titillat: ut nec monachos intactos relinquat. *In Cathedra peſtil. ſedet* qui prælatutam dominandi appetitu tenet. Cujus ambitionis ne cui daret exemplum, renuit Chriſtus, homo Dominicus, à turbis in deſerto oblatum ſibi regnum. Supra dicta quidem Chriſtus non fecit, ſed quid?

℣. 2. *In lege Domini voluntas ejus.* Lex Domini eſt mala devitare & bona facere; quod eſt juſtitia & dilectio; Juſtitia quippe eſt malum devitare, dilectio bonum facere. *In lege Domini*, quod eſt juſtitia, voluntas Chriſti fuit, dum juſtitiam indeclinabiliter tenens, Patri obediens usque ad mortem exſtitit. *In lege Domini*, quod eſt dilectio, nihilominùs voluntas ejus fuit, dum ſuos in finem diligens pro eis animam poſuit. Unde & ſequitur:

Et in lege ejus meditabitur die ac nocte: Hoc eſt, in proſperitate & adverſitate. In die meditatus eſt legem juſtitiæ, quando turbis eum Regem conſtituere volentibus fugit: in nocte verò meditatus eſt legem dilectionis, quandò Judæis eum comprehendere volentibus ſive quærentibus ad paſſionem ſponte occurrit. Sed & ſecundum tempus hoc in die, iſtud autem in nocte contigit.

℣. 3. *Et ideo erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Hoc eſt: ipſe erit comparabilis ligno vitæ in paradiſo plantato, de quo dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo.* Paradiſus dicitur hortus delitiarum, & ſignificat Eccleſiam, in qua ſunt delitiæ Scripturarum; locus voluptatis eſt, paterna Majeſtas, æterna beatorum voluptas, fons inde fluens eſt Chriſtus de pectore patris manans: fluenta quæ Paradiſum irrigant, ſunt dona Spiritûs Sancti quæ Eccleſiam fœcundant. Lignum vitæ eſt ſapientia, animarum vita; hoc lignum, ſcilicet Chriſtus, eſt *ſecus decurſus aqu*: *plantatum*: hoc

eſt,

eſt, ſecundùm deſcenſum Spiritûs Sancti A. in utero virginali incarnatum, cujus dona ubique ùt fluenta decurrunt. Hoc *in tempore fructum dedit*, dum poſt aſcenſionem in tempore à Patre deſtinato, Spiritum Sanctum Apoſtolis miſit. Vel, *decurſus aquarum* eſt lapſus populorum, juxta quem decurſum, non in curſu, arbor illa plantata fuit: dum Chriſtus in ſimilitudine carnis peccati, non in carne peccatrice, apparuit. Hæc arbor *fructum ſuum in tempore ſuo dedit*, dum corpus ſuum in edulium fidelibus dedit. De hoc tempore ſcribitur: *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum.* Aliter: *Decurſus aqua-* B. *rum* eſt mortalitas hominum, juxta quem hoc *lignum plantatum* fuit, dum Chriſtus mortalis exſtitit. Qui ad fluxum mortis decurrens ait: *Si in viridi ligno*, id eſt, in fructifero hoc faciet, *in arido*, id eſt in ſterili *quid fiet?* hoc *lignum in tempore fructum dedit*, dum reparationem humani generis in paſſione protulit. *Suum fructum* ideo dicit quia nullus alius, quantumlibet Sanctus eum dare potuit. Vel, lignum vitæ eſt Crux ferens Chriſtum fructum vitæ. Vel ideo Chriſtus comparatur arbori, quia ſicut arbor umbrâ protegit, C. fructu reficit: ita Chriſtus in hac vita ſuos ab æſtu vitiorum umbrâ ſuæ dilectionis protegit, & eoſdem in futura, dulcedine ſuæ contemplationis refocillabit. Hoc ſignificatur per lignum vitæ in Paradiſo juxta decurſus aquarum de loco voluptatis ſalientis plantatum: de cujus fructu qui comederit non morietur in æternum.

Arbor Crucis eſt lignum vitæ in Paradiſo, id eſt, in Eccleſia plantatum ſecus decurſus aquarum, id eſt, juxta fluenta ſcripturarum: quia paſſio crucis impleta eſt juxta præconia Prophetarum. Hujus arboris fructus eſt Chriſtus in ea pen- D. dens: de cujus corpore qui comederit, non morietur in æternum. De quo ligno ſubditur quod *fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Arbor Crucis fructum in ſuo tempore dedit, dum in tempore paſſionis, ſuſtinuit Chriſtum pro ſalute humanæ redemptionis. Chriſtus quoque fructum ſuum in tempore ſuo dedit, dum in die reſurrectionis, fidelibus attulit gaudium æternæ exultationis: fructum in tempore ſuo dedit dum in die aſcenſionis hominibus cœlum contulit. Crux in tempore ſuo fructum dabit, cùm in judicio apparens Chriſtum pro humano genere paſſum demonſtrabit. Chriſtus fructum ſuum in tempore ſuo dabit, cùm poſt judicium Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſitam Deo ac Patri reddet & ſe, ut eſt Patri coæqualis, ei manifeſtabit. De hoc ligno adhuc ſequitur.

Et folium ejus non defluet. Folium arboris eſt doctrina de cruce paſſionis Chriſti; ſicut enim foliis fructus operitur, ſic verbo doctrinæ opus veſtitur. Sicut ergò folium Palmæ imò ligni vitæ non defluet, ita promiſſio doctrinæ Chriſti pro operibus fixa permanet. Undè apertè ſubditur.

Et omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Sicuti ea quæ facta ſunt per Adam in arbore prævaricationis, ceſſerunt homini in adverſitatem: ita cuncta quæ facta ſunt per Chriſtum in arbore paſſionis, provenerunt homini in proſperitatem. Sed & doctrina & ſigna & omne, quod vel in paſſione vel reſurrectione vel aſcenſione fecit, totum in proſperum humanæ ſalutis ceſſit. Et quæ in judicio adhuc faciet, proſperabuntur, dum hoſtes ejus per eum juſtè damnabuntur; juſti dignè coronabuntur. Hunc talem virum Spiritus Sanctus exempli gratiâ humano generi propoſuit; quaſi dicat: hunc bonum virum, qui non abiit, non ſtetit, non ſedit in malo, vos imitamini, qui per primum hominem de ſumma gloria ad infimam perveniſtis miſeriam: ut in iſta vita obumbret vos ab æſtu vitiorum, & in futuro ad amiſſam reducat gloriam.

Hucuſque de Capite; nunc videamus de corpore quod eſt Eccleſia.

Multitudo fidelium ab initio mundi uſque in finem cor unum & animam unam habere ſcribitur; & ideo propter unitatem fidei & unitatem dilectionis unus *Vir* dicitur. Hic eſt *Beatus* qui fide & operatione eſt beatitudini aptus: hic eſt *Vir* dictus quia viribus virtutum contra vitia eſt robuſtus. Hic *Beatus Vir non abiit in conſilio impiorum*, dum fidelis populus ante Chriſti adventum, à cultura Dei non declinavit ad idololatriam terrore tyrannorum vel doctrinâ philoſophorum. Beatus etiam vir non abiit in conſilio impiorum, dum poſt Chriſti adventum Chriſtianus populus à Catholica fide non declina-

clinavit ad perfidiam terrore perſecuto- A. rum vel perſuaſione hæreticorum. *Et in via peccat. non ſtetit*; quia in errore non diu permanſit ſed citò per eam tranſiit. *Et in cath. peſt. non ſedit*, quia Idololatriam vel hæreſim non docuit.

Hic tres virtutes, Fides, Spes & Charitas notantur, per quas populus credentium repatriare conatur. Quia enim Deum verum & unum credidit, ideo ad idololatriam vel hæreſim non abiit: & quia futura bona ſperavit, ideo in errore non ſtetit; in via enim peccatorum ſtare, eſt in errore perdurare. Et quia legem Dei dilexit, ideo in doctrina malitiæ non ſedit: *Sed in lege Domini voluntas ejus*, B. ſubaudis, complendi.

Lex Domini eſt à Moyſe veteri populo conſcripta; lex etiam Domini ſunt Evangelia novo populo credita. Populi fidelis ante Chriſti adventum voluntas in lege Domini fuit, dum mandata legis implere ſtuduit: populi Chriſtiani voluntas in lege Domini fuit, dum præcepta Evangelii implere ſtuduit. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*, hoc eſt, omni tempore verſabitur in dilectione. In die meditatur legem Dei, quando in pace diligit ami- C. cos in Deo: in nocte hanc meditatur cùm in perſecutione diligit inimicos propter Deum.

Et ideo *erit tanquam lignum quod plant. eſt ſecus dec. aquarum*. Arbor mittit radicem deorſum & ſtipitem ſurſum, de quo rami prodeunt, ex quibus folia exeunt: ſub his fructus dependent, in quibus ſemina latent. Huic arbori dilectio comparatur, per quam multitudo fidelium ad alta ſcandere conatur. Radix quæ terræ infigitur, eſt dilectio quâ proximus in terra diligitur. Stips ad alta ſurgens eſt dilectio D. Deum diligens. Rami arboris ſunt variæ virtutes charitatis, folia ſunt bona verba: flores bona voluntas, fructus bona opera, ſemen ſana doctrina. Hoc *lign. plant. eſt ſecus decurſ. aquarum*, quia arbor charitatis fundatur ſuper fluenta ſcripturarum.

Aqua tria facit; ſordes abluit, ſitim extinguit, imaginem reddit; ſic fons Sapientiæ fluens de loco voluptatis, id eſt, Chriſtus de pectore Patris per charitatem ſordes peccatorum diluit, ſitim ignorantiæ extinguit, imaginem Dei animæ reddit. Hæc arbor fructum ſuum in tempore ſuo dabit, quia Charitas aliquando contemplationi vacat, aliquando actioni inſudat. Hujus arboris folium non defluet, quia nullum verbum à bono prolatum ſine mercede remanet.

Et omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur; quia, ſive proſpera, ſive adverſa, omnia ſanctis in proſperitatem commutantur, quibus omnia, vel bona vel mala, in bonum cooperantur.

Nota ordinem: Inprimis docemur à malo declinare, deinde bonum facere, ad extremum de fructu ligni vitæ edere. Quem ordinem Eccleſia in baptizandis ſervat: quos primum docet Diabolo & operibus ejus & pompis renuntiare, deinde in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere; poſt hæc de corpore Chriſti edere.

Hæc de corpore ſunt dicta, nunc pauca de membris ſunt dicenda.

Applicatio Pſalmi Primi ad Quemcunque fidelem.

QUiſquis fidelis eſt membrum Eccleſiæ, Corporis Chriſti; qui à capite Chriſto beabitur, ſi in integritate corporis, id eſt, in Unitate Eccleſiæ commorabitur. *Beatus* dicitur bene auctus, vel bene aptus; id eſt, gloriâ auctus, vel, beatitudine aptus. Eſt autem beatus, cui nihil deeſt, quod velit: nec aliquid velit quod nocet. *Vir* dicitur à viribus, qui contra vitia eſt fortis & non mollis.

Quilibet ergò fidelis in fide & operatione ſtabilis, eſt *Beatus Vir, qui non abiit in conſ. imp.* id eſt, in nulla perfidia à Deo apoſtatavit conſiliô Dæmonum vel hominum impiorum.

Hic poteſt ſyllogiſmus formari: eſt autem ſyllogiſmus argumentatio dubiæ rei faciens fidem. Syllogiſmi latent in Sacra Scriptura, ut piſcis in profunda aqua: & ſicut de aqua piſcis in uſum hominis extrahitur, ita ſyllogiſmus de Scriptura ad utilitatem elicitur; qui tribus membris, propoſitione, aſſumptione, concluſione, hoc modô componitur. Beatus Vir cujus voluntas in lege Domini eſt; nullus cujus voluntas in lege Domini eſt, abiit

in

in conſilio impiorum, nullus igitur beatus A. vir abiit in conſilio impiorum. Hic categoricus Syllogismus vocatur: hoc modô per totum hunc librum categoricos ſyllogismos vocabis.

Et in via pecc. non ſtetit, id eſt, in nullo vitio, quod eſt via ducens ad mortem, permanſit: licèt in ea aliquam diu humanô errore ambulaverit. Sic namque ſolemus dicere, tot annos in illa civitate ſteti, id eſt, manſi: lata enim & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad mortem. *Et in Cath. peſtil. non ſedit.* Cathedra eſt ſedes Doctorum, peſtilentia verò contagio animalium: Cathedra peſtilentiæ eſt doctrina B. malitiæ; vel cathedra peſtilentiæ eſt hæreſis, quæ, uti contagio per greges ovium, ita latè pervagata eſt mentes fidelium. In hebræo ſcribitur, *in Cathedra deriſorum vel deluſorum*, & intelligitur Phariſæorum vel hæretieorum, Dominum vel Eccleſiam deridentium. In cathedra ergo peſtil. non ſedit, qui malum usque in finem pravô exemplô non docuit.

Impius eſt qui in Deum vel in parentes peccat, peccator qui in ſe ipſum: peſtilens qui proximos vaſtat. Tres lapſus Animæ hic notantur, cogitatio, locutio, C. actio. *Beatus vir non abiit in conſilio impiorum*, dum cogitationi à Dæmonibus immiſſæ per voluntatem non conſentit; *in via peccatorum non graditur*, dum malum non loquitur: *in cath. peſtil. non ſedet*, dum malum, operando, non docet. Hæc per tres mortuos figurantur qui à Domino reſuſcitantur: per puellam in domo reſuſcitatam, per Adoleſcentem extra portam reſuſcitatum, per Lazarum de monumento excitatum. Puella in domo mortua eſt anima in cogitatione per delectationem mortua; adoleſcens extra portam D. elatus eſt animus in conſenſu operis defunctus; Senex in ſepulchro fœtidus eſt homo in prava conſuetudine tumulatus. Sequitur

Sed in lege Domini voluntas ejus, à malo declinando, & *in lege ejus meditabitur die ac nocte* bonum faciendo. Lex à ligando dicitur, eò quòd homo in mandatis Dei, loris obedientiæ ligetur. *Et erit tanq. lign. quod plant. eſt ſecus dec. aquarum*; hoc eſt, hic talis ùt Palma in fide florebit, ùt Oliva in operatione fructificabit. Quæ arbor ſecus decurſus aquarum plantatur, hoc eſt, ipſa arbor fructiſera fonte ſalientis in vitam æternam irrigatur: quæque *fructum in tempore ſuo dabit*, hoc eſt, in tempore tribulationis fructum patientiæ reportabit. Tempus malorum eſt hic deſideria carnis implere: tempus bonorum eſt hic de malis mundi lugere. Mali in tempore ſuo ſpinas & tribulos peccatorum proferunt; boni in tempore ſuo flores virtutum & fructus bonorum operum emittunt. In tempore autem tribulationis mali, ut arida ligna, in igne ardebunt: boni autem, ut Sol, in regno Dei fulgebunt. *Et folium ejus non defluet*, hoc eſt: in anguſtia poſitus ùt Job nec malum verbum proferet. Et ideo *omnia quæcunque faciet, proſperabuntur*: quia omnis adverſitas & triſtitia in gaudium ejus convertetur.

Poſt deſcripta membra Chriſti ſequuntur impii, qui ſunt membra diaboli.

Applicatio Partis alterius Pſalmi ad impios.

BOni ſunt à malo declinantes, & bo- ℣. 4.
num facientes: *Non ſic impii* ſubaudi, ſunt in voluntate, non ſic in actione. Sed quales? *tanquam pulvis*, in malitia aridi, nullo charitatis humore madidi, *quem projicit ventus à facie terræ*. Ventus eſt tentatio, pulvis moribus leves, facies terræ caro Chriſti: qui formam terræ induit dum in carne nobis ſimilis apparuit. Sicut ergò ventus turbinis pulverem à terra tollit, & in circuitu volvit; ſic ventus tentationis inſtabiles à fide Chriſti elevat, & in gyro carnalium deſideriorum rotat, & à terra viventium diſſipat.

Aliter: *Non ſic impii*, quemadmodum illi, qui imitando Beatum virum ad ſimilitudinem ligni vitæ proficient, ita ut videndo beatitudinem & æternitatem ejus ipſi beati & æterni ſint juxta illud: ſecundùm dies ligni erunt dies populi mei. Sed infructuoſi, ùt aridum lignum, igni apti erunt, quos ventus aquilo, id eſt, Diabolus projicit per cupiditates à facie terræ id eſt, à ſtabilitate Eccleſiæ, ut ſint pulvis & cibus ſerpentis.

Ideo non reſ. impii in jud. neque peccat. in ℣. 5.
conſ. juſtorum. Impii ſunt in Deum & in parentes peccantes, peccatores verò in malis perſeverantes. Vel impii ſunt pagani

gani & Judæi, peccatores hæretici & falſi Chriſtiani. Duo ſunt judicia: unum hìc confeſſionis, alterum extremæ examinationis. In hoc judicio eſt Sacerdos Judex, homo reus accuſator, conſcientia teſtis, pœnitentia Judicis ſententia: Porrò conſilium juſtorum eſt converſio peccatorum. Impii ergò in hoc judicio non reſurgunt, quia profundum ſuum caſum in flagitiis neſciunt. Et ideo crimina ſua confiteri & pœnitere reſugiunt. *Neque peccatores in conſ. juſt.* ſubaudis, reſurgunt, quia de malitia ad bonitatem converti nolunt. Vel *in conſ. juſt. non reſurgunt*, id eſt in concordia eorum eſſe renuunt, quos & oderunt. In ultimo autem judicio omnes tam reprobi quàm electi in carne reſurgunt, & omnes rationem pro propriis factis reddituri ante tribunal Chriſti ſtabunt. Sed impii in judicio non reſurgent, id eſt, ut juſtos ibi judicent ſicut hìc fecerunt: Sed ut à juſtis judicentur, & pro factis ſuis juſtè damnentur. Neque peccatores ibi reſurgent in conſilio, id eſt in congregatione juſtorum; quia hìc noluerunt reſurgere ad juſtitiam in conſilio juſtorum, & ideo non erunt ibi participes beatitudinis eorum.

De Quatuor Ordinibus.

Quatuor ordiues erunt in judicio; duo electorum, duo reproborum. Unus electorum ordo ſunt perfecti, qui in judicium non perveniunt, ſed Judices cum Domino erunt: Alter electorum, ſunt qui ab auditione mala non timebunt; ſed per dulcem vocem Judicis vocati, *Venite Benedicti*, gaudium Domini ſui intrabunt. Tertius reproborum infidelium, quia jam judicati, etiam damnati ſunt: & quia hi ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Quartus ordo reproborum fidelium, qui Deum verbis profeſſi ſunt, factis autem negaverunt: & quia in legem Dei peccaverunt, per legem judicabuntur, cùm eis terribiliter à Judice dicetur: *Diſcedite à me maledicti* &c.

℣. 6. Hoc totum ideo fit, quoniam *novit Dominus vitam juſtorum*, id eſt, approbat vitam illorum & laudans remunerat facta eorum, quando ibunt cum eo in vitam æternam. Viam autem malorum non cognoſcit, id eſt, vitam illorum improbabit: & ideo *iter impiorum peribit*: id

A. eſt: affectiones malorum, in quibus ut in viis diſcurrebant, tunc diſperibunt, cùm in æternum ſupplicium cum Diabolo introibunt.

Concluſio.

Hic Pſalmus à primordio mundi incipiens, in fine ſæculi clauditur: quia mundus in Chriſto, qui eſt principium & finis, inchoans in eo etiam finitur. Ideo autem hic Pſalmus in nocte Dominica canitur, quia in ea Chriſtus reſurrexit, de quo ipſe ſcribitur: etiam in hac die

B. Eccleſia (corpus Chriſti) reſurrectura erit, cui hic Pſalmus congruit. Ideo & in feſto cujuslibet ſancti Pſallitur, quia quiſque fidelis membrum Eccleſiæ cenſetur, cujus compago in deſcriptione hujus Pſalmi tenetur.

PROLOGUS IN PSALMUM QUINQUAGESIMUM.

Hic Pſalmus quartus de pœnitentialibus ſcribitur: quia per quatuor virtutes, prudentiam, ſortitudinem, juſtitiam, temperantiam homo perfectus efficitur. Septem autem pœnitentiales

C. Pſalmi ideo ponuntur, quia per ſeptem dona Spiritûs Sancti, peccata remittuntur. Primus Spiritui timoris, ſecundus Spiritui pietatis, tertius Spiritui ſcientiæ, hic quartus Spiritui fortitudinis aſcribitur: quæ una de quatuor principalibus virtutibus ponitur. In hoc Pſalmo præcipuè humilitas & oratio notantur, per quas maximè peccata relaxantur.

In quinquageſimo loco ponitur, quotus numerus dierum Penthecoſten ſcribitur: & ſignificat lætitiam, quam pœnitens aſſequitur per veniam. Hoc expreſſum eſt per annum quinquageſimum, qui

D. dictus eſt Jubilæus, id eſt, jubilatione plenus: in quo recepit populus amiſſam hæreditatem, & venditus redit ad perditam libertatem. Sic per pœnitentiam amiſſa hæreditas paradiſi recipitur, & ad priſtinam libertatem reditur. Homo enim concupiſcentiâ victus ſub peccato venundatur; cum omnis qui facit peccatum, ſervus peccati efficiatur. In Quinquageſimo numero Denarius quinquies multiplicatur; quia poſt quinque ſæculi ætates Chriſtus ſalus hominum & vitæ denarius generatur: per quem Spiritus

Sanctus

Sanctus, qui eſt remiſſio peccatorum, A. datur.

De Titulo, Hiſtoria & Figurâ.

TItulus hujus Pſalmi eſt: *In finem Pſalmus David, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethſabee.* Nota eſt hiſtoria. Urias unus de Ducibus David pulchram Uxorem habuit, quam Rex ſe balneantem conſpiciens concupivit, adduci præcepit, cum ea concubuit. Interim vir ejus in obſidione cujuſdam civitatis cum exercitu conſedit, ſed Davidis conſilio occiſus interiit. Hoc factô B. miſit Dominus Nathan Prophetam ad David, qui ei paradigma de ove & hoſpite propoſuit: per quod ei culpam perpetratam objecit. David verò commiſſum ſcelus agnoſcens, & comminationem Domini terribilem expaveſcens, pœnitentiam ex corde egit, & hunc Pſalmum pro ſatisfactione compoſuit, & priſtinam gratiam à Domino promeruit.

Hic ergò Pſalmus adſcribitur David Regi & Prophetæ, qui erat reſpiciens *in finem*, id eſt, in Chriſtum: per quem vidit ſibi remittendum peccatum; dum ve- C. nit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethſabee. Hoc eſt, quando eum Nathan Propheta increpavit pro adulterio commiſſo Bethſabee & homicidio Uriæ.

Nathan, qui David de pœnitentia monuit, dicitur *dedit*: & ſignificat ordinem Doctorum, qui populo fidelium conſilium de pœnitentia dat. Qui paradigma de ovibus propoſuit, quia bonus Paſtor animam pro ovibus poſuit. Porrò ad literam homo, qui multas oves habuit, David fuit, qui multas uxores habuit: pauper qui unam habuit, Urias fuit, qui unam tantùm uxorem habuit.

Hoſpes, cui pauperis ovis occiditur, D. eſt illicitus amor, qui de copulatione uxoris reficitur. Et nota quòd luxuria apud David hoſpes fuit, apud Salomonem verò regnum tenuit.

Lapſus Sanctorum ideò ſcribuntur, ut potentia Medici in ſalutem deſperati ægroti commendetur, & lapſi exemplô illorum ad ſpem veniæ animentur. Sed ſtulti formam peccandi de Sanctis ſumunt, formam pœnitendi refugiunt.

Cùm Davidi ſicut aliis hominibus peccatum ſit à Deo imputatum, & etiam diſtrictè in eo ſit vindicatum, Quæritur Cur in figura ponatur? Sed ſciendum eſt, quòd Deus de toto humano genere Iſraëliticum populum in figuram elegerit, qui populus Chriſtiani populi umbra fuit. Nam quidquid vel inſcius fecit, futurum aliquando prænotuit. Specialiter tamen Spiritus Sanctus quod de illis vel de cunctis retrò populis per Prophetas ſcribi voluit, figura futuri fuit. Unde ſcribitur: *Omnia in figura contingebant illis.* David itaque Chriſti figuram, Bethſabee Eccleſiæ, Urias Diaboli imaginem geſſit. Et ſicut illa, dum in fonte Cedron lavaretur exuta veſtibus ſuis, Davidi placuit, & ad regios meruit venire complexus, Maritus quoque ejus principali juſſione eſt trucidatus: ita & Eccleſia, id eſt, congregatio fidelium per lavationem Sacri baptiſmatis mundata à ſordibus peccatorum, Chriſto Domino noſcitur eſſe ſociata, & Diabolus Apoſtolis impugnantibus eſt annihilatus. Hoc & ipſa nomina innuunt. David namque *deſiderabilis*, Bethſabee *puteus teſtamenti*; Urias dicitur *Gloria Dei mei*, & deſignat diabolum, qui ſibi gloriam Dei ſui uſurpavit, dicens: *Similis ero Altiſſimo.* Dicitur etiam *Lux mea Deus*, ſignificans illum qui transfigurat ſe in Angelum lucis.

Sicut Bethſabee non eſt paſſa concubitum prioris mariti, poſtquam copulata eſt David; ita Eccleſia non eſt conjuncta diabolo, poſtquam venit ad Chriſtum deſiderabilem, qui fuit exſpectatio gentium. Hæc puteus teſtamenti fuit, quia abyſſus veteris legis in ea latuit. Urias conſilio David occubuit; & Diabolus Chriſti conſilio gentilitatem amiſit. Nec mireris, per adulterum figurari Chriſtum, per adulteram denotari Eccleſiam, & per caſtum deſignari diabolum: quia nihil confert turpitudini, ſi literis deſignetur aureis; nihil derogat honeſtati, ſi literis denotetur atramentareis.

De Materia, Intentione ac utilitate hujus Pſalmi.

MAteria hujus Pſalmi eſt oratio pœnitentis David: intentio eſt nos exemplô David informare ad pœnitentiam & orationem. Magna utilitas in hac oratione fidelibus confertur; ut ju-

ſtus de juſtitia ſua non confidat, cùm ju- A. ſtiſſimum David cecidiſſe videat: & peccator non deſperet dum tantum peccatorem veniam conſecutum audiet. Verba ſumpta ſunt de pœnitentia ipſius David, & cuique fideli congruunt, qui poſt lapſum ad Dominum cum ſatisfactione & oratione recurrunt.

Quoniam ſi voluiſſes, de hiſtoria trahitur, ubi Deus ſacrificium Cain reſpuit, quia juſtitiam non obtulit. Vel de hiſtoria accipitur, ubi Dominus ſacrificium Saul deſpexit, qui obedientiam conferre neglexit. Deſignat autem, quòd Deus hu- B. jus oblationem ſpernit, qui charitatem & humilitatem offerre contemnit. *Benigne fac*, de futura tunc hiſtoria trahitur, ubi Jeruſalem à Babyloniis deſtruitur, ſed iterum à Zerobabel & JEſu Sacerdote conſtruitur & acceptum ſacrificium Deo offertur: vel, de hiſtoria, ubi Jeruſalem à Romanis eſt deſtructa ſed ab Adriano Imperatore denuo reædificata: in qua Chriſtiani nunc acceptabilia Deo offerunt ſacrificia. Significat autem quod Syon, id eſt, Eccleſia hic à paganis & hæreticis deſtruatur, ſed per JEſum ſummum Sacerdotem & Regem Chriſtum in cœleſtem Jeruſalem vivis ex lapidibus re- C. ædificatur.

De Diviſione hujus Pſalmi.

IN quinque membra hic Pſalmus dividitur, quia pro reatu quinque ſenſuum pœnitentia agitur. Primum eſt: *Miſerere mei Deus*, in quo pœnitentis ſatisfactio. Secundum eſt: *Aſperges me hyſſopo*, in quo miſericordiæ confidentia. Tertium: *Averte faciem tuam*, in quo Trinitatis veneratio. Quartum: *Docebo iniquos*, in quo pœnitentis futura prædicatio. Quintum: *Benignè fac*, in quo pœnitentiæ acceptio notatur.

In priori Pſalmo terribile Judicium deſcribitur, & blanda Regis admonitio ſubjicitur. Unde peccator, cùm dixit JEſus: Quare tu enarras juſtitias meas, perterritus ad Judicem cum ſacrificio pœnitentiæ currit dicens.

Explicatio Pſalmi.

℣. 3. M*Iſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Miſericordia Dei tanta eſt; ut de cœlo mundi creatorem de- A. poſuerit, terreno corpore induerit, Patri æqualem æternitate, nobis coæquaverit mortalitate: formam ſervi Domino mundi impoſuerit; ut ipſe panis vivus eſuriret, fons vitæ ſitiret, virtus infirmaretur, omnipotens vita moreretur. Magna miſericordia fuit propter nos creari creatorem, ſervire Dominatorem, vendi Redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi vivificatorem. Secundùm modum hujus magnæ miſericordiæ miſerere mei: Chriſtus eſt fons miſericordiæ in quo lotus eſt David, Petrus, Zachæus, Pau- B. lus, Maria, latro & alii innumerabiles, de quo ſequitur:

Et ſecundum mult. miſer. tua: dele iniq. meam. Major eſt multitudo Dei miſerationum quàm multitudo omnium peccatorum. Quia multiplex eſt tua miſericordia, & magna mea miſeria, ad modum tuæ multæ miſerationis dele magnitudinem meæ iniquitatis. Similitudo trahitur à cera, cui impreſſa eſt deformis imago, quâ deletâ reformatur cera ad exprimendam pulchram imaginem: ille namque ſolus in libro vitæ ſcribetur, cujus omnis iniquitas deletur.

℣. 4. *Amplius lava me ab iniq. mea:* priùs lavâ- C. ſti me de fonte baptiſmatis, jam ampliùs lava me de fonte lachrymarum. *Et à pec. meo munda me:* lavâſti me in baptiſmo ab originali, munda me nunc à peccato actuali.

℣. 5. *Quoniam iniq. meam ego cognoſco*, ideo tu ignoſce; quia ego lachrymis punio, ideo tu miſericorditer parce. *Et peccatum meum contra me eſt ſemper:* hoc eſt: quaſi imago horribilis ſtat contra me, quam ſemper apertis & clauſis oculis aſpicio, & orando & plorando annihilare cupio. Superiùs dicitur: *Arguam te & ſtatuam peccata contra faciem tuam*: hoc pœnitens præoc- D. cupat, & ponit peccatum ſuum contra ſe ſemper illud aſpiciens & illud deflens. Eſt autem vera pœnitentia & commiſſa deflere, & deflenda non committere.

℣. 6. Ideo te oro quià *tibi ſoli peccavi & malum coram te feci*: qui ſolus es ſine peccato, & qui ſolus es bonus. Nota: Ipſum miſericordiæ parentem, ſcilicet Chriſtum alloquitur: omnes homines vinculis peccatorum conſtricti tenentur, tu ſolus es verax & juſtus. *Ut juſtificeris in ferm. tuis*, cùm dicas: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

cator & Propheta de te, peccatum non fecit: &: Princeps mundi veniet ad te, & nihil de ſuo inveniet. *Et vincas* juſtitiâ omnes homines, *cùm judicaris* ab injuſtis dicentibus: Reus eſt mortis; & ſi hic non eſſet malefactor non tibi tradidiſſemus eum.

Aliter: *Tibi ſoli*, qui es Regum Rex, *peccavi & malum coram te feci*, qui omnia inſpicis, qui de mea ſtirpe te naſciturum promiſiſti. Sed nunc omnis populus dicit: de David non naſcetur Chriſtus, qui tale peccatum commiſit, & ideò fit irritum promiſſum tuum in opinione hominum. Ideò dimitte peccatum meum, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, implendo promiſſum tuum, ne fallax ſed verax appareas, *& vincas cùm judicaris* à mundanis, non debere te reddere ea propter multa peccata mea: & manifeſta, non ex meritis meis, ſed Solâ juſtitiâ tuâ Sermones de promiſſione mihi factâ fore complendos. Tu ſolus juſtus es in te, alii per te.

℣. 7. *Ecce enim in iniquit. conc. ſum*, id eſt, in originali peccato quia omnes in Adam peccaverunt. *Et in pecc. concepit me mater mea:* Non erat David de adulterio natus, ſed de Jeſſe juſto viro & de conjuge ipſius, nec eſt peccatum commixtio conjugii. Sed quia mortalis de parentibus propagatur, meritò in peccatis concipi memoratur. Mors enim eſt pœna peccati, quæ à parentibus quaſi hæreditas poſſidetur, ſed per concupiſcentiam carnis miniſtratur. Chriſtus autem qui ſine concupiſcentia eſt conceptus, ſine peccato eſt generatus; mortalis autem non naturâ ſed voluntate fuit, ideo vincens omnia.

℣. 8. *Ecce enim verit. dilexiſti*, id eſt, confeſſionem: ecce apparet quia tu prior dilexiſti veritatem in me facere, id eſt, cognitionem peccati & pœnitentiam, quia tu priùs me voluiſti. *Incerta & occulta ſap. tua manif. mihi*; id eſt: revelâſti mihi myſteria filii tui, quæ multis quidem revelâſti, ſed mihi certa monſtrâſti, primò ut agnoſcerem te habere filium; deinde ut ipſum noſcerem ex ſemine meo venturum, ita ut paſſionem ejus & reſurrectionem quaſi viſam prænuntiarem. Ideò

℣. 9. *Aſperges me hyſſ. & mundabor*, id eſt: mundabis me per ſanguinem filii Dei. Hiſtoria tangitur: faſciculô hyſſopi aſpergebatur ſanguis ſuper leproſum & mundus fiebat. Sanguis iſte ſignificavit ſanguinem filii Dei, quô leproſi corpore & animâ ſunt mundati. Hyſſopus herba parva & reprimens tumorem pulmonis, ſignificat humilitatem Chriſti qui ſe obtulit Deo: hyſſopus dicitur radice petram penetrare, quæ petra eſt Chriſtus. *Lavabis me & ſuper nivem dealbabor*; id eſt, purificabis me per lavationem baptiſmi & ero albus ſuper nivem. Anima habet candorem ſuum ſicut corpus ſuum: & inter omnes viſibiles creaturas nihil albius eſt nive, ſuper quam in corpore eſt candor animæ. Et poſtquam hoc feceris,

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Superiùs dixiſti: *Audi populus meus & loquar*, ℣. 10.
ecce audio obedienter, quid præcipias, nec contradico. & huic auditui meo dabis gaud. & læt. Gaudium pertinet ad peccati abſolutionem, lætitia ad perennis vitæ perceptionem. Auditui gaudium & lætitiam dabit quando dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c.* auditâ hac voce *exultabunt oſſa humiliata*, ſcilicet animi firmamenta in pœnitentiâ debilitata. Per oſſa etiam intelligitur ratio & liberum arbitrium, in peccatis inclinata: hæc exultabunt, cùm reſtitues vim rationis & facultatem liberi arbitrii. Dum enim homo peccatis delectatur, ratio excæcatur, liberum arbitrium debilitatur. Ut auditui meo des gaud. & lætitiam,

Averte fac. tuam à pecc. meis: Deum ℣. 11.
peccata noſtra aſpicere vel recordari eſt velle punire; faciem à peccatis avertere vel obliviſci, eſt nolle punire. Cæterùm Deus ſemper aſpicit omnium hominum actus vel cogitationes, nec unquam obliviſcitur, cui omnia præterita & futura ſunt præſentia. *Et omnes iniq. meas dele*; originales & actuales dele, hoc eſt, dimitte, quia crimen noſtrum admiſſum in quibuſdam quaſi tabulis ſcribetur, dum divinâ notitiâ continetur. Et non tantùm peccata dimitte, ſed etiam

Cor mundum crea in me Deus; qui hoc po- ℣. 12.
tes facere, purga animam ab ignorantiæ caligine, ut te poſſim purè intueri & intelligere. Creare poſitum eſt hìc pro reſtaurare. Crea cor mundum, hoc eſt da mundum intellectum: Cor ideo pro intelligentia ponitur, quia in hoc fons cogitationum

tationum eſſe dicitur. *De corde*, inquit A. Dominus, *exeunt cogitationes*: Unde & cor conoydes eſt, quæ ignis habet imaginem; ut meritò tali poſitione ſit plasmatum, unde nobis poteſt venire conſilium. Traditur etiam à phyſicis cor inprimis in homine formari. *Et Spir. rectum innova in viſc. meis*: iteratò da Sapientiam, id eſt, intellectui meo filium tuum, ut benè poſſim operari: quia ipſe eſt linea omnis rectæ operationis. Non Spiritus, ſed homo innovatur dum à vetuſtate peccati reformatur.

℣. 13. *Ne projicias me à facie tua*: à facie Dei projicitur, qui curari contemnitur. Ita B. innova, ut ampliùs non projicias à conformitate ejus, quæ eſt facies tua, per quam cognoſceris, & non permittas ulteriùs excedere lineam tuam. *Et Spir. Sanct. ne auferas à me*, ſcilicet Spiritum prophetiæ vel dilectionis.

℣. 14. *Redde mihi læt. ſal. tui*, hoc eſt, me fac habere lætitiam de ſalvatione filii tui. Gratiam Spiritûs Sancti ſe amiſiſſe cognoſcit, quia Spiritus Sanctus peccantes fugit, & non habitat in corpore ſubdito peccatis. *Et Spiritu princ. confirma me*, ne iterum peccem, nec animi mutabilitate à te diſcedam. Hìc Trinitas expreſsè po- C. nitur: in Spiritu principali Pater, in Spiritu recto Filius, in Spiritu Sancto ipſe Spiritus Sanctus accipitur. Non tamen ideo Spiritus principalis dicitur, quòd ipſe ſit prior tempore vel major, ſed quia ab eo & filius & Spiritus S. non ipſe ab illis dicitur. Si hoc feceris, mihique illa, quæ petii, dederis.

℣. 15. *Docebo iniquos vias tuas*, hoc eſt, alios peccatores verbo & exemplo miſericordiam & juſtitiam tuam inſtruam, & per me *impii ad te convertentur* ab errore.

℣. 16. *Libera me de Sang. Deus ſalutis meæ*: San- D. guis ſingulari numero pars corporis, vel ipſe homo vel progenies accipitur. Pars, ut ibi: *Sanguis de latere Domini exivit*; homo ut ibi: *Caro & ſanguis non revelavit tibi*; progenies, ut: alto ſanguine, hoc eſt, nobili ſtirpe natus eſt. Sanguines verò plurali numerô peccata vel mortes intelliguntur. Deus ſalutis eſt Chriſtus per quem ſalus datur credentibus. O Deus omnium qui es Deus ſalutis meæ libera me de mortibus. Ideo ponit ſanguines pro mortibus, quia per effuſionem ſanguinis fit mors. Multas mortes habuit, unam, quâ ſe ipſum peccando occidit; alteram, quâ Bethſabee in anima; tertiam quâ Uriam dolo interfecit. *Et exult. lingua mea juſtitiam tuam*: hoc eſt, ſi hoc feceris, tunc exultanter proferet aliis lingua mea juſtitiam tuam, quâ peccata remittis & in bonis operibus promoves. Superiùs dicitur: Quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; nunc à culpa abſolutus juſtitiam Dei exultans narrat. Unde ſubditur:

℣. 17. *Domine labia mea aperies*, quæ reatus occluſerat: idonea & munda facies ad proferendum juſtitiam tuam; & tunc *os meum ann. laudem tuam*, id eſt præconia juſtitiæ tuæ. Peccantes non audent loqui ne redarguantur, & peccata eis improperentur: his labia ad loquendum aperiuntur, dum à peccatis reſipiſcentes juſtificantur; & tunc Spiritu Dei animati gloriam humanam deſpiciunt, laudes & improperia hominum æquè contemnunt, peccantes liberè, uti Paulus, redarguunt. Horum ora laudem Dei annuntiant, cùm peccata ſua coram hominibus pronuntiant, ut de ſua ſalvatione exemplum converſionis ſumant. Laudem Dei Sacrificio, non ſacrificium animalium offero:

℣. 18. *Quoniam ſi vol. Sacrif. dediſſem*; Sed intelligo te Sacrificium de peccatoribus nolle, quia dixiſti ſuperiùs: *Non accipiam de domo tua vitulos neque de gregibus tuis hircos.* Utique *holocauſtis non delectaberis*, ſcilicet de animalibus oblatis. Sed quia talia in figura offerebantur, quæ nunc pro peccatis recipere recuſas: Scio quale Sacrificium accipias.

℣. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, id eſt, pro peccatis contriſtatus, erit delectabile ſacrificium; *cor contritum*, id eſt pœnitentiâ afflictum, *& humiliatum*, hoc eſt, piâ confeſſione devotum, *Deus non deſpicies* ſicut ſacricifia legis. Tale Sacrificium prævideo tibi fieri à Syon, & ideo:

℣. 20. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Per Syon denotatur cognitio Dei, per Hieruſalem charitas. Una eſt civitas Jeruſalem compoſita ex Angelis & hominibus: cujus pars deſtructa erat in Adam, pro qua orat: *Benignè fac*, id eſt, largiter fac dando fidem

fidem & omnem bonam vitam his, qui A. ſunt futuri Syon, & hoc *in bona voluntate tua*, id eſt, ex gratia tua; *ut ædificentur muri Jeruſalem* per electos homines, qui deſtructi ſunt in apoſtatis Angelis. Vel benignè fac Syon, id eſt, primitivæ Eccleſiæ de Judæis: & ædificentur muri Hieruſalem, id eſt, per eam conſtitue Eccleſiam de gentibus; vel ædificentur muri Hieruſalem de Judæis & gentibus fide & dilectione, quibus benignè fac dando perſeverantiam & remunerationem. Syon, quod dicitur *ſpeculatio* eſt præſens Eccleſia; Jeruſalem quod ſonat *viſio* B. *pacis*, eſt Eccleſia regnans in cœlis, quæ conſtruitur vivis de lapidibus. Benignè ergò fac Syon, id eſt, præſenti Eccleſiæ dando peccantibus veniam & confeſſionem: ut per eos ædificentur muri Hieruſalem, id eſt, per tales lapides numerus electorum in Hieruſalem cœleſti redintegretur. Muri Hieruſalem ſunt Angeli & homines.

℣. 21. *Tunc accep. ſacrif. juſtitiæ*: Hoc eſt tunc maximè erit tibi acceptabile Sacrificium Spiritus contribulati & cordis contriti. Tunc accipies *oblationes, & holocauſta* ſcili- C. cet fideles ſe totos tibi offerentes, & res ſuas pauperibus diſtribuentes. Vel *Sacrificium juſtitiæ* eſt corpus Dominicum, pro nobis ut agnus, immolatum; oblationes ſunt confeſſores vel quique fideles ſe Chriſto per fidem & operationem offerentes: holocauſta ſunt Martyres per ignem paſſionis, vel quolibet cruciatu corporis abſumpti. *Tunc imp. ſuper alt. tuum vitulos*, ſcilicet Eccleſiæ Sacerdotes. Altare Dei eſt Chriſtus; vituli ſunt Chriſtiani, in fide novelli, in baptiſmate renovati: & ſicut vituli ungulam findentes, ita inter bonum & malum diſcernentes; & ſunt ruminantes, id eſt, percepta verba Dei D. in memoriam revocantes: & ſunt cornibus armati, id eſt, fortibus Sanctorum exemplis roborati. Hi vituli ſuper altare ponuntur, cùm per Sacerdotes Eccleſiæ Deo per Chriſtum offeruntur, ac ſic muri Hieruſalem per hos reficiuntur.

Aliter: Modò in præſenti acceptas ſacrificium pro iniquitate Spiritum contribulatum, in futuro ſacrificium juſtitiæ laudis ſolius, ubi in domo tua habitantes in Sæcula Sæculorum laudabunt te. Hoc eſt enim ſacrificium juſtitiæ. Tunc juſti erunt oblatio & holocauſtum; quando eos totos divinus ignis abſumet: & animæ ſapientiâ, corpora immortalitate induentur, & mors in victoria abſorbebitur. Vituli erunt omnes electi à vinculis legis & miſeriæ ſoluti, & novâ ætate Juvenes poſiti ſuper altare Chriſtum, in quo ſine fine requieſcent.

Concluſio.

Hic Pſalmus ideò à pœnitentibus frequentatur; ut per virtutem hujus, ſicut David, in muros cœleſtis Hieruſalem ædificentur. Et nota, quòd pœnitens primitus ſua commiſſa deplorat, deinde aliis miſericordiam Dei prædicat, poſtremò pro errantibus exorat. Ideo autem in quadrageſima ad laudes canitur quia per pœnitentiam ad æternam laudem pervenitur. Et ideo privatis diebus ad laudes cantatur, quia qui tenebras peccatorum evadunt, ad lucem veram & æternam lætitiam perveniunt. Idcircò ad horas ſæpè iteratur, ut quiſque fidelis vivus lapis, ut David, cœleſti ædificio imponatur.

PROLOGUS IN QUINQUAGINTALE SECUNDUM.

Legitur, quòd David Propheta cùm ſenuiſſet, quatuor millia Juvenum ex Iſraël elegerit, qui Pſalmos organis, cytharis, nablis, tympanis, cymbalis, tubis & propriâ voce magnâ jucunditate perſonarent, quos ipſe Domini inſpiratione protulit. Quæ ſuavis cantûs adunatio tribus partibus diviſa conſtabat; rationalis quæ ad humanam vocem; irrationalis, quæ ad muſica inſtrumenta; communis, quæ ad utraſque partes pertinebat. Cantores namque ſimul cum organis concinebant. Illa ſuavis & jucunda muſica Eccleſiam Catholicam tali actu prædicebat, quæ ex diverſis linguis varioque concentu in una fide concordiam, Domino præſtante, traditura erat; quæque de tribus partibus mundi, Aſiâ, Africâ, Europâ, collecta Chriſto eiſdem Pſalmis laudes conſonar.

Pſalmi ſunt in duodecim partes diſtincti; in prima parte Chriſti carnalis vita, in ſecunda Deitatis natura: in tertia impiorum adverſus eum conſpiratio, in

quarta Eccleſiæ adverſus eos admonitio, A. in quinta Chriſti in perſecutione oratio, in ſexta pœnitentium deprecatio; in ſeptima Chriſti ſecundum aſſumptam humanitatem ad Patrem ſupplicatio; in octava parabolicæ & tropologicæ alluſiones ad Chriſtum pertinentes: in nona multiplicia præconia, modò ad humanitatem, modò ad Divinitatem pertinentia; in decima graduales; in undecima opera Trinitatis, in duodecima laudes cum alleluja ſcribuntur.

Prologus in Quinquageſimum primum Pſalmum.

QUinque jam conſcriptæ Decades, præ- B. ferunt quinque mundi ætates: in quibus Eccleſiæ corpus in ſuis membris digeſtum, per laborem quinque ſenſuum in muros cœleſtis Hieruſalem eſt congeſtum. Nam ante Chriſti Adventum fideles ſe ſub quinque libris Moyſis ad cœleſte ædificium præparabant; nunc ſub gratia quinque prudentes Virgines, quæ ſunt omnes Eccleſiæ fideles, ſe ſub eiſdem libris, ſpiritaliter intellectis, ad eandem ſtructuram præparant.

Jam ſextam decadem Spiritus Sanctus C. à corpore iniquorum incipit, quod in ſexta mundi ætate Chriſtum & Eccleſiam perſequi cœpit. Et ſicut primum quinquagintale à Chriſto, qui eſt caput corporis ſalvandorum, inchoat, qui Beatus Vir æternâ beatitudine ſuos remunerat: Sic iſtud quinquagintale ab Antichriſto, qui eſt caput corporis damnandorum, incipit, qui filius perditionis ad æternam perditionem omnes ſibi conſentaneos pertrahit.

Hic Pſalmus in quinquageſimo primo D. loco calculum ponit, qui numerus à ternario ſurgens, & per ſeptenarium ſcandens, ad denarium pervenit. Ter enim ſeptem & ter decem ſunt quinquaginta unum; qui numerus ſignat quòd hi, qui in tribus partibus mundi perſecutionem pro fide Trinitatis patiuntur, per ſeptiformem Spiritum ad denarium æternæ vitæ perducuntur.

Hujus Pſalmi titulus eſt: *In finem intellectûs David cùm veniſſet Doëg Idumæus & annuntiavit Sauli & dixit ei: Venit David in domum Abimelech.* Nota eſt Hiſtoria. Saul voluit David occidere, qui fugit, & venit ad Abimelech Sacerdotem & accepit ab eo panem Sanctum, & gladium Goliæ. Quod videns Doëg cuſtos mulorum Saul nuntiavit Sauli. Unde Saul iratus occidit omnes Sacerdotes Domini. Per hoc ſignificatur perſecutio Antichriſti in Eccleſia Dei. Doëg *motus*, Idumæus dicitur *terrenus*, & denotatur Antichriſtus, qui movebit totam terram ad ſui cultum. Per Saul ſignificatur mors; per David vita Chriſti, per Abimelech Eccleſia: gladius regni potentiam, panes propoſitionis deſignant Sacerdotii gloriam. Per David Chriſtus Rex, per Abimelech exprimitur Sacerdos. Iſte intellectus eſt David Prophetæ extendentis ſe in finem mundi denotans ea in hoc Pſalmo, quæ fient in ultimis temporibus; quando veniet Antichriſtus in mundum, & invocabit mortem ad puniendum Abimelech, id eſt: incipiet interficere in Eccleſia omnes juſtos, ideo quia ſuſcipient fidem Chriſti & erunt domus ejus.

Aliter: Saul dicitur *petitio*, & ſignat mortem, quam Deus non fecit, ſed homo peccando eam appetiit: Unde in titulo quarti decimi Pſalmi ſcribitur, *in die quâ liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus & de manu Saulis*; quia noviſſima inimica deſtruetur mors. David dicitur, quod *deſiderabilis* eſt vita, quam omnes beati deſiderant. Abimelech, quod interpretatur *regnum Patris mei*, eſt Eccleſia, regnum cœleſte, quod gemit inter cives regni terreni peregrinum. Doëg Idumæus, quod dicitur comtus terrenus, eſt populus Babylonicus in motu terrenorum ſemper *migrans* & nunquàm quietus. Qui eſt cuſtos mulorum, id eſt, ſterilium, qui in bonis ſunt ſteriles, onera peccatorum portantes.

Chriſtus Rex vitæ venit in Eccleſiam, quæ eſt regnum Patris ſui. Sed Saul id eſt Diabolus, rex mortis, & Doëg id eſt mundi amatores, qui ſunt regnum Babyloniæ, perſecuntur & Chriſtum & Eccleſiam. Et quia hoc maximè erit Antichriſti temporibus, ideo adſcribitur ei hic Pſalmus.

Materia hujus Pſalmi eſt invectio Spiritûs Sancti in Anti Chriſtum, quòd ſine cauſa perſequatur Eccleſiam. Intentio eſt, nos cautos facere de perſecutione Antichriſti ipſam perſecutionem prædicendo

&

& damnationem ejus, & oſtendendo fidem A. & conſtantiam juſtorum, qui tunc erunt. Verba ſumpta ſunt de hiſtoria, ubi Doëg gloriabatur in David Regis expulſione, & in Abimalech Sacerdotis occiſione; & ſignatur quòd Judaicus populus gloriabatur quia Chriſtum Regem & Sacerdotem occidit, ſicut & Anti-Chriſtus gloriabitur, quòd regnum & Sacerdotium de Eccleſia exterminabit. . In quatuor hic Pſalmus dividitur: prima diviſio eſt: *Quid gloriaris*, in qua Spiritûs Sancti in Anti-Chriſtum invectio. Secunda: *propterea Deus*, in qua Anti-Chriſti deſtru- B. ctio. Tertia: *Videbunt juſti*, in qua ipſius damnatio. Quarta: *Ego autem*, in qua fidelium aſſcribitur laudatio. Pſalmus per Dyapſalma dividitur, quia populus fidelium ab infidelibus per Spiritum Sanctum diſcernitur. Sequens vox eſt Spiritus Sancti, qui in perſona fidelis populi in Anti-Chriſtum invehitur, cujus crudelis perſecutio hìc oſtenditur.

Expoſitio Pſalmi LI.

℣. 3. Quid glor. in malit. qui pot. es in iniquitate*: Malitia eſt non ſolùm mala C. facere, ſed & docere, & alios ad malum conſtringere. In hac malitia Antichriſtus gloriatur, dum totus mundus à cultura veri Dei ad ipſius venerationem inclinatur. Hic *potens eſt in iniquitate*, quia immenſis divitiis & miris ſignis omnem iniquitatem valet potenter perficere. O Fili perditionis: *Quid glor. in malitia*, quæ erit tibi tanta ruina? *potens iniquitate* videris ſed potenter tormenta patieris.

℣. 4. *Totâ die*, hoc eſt, omni tempore, *injuſtitiam cogitavit lingua tua*, id eſt, mens tua meditata eſt injuſtitiam: quomodo lingua tua poſſet loqui, quam opere per- D. ficeres malitiam: *Sicut novacula acuta feciſti dolum:* Novacula erat raſorium. Anti-Chriſtus erit novacula diaboli: quia ùt acuta novacula pilos carnis abradit, ita ipſe bona exteriora à juſtis per dolum abſtrahit. Et ſicut novacula raſis pilis faciem renovat, ſic ipſe Chriſtianos à peccatis per dolum purgatos in ſanctitate innovat. Et ſicut aliquando raſorium carnem ſauciando lædit, ſic ipſe quoſdam tormentis ſauciat, quoſdam miraculis decipiens in anima lædit. *Acutum feciſti dolum*, dum bene docere te ſimulas, ut in errorem inducas.

℣. 5. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitate*: Ratio te docet benignitatem, ſed tu magis diligis malitiam: quia bonos punis, malos ſuper eos erigis; & non ſolùm malum facis, ſed & alios à bono abſtrahis. Nam *dilexiſti*, inquit, *iniquitatem magis quàm loqui æquitatem*: dum juſtos propter juſtitiam damnabis, & iniquos exaltabis. Sed malitia & iniquitas demergent te in barathrum; benignitas & æquitas elevabunt juſtos in cœlum.

℣. 6. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa*: hoc eſt: dilexiſti loqui omnia doloſa verba, quæ ducunt ad præcipitium. Lingua doloſa eſt fallaciæ miniſtra aliud in corde geſtantium, aliud ore promentium. Deſcriptâ Anti-Chriſti nequitiâ ſequitur ejus perditio.

℣. 7. Et quia bonum reſpuis, malum diligis: *Propterea Deus deſtruet te in finem.* Chriſtus, qui verus eſt Deus, deſtruet te, & potentiam tuam illuſtratione adventûs ſui, & hoc *in finem*, id eſt, in ſempiternum. Et quoniam *evellet te* de tua ſublimitate, hoc eſt, occidet te, *& emigrabit te de tabernaculo* corporis vel hujus mundi ad perpetuam pœnam: *& radicem tuam*, ſubaudis, evellet *de terra viventium.* Radix ejus eſt humanæ gloriæ cupiditas, quam in potentia regni figit, qui de terra viventium evellitur quia ei in ea regnare non conceditur. Traditur ad literam: dum multi Chriſtianorum à facie Anti-Chriſti in Ægyptum fugerint, & ipſe eos perſequi diſpoſuerit, tabernaculum in monte Oliveti figat, in quo eum Spiritus Domini, quem quidam Michaëlem intelligunt, occidat, ac de hoc tabernaculo ad infernum migrabit, ubi Dominus in cœlum aſcendit.

℣. 8. Hanc ejus damnationem *videbunt juſti & timebunt* Deum; Vel: quidam ſe ei conſenſiſſe, quidam propter ejus ſigna dubitâſſe timebunt: Alii *ſuper eum videbunt*, qui ſe ejus ſævitiam evaſiſſe gaudebunt. Ejus factum irriſione dignum reputabunt *& dicent.*

℣. 9. *Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum*, hoc eſt; ecce apparet quòd homo fuit, qui ſe Deum fecit & verum Deum adjutorem habere contempſit. Hoc in Simone Mago præceſſit, qui ſe Deum

finxit, ſed cadens fallax apparuit. De Dei auxilio non confidit *ſed ſperavit in mult. divit. ſuarum*; id eſt, non in Deo ſpem ſuam poſuit, ſed in multis divitiis, in auro & argento, in facundia & ſcienria, per quæ putavit ſe ſalvari. *Et prævaluit in vanitate ſua*, id eſt, putabit ſe prævalere & dominari omnibus malis & bonis, in vanitate, quâ ſe Deum docebit. Maxima quippe eſt vanitas, quòd deſpectô Deô ſe ut Deum coli præcipit. In hac bis prævaluit, quibus ſe Deum eſſe perſuaſit: ipſe interibit quia arbor ſterilis fuit.

℣. 10. *Ego autem*, Chriſtianus populus, quem ipſe eſt perſecutus, ſum *ſicut oliva fructifera*; ideo ſalvabor in Sæcula. Oleum dicitur miſericordia, fructus oliva ſunt opera miſericordiæ. Gentilis populus ut oleaſter eſt inſertus bonæ olivæ, id eſt, primitivæ Eccleſiæ, unctus oleo Sancto in baptiſmate, cui coaluit fide & operatione. *In Domo Dei*, id eſt, in Catholica Eccleſia, ideo *ſperavi in miſericordia Dei*; *& in Sæculum Sæculi*, hoc eſt, hìc & in futuro, non in divitiis, ùt Anti-Chriſtus perſecutor meus.

℣. 11. *Confitebor tibi in Sæculum* Sæculi *quia feciſti*. Id eſt, laudabo te corde, ore, opere quamdiu vivam, quia me talem feciſti, & de Anti Chriſto juſtum judicium feciſti; *& exſpectabo nomen tuum*, hoc eſt, Chriſtum filium tuum ad judicium venturum & mihi pro labore præmium vitæ redditurum; *quoniam bonum eſt conſpectu Sanctorum tuorum*, quia tunc Sancti ſummum bonum percipiunt, quando Chriſtum in gloria Patris conſpiciunt. Aliter: Non properabo conſequi nomen tuum quod eſt Deus, uti fecit Anti-Chriſtus, ſed exſpectabo bene vivendo accipere nomen tuum: ut ſim filii tui cohæres, ipſe exiſtens filius, ſic quoque conſequenter & Deus. Quoniam hoc bonum eſſe conſpiciunt Sancti, qui in hoc ſummo bono erunt per ævum.

Hoc totum poteſt referri ad corpus diaboli, quod ſunt omnes iniqui, qui ſunt membra Anti-Chriſti. Doëg Idumæus eſt Judaicus populus pro terrenis commotus: Saul mors vel diabolus; David eſt Chriſtus: Domus Abimelech Jeruſalem in Judæa, regno Patris Chriſti. David in Domum Abimelech venir, quando Chriſtus in templum Hieroſolymis, domum Patris

A. ſui venit. Doëg hoc Sauli nuntiavit quando Judaicus populus Chriſtum morti tradidit. *Qui gloriatus eſt in malitia*, quâ Propheta & juſtos occidit. *Potens in iniquitate* fuir, quâ ipſum Dominum neci dedit. *Totâ die*, hoc eſt, omni tempore *injuſtitiam* contra Chriſtum & Apoſtolos *cogitavit*: quos ut *acuta novacula dolo* de terra Judæorum abraſit. *Verba præcipitationis dilexit*, quando eis Chriſtum prædicare interdixit: quibus ſe de regno in mortem, ùt diabolus de cœlo, Adam de paradyſo præcipitavit. *Propterea Deus deſtruxit* eum,

B. de lege, *evulſit* eum, de eivitate, *emigravit* eum de terra ſua inter gentes, *& radicem*, id eſt, germen ejus *de terra viventium*, hoc eſt, de Eccleſia.

Totum etiam corpus diaboli, quod nunc *in malitia gloriatur*, & *potenter* juſtos opprimit, *Deus in finem deſtruet*: dum in fine mundi omnes impios perdet; de conſortio juſtorum illud *evellet*, quando illud ventilans, paleas à tritico tollet. *De tabernaculo*, id eſt, de Eccleſia, quæ nunc eſt tabernaculum Dei, ipſum *emigrabit* quando in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipi-

C. tabit. *Radicem ejus de terra viventium* evellet; cùm ſemen impiorum de regno cœlorum penitus eradicabit, & in terram mortis projiciet. Servus enim Doëg non manebit in domo in æternum. filius autem fidelis populus manet in æternum.

Videbunt juſti terribile Dei judicium ſuper impium populum *& timebunt*, ſed hoc timore purgabuntur. Et *ſuper eum ridebunt*, id eſt, de juſto Dei judicio gaudebunt, quod impiorum perſecutionem & præſentem damnationem evaſerunt: *& dicent*: *Ecce homo*, qui Anti-Chriſtus, cum toto

D. corpore ſuo in ſupplicium corruit; *qui non poſuit Deum adjutorem ſuum*, ſed in multis divitiis ſpem ſuam poſuit, quas omnes amiſit. *Ego autem* ero *in Domo Dei* in cœleſti Hieruſalem florens in gaudio *ſicut oliva*, qui non in divitiis, ſed *ſperavi in* ejus *miſericordia*: & laudabo nomen ejus in Sæculum, quia conſpicio ſummum bonum in æternum.

PROLOGUS IN PSALMUM CENTESIMUM.

QUinquageſimus Pſalmus canit pœnitenriam, hic verò centeſimus miſericordiam: quia præmium vitæ in judicio repro-

reportabunt, qui fructum pœnitentiæ A. centeſimum in patientia attulerunt. Et aptè hic Pſalmus poſt præcedentem ponitur, in quo gratiarum actio Eccleſiæ pro converſione Judæorum ſcribitur; quia mox fidem Judæorum judicium ultimum ſequitur. Ideo in centeſimo loco computatur quia ovis centeſima in judicio per miſericordiam pii Paſtoris ſuperno gregi conſociatur.

De titulo, Materia, Int. ac diviſione Pſalmi.

TItulus Pſalmi eſt: *Pſalmus ipſi David*, hoc eſt: iſta laus bonæ operationis attribuitur ipſi Chriſto, Victori Judici, B. aſpectu delectabili. Materia ſunt Eccleſiæ merita in judicio remuneranda. Intentio eſt, nos hortari bonum facere & à malo declinare ut poſſimus miſericordiam in judicio reportare. Verba ſumpta ſunt de regimine David, qui regnum Iſraël bene rexit, malos odiô habuit, bonos dilexit; & ſignificat regimen Chriſti, qui Eccleſiam benè regit, malos odit, bonos diligit. Duas habet ſectiones, quia actio Eccleſiæ habet duas diviſiones, ſcilicet mala devitare, bona agere. Una pars eſt C. *miſericordiam & judicium*, in qua ſeptem notantur declinanda: Altera: *Oculi mei*, in qua ſex meditantur facienda. Vox eſt Eccleſiæ.

Expoſitio Pſalmi C.

℣. 1. M*Iſericordiam & Judicium cantabo tibi Domine*: miſericordia eſt de præſenti, judicium de futuro catitur. O Domine Trinitas cum jucunditate annuntiabo aliis miſericordiam tibi adſcribendam, quam exhibes hic pœnitentibus, & Judicium, quod oſtendis in futuro in du- D. ritia cordis permanentibus: nam iſtis gaudia, illis das ſupplicia.

℣. 2. *Pſallam & intelligam in via immaculata*: hoc eſt, quia Judex es juſtus, operabor bonum abſtinens à malis. Cantare pertinet ad contemplationem, pſallere ad actionem. *Via immaculata* eſt innocentia: innocentia vera eſt, quæ nec ſibi nec alteri nocet; quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam; & nemo prius niſi in ſe quàm in alterum peccat. In hac pſallam bene operando *& intelligam quando venies ad me*: id eſt, quando remunerabis me. Aliter: Pſallam & innocens ero, & intelligam te præmia pro innocentia hac redditurum. O Sponſe quando venies ad me, ut me ſponſam tuam de Babylone educas, & in Hieruſalem civitatem tuam introducas? Nunc viam immaculatam exponit. *Perambulabam in innocentia cordis mei*: hoc eſt, non ſolùm abſtinui à prava actione, ſed etiam à mala cordis cogitatione; & hoc *in medio Domûs meæ*, id eſt, communi omnium habitantium, in domo Eccleſiæ.

De VII. Vitiis declinandis.

HInc merita ſua enumerat, pro quibus cœleſtia ſperat: & primitùs ſeptem ponit cunctis devitanda: Deinde ſex omnibus agenda. Declinanda ſunt hæc: Injuſtæ rei imitatio, legis prævaricatio, murmuratio, malignitas, detractio, ſuperbia, cupiditas. Hoc eſt quod dicit.

Non proponebam ante oculos meos rem inju- ℣. 3.
ſtam, id eſt: non propoſui ante oculos meos cordis malum facere, nec facientes imitari, facientibus conſentire. *Facientes prævaricationes odivi*, & parentes, & cognatos, & amicos legem tuam prævaricantes odiô habui, non tamen homines, ſed hominum errores.

Non adhæſit mihi cor pravum, id eſt mala ℣. 4.
voluntas murmurantis, vel pravum conſilium alicujus non invenit me ſibi conſentaneum. Murmuratores, & pravô conſiliô malum machinantes, non fuerunt mei conſortes. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam*, hoc eſt, diſſentientem à propoſito meo ita devitabam, quaſi non agnoſcerem; vel: hæreticum à me pravô dogmate declinantem, & malignè agentem, ita abhorrebam ùt ignotum.

Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſe- ℣. 5.
quebar: id eſt, qui in occulto Fratri derogavit, & diſcordiam ſeminavit, hunc ùt hoſtem impugnabam. Pejus peccat detrahens quàm fornicans: hic enim ſe ſolùm occidit, ille autem ſe & proximum. Mali non ſolùm devitandi ſunt ut confundantur: ſed etiam perſequendi, ut corrigantur. In Hebræo habetur: hunc interficiebam, quia detractores gladiò propriæ linguæ occiduntur. *Superbô oculô & inſatiabili corde cum hoc non edebam*: hoc eſt, cum ſuperbis & cupidis non comedi. Omnis ſuperbus vel cupidus eſt invidus, quia

 dum

dum Solus vult potens vel dives videri ali- A. enis bonis cruciatur, & alienis malis delectatur. Cum talibus convivium invidiæ non inij; imò tales in tantum execrabar, quòd eos in prandio meo non patiebar. Unde & Scriptura præcipit, nec *cum hujusmodi cibum ſumere*. In oculis maximè ſuperbia notatur; quia Superbi, qui ſe alijs digniores arbitrantur, alios vel aſpicere dedignantur. Cupiditas autem cordi aſſignatur, quia cor Deo vacuum caducis rebus non Satiatur. Hæc duo vitia præ aliis ſunt notabilia quia omnibus ſunt peiora: initium enim omnis peccati Superbia & radix omnium malorum Cu- B. piditas. Per illam Angelus de cœlo cecidit; per iſtam homo de Paradiſo corruit. Ex his duobus quaſi ex fontibus diaboli omnia mala profluunt, & miſeros ad tartara trahunt. Hæc omnia quæ dicta ſunt, non Solùm ſunt devitanda, ſed etiam odienda, & perſequenda.

De VI. Virtutibus agendis.

℣.6. SEquuntur ſex facienda, ſcilicet fidelitas, caſtitas, humilitas, prædicatio, ſancta converſatio, malorum impugnatio; de his ſubditur. *Oculi mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum*: Hoc eſt intentio mea non C. erat ad nobiles & diuites ſæculi, ut eos populo tuo præponerem ſed ad fideles Eccleſiæ, ut eos Prælatos & Rectores conſtituerem; qui mecum in judicio ſederent & populum tuum juſte judicarent. *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat*, id eſt non impudicos, ſed caſtos, & innocentes Miniſtros Altaris ordinabam.

℣.7. *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit ſuperbiam*: Hoc eſt, publice peccantes, & hoc ſuperbè defendentes non commanebant publicè mecum in communione, quia excludebam eos à Sacramentis, & à domo eccleſiæ: humiles autem & obedientes erant D. mei concives. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum*, di eſt adulator, iniquis verbis placere cupiens, non direxit ſe in beneplacito meo, vel: Vaniloqui non placuerunt oculis meis, ut eſſent nuntij mei ſed prædicatores & bona perſuadentes.

℣.8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, id eſt; in bona operatione, quæ eſt quoddam mane æterni diei, omnia peccata terrenitatis meæ occidi: Et meo Exemplô omnes peccantes, & terrena tantùm appetentes annihilaui. *Ut diſperderem de civitate Domini omnes oper. iniquit*: Hoc eſt, verbis & factis iniquos impugnavi, ut eos de iniquitate ad æquitatem converterem, aut de Eccleſia penitus Segregarem.

Applicatio ad Chriſtum.

HÆc etiam Judici Chriſto congruunt. *Oculi mei ad fid. ter. ut Sed. mecum*, hoc eſt: Populos & alios fideles de terra elegi ut Sedeant mecum Judices in judicio. *Ambul. in via imm. hic mihi miniſtrabat*; id eſt: Immaculati Miniſtri mei illic erunt, ubi Ego ero. Qui immunditiâ ſe maculant, Chriſto non miniſtrant: & qui ea, qua ſua ſunt, quærunt, Chriſto non ſerviunt, & ideo cum Chriſto non erunt. *Non hab. in med. Domus meæ qui facit ſuperbiam*: Nullus qui facit mala opera, quæ de Superbia deſcendunt, habitabit in domo mea, cœleſti Hieruſalem. *Qui loq. iniqua, non dir. in Conſ. ocul. meorum*, hoc eſt: non Solum male operantes, ſed eitiam malè loquentes, in Conſpectu meo non erunt, id eſt, faciem meam non videbunt. *In Mat. interf. omnes peccat. terræ.* Præſens vita eſt quaſi nox; æterna vita quaſi dies: cujus mane eſt dies judicij. In hoc matutino interficiet Dominus gladio oris ſui *omnes peccatores terræ*, ſcilicet terrena appetentes, dicens: diſcedite à me omnes operarii iniquitatis. *Ut diſperderem de civitate Dom. omn. oper. iniquitatem.* Tunc hœdos ab agnis, zizania à tritico, paleas à granis Separabit, & de civitate cœleſtis Hieruſalem & de Societate Sanctorum, cum Diabolo & Angelis ejus in æternum ignem præcipitabit.

PROLOGUS IN QUINQUAGINTALE TERTIUM.

QUatuor ſunt genera prophetiæ; fit enim aliquando per acta, aliquando per dicta: aliquando per revelationem, aliquando per occultam ſancti Spiritûs revelationem. Per Acta fit prophetia, ut tranſitus Hebræorum per Mare rubrum ad terram repromiſſionis: quæ prædixit noſtrum tranſitum de tenebris ignorantiæ per Baptiſmum ad cœleſtem Hieruſalem. Per dicta fit, quando Angeli verbis inſinuant futura prophetis. Per revelationem fit, quando per quaſdam imagines in ecſtaſi poſitis futura præſignantur: ſicut Danieli, Ezechieli. Per occultam inſpirationem fit, ut David cui Spiritus Sanctus intus futura de Chriſto oſtendit. Aliquando

quando ſit prophetia de præterito, ut il- A. lud: in principio creavit Deus cœlum & terram. Aliquando de præſenti, ut illud: unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me. Aliquando autem de futuro, & illud: ecce Dominus veniet ad judicium & omnes Sancti ejus cum eo.

Primum Quinquagintale de Chriſto & ejus corpore ſumpſit exordium; ſecundum de Antichriſto & ejus corpore habuit initium: iſtud tertium de miſeria totius humani generis & de ædificatione Syon inchoatur, & in laude internæ gloriæ conſummatur.

Prologus in Pſalmum. CI.

JAm in decem Decadibus operarij vineæ Domini expreſſi ſunt, qui Decalogo legis pro denario vitæ laborauerunt. Nunc undecimam decadem Spiritus Sanctus ingreditur, in qua prævaricatores legis Dei quàm maximè notantur; qui aut vineam Domini intrare noluerunt, ut Judæi & Ethnici: aut intrantes otioſi in ea fuerunt, ùt ficti Chriſtiani: aut ingreſſi cum Scandalo exierunt, ùt hæretici.

Hic Pſalmus eſt unus de Septem pœnitentialibus, in quibus notatur remiſſio Septiformis Spiritus. Hic ideò quintus C. ponitur, quia Chriſti paſſio in eo deſcribitur: per cujus quinque vulnera homo à peccatis redimitur. Primus pſalmus pœnitentialium Spiritui timoris, Secundus Spir. pietatis, tertius Spir. ſcientiæ, Quartus Spir. fortitudinis, hic quintus Spiritus Conſilij adſcribitur: quia per Angelum magni Conſilij Chriſtum, humanum genus à morte liberatur, quod in hoc pſalmo narratur. Hic aptè poſt illum pſalmum ponitur, in quo judicium deſcribitur: quia per pœnitentiam evadet homo D. Judicij Sententiam. Hic pœnitentibus bene congruit, quia cinerem tanquam panem edendum, & potum cum fletu miſcendum edicit. Hic pſalmus eſt centeſimus primus: quòd ſunt decies decem & unum: & ſignificat, quòd decem præcepta legis implentibus repromittatur vitæ denarius, qui eſt unus Deus.

De Titulo Materia, Intent. & Diviſione Pſalmi.

TItulus pſalmi eſt: *Oratio pauperis, cùm anxiatus fuerit, & coram Domino precem ſuam effuderit*, hoc eſt: iſta oratio eſt Domini JEſu, qui cum eſſet dives in gloria Patris, pauper factus eſt pro nobis mortalis & paſſibilis. Oratio habita tunc, quando anxius fuit, id eſt, quando de perditione humani generis doluit; & effudit precem ſuam coram Domino in monte Oliveti: quando triſtatus usque ad mortem factus in agonia prolixius oravit, & Sudor ejus ut Sanguis, in terram manavit.

Materia Pſalmi eſt humani generis miſeria, Chriſti pro eo oratio vel paſſio. Intentio eſt oſtendere, hominem per Solam Chriſti gratiam Salvari; & nos ad oratio- B. nem & pœnitentiam hortari. Verba ſumpta ſunt de Adam; cujus os carni adhæſit dum coſtam ejus in fœminam Deus ædificavit, & carnem pro ea replevit. & Significant quòd virtus Dei, ſcilicet, Verbum, Caro factum carni adhæſerit, dum Eccleſiam de corpore ſuo ædificavit.

Hic pſalmus in tria dividitur, quia in eo tria genera hominum ſub genere trium avium notatur. Prima pars eſt: *Domine exaudi*, in qua Oratio pœnitentis ponetur. Secunda: *percuſſus ſum ſicut fœnum*, in qua miſeria humani generis defletur. Tertia: *tu autem Domine*, in qua hominis reparatio per Chriſtum exponetur, Vox eſt humani generis in Chriſto; miſeria totius humani generis hic deploratur, ut Judex ad miſericordiam flectatur: & ædificatio cœleſtis Syon de vivis lapidibus decantatur Chriſtus cùm ſit unus ex hominibus, loquitur pro omnibus hominibus, Ipſe Judex, ipſe Advocatus; ipſe mediator, ipſe mundi reconciliator.

Expoſitio Pſalmi. CI.

HUmanum genus per Chriſtum in monte ℣. 2
Cliveti anxium oravit, per Chriſtum in cruce clamavit: O *Domine* Pater *exaudi orationem meam*, quam pro humano genere ego homo fundo quia in miſeria anxiatur: *& clamor meus ad te veniat*, ut de miſeria eripiatur. Oratio eſt petitio ſed cum parva intentione; Clamor verò cum magna cordis intentione: vnde Moyſi dicitur, Quid clamas ad me, cùm nihil dixiſſe legatur. Chriſtus in monte pro hominibus oravit, in cruce pro eis clamavit.

Non avertas faciem tuam à me. Filio tuo ℣. 3
orante, ſicut avertiſti eum ab Adam peccante. Facies Dei eſt cognitio ejus; homo in

Digitized by Google

in Paradiſo quodammodo faciem Dei vidit, quia plurimum ejus notitiæ habuit. Quo peccante Deus faciem ab eo avertit, quia ei cognitionem ſui ſubtraxit: unde nunc orat, ut hanc in ſe credentibus reddat. *In quacunque die trib. inclina ad me aurem tuam*: hoc humanum genus in Chriſto orat; ex quo homo à paradiſo cecidit, omnibus diebus in tribulatione fuit: unde oportet, ut omnibus diebus Deum pro tribulatione invocet, ut aurem miſericordiæ ad eum inclinet. Similitudo eſt à Medico ad infirmum ſe inclinante, qui non valet vocem exaltare. Deus autem homini inclinavit, dum Chriſtus in cruce usque ad mortem ſe humiliavit. *In quac. die invoc. te, veloc. exaudi me*: Chriſtus in die Paſſionis Patrem pro ſalute hominum invocavit; qui velociter eum exaudivit, dum homines per eum reparavit. *Exaudi me.*

℣. 4. *Quia defecerunt ſicut fumus mei*: hæc vox eſt humani generis in Chriſto. Dies hominis in Paradiſo æterni fuerunt, in hoc mundo inſtabiles, ut fumus, facti ſunt: quia ſicut fumus in altum ſurgẽs evaneſcit, ſic tempus hominis à pueritia in juventutem, inde in ſenectutem excreſcens, inde in mortem vergens deficit. *Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Oſſa animæ ſunt rationalitas & librum arbitrium, quæ poſt peccatum ita in homine debilitata ſunt, ſicut cremium amittens vires extracto ſucco in frixorio. Unde alia lectio ſive translatio habet, *ſicut in frixorio confrixa ſunt.* Rationalitas aruit quia perſpicacitatem, quam prius habebat, amiſit, Liberum arbitrium aruit, quia eam facilitatem non habet, quam priùs habuit. Ad literam etiam oſſa exſiccatâ medullâ arent in ſepulchro, ſicut cremium extrúſa pinguedine aret in frixorio. Hoc ideo quia.

℣. 5. *Percuſſus ſum ut fœnum & aruit cor meum*, Omnis caro fœnum, unde ſumpſit Chriſtus corpus humanum, & ideo ut fœnum eſt percuſſus, id eſt, ut alius homo doloribus. Sicut fœnum ad tempus viret, ſed falce ſectum mox aret, ſic homo modicô tempore floret, percuſſus infirmitate languet, ſectus morte, cor areſcet quia Spiritum & intelligentiam amittet. Cur hoc continget? *Quia oblitus ſum comedere panem meum.* Panis animæ eſt mandatum vitæ,

A. Panem dedit Deus homini ad manducandum, dum ei præceptum vitæ poſuit ad obſervandum. Dum enim dixit: hoc obſervate, ne moriamini, erat æquipollens quaſi diceret: hunc panem comedite, ut vivatis. Hunc ſuum panem oblitus eſt homo comedere, dum non fuit ſollicitus præceptum Domini obſervare. Oblitus præceptum, tetigit vetitum; oblitus manducare panem, bibit venenum unde percuſſum eſt cor ejus, & aruit ſicut fœnum. Hoc fœnum Chriſtus induit, in panem convertit, hominem percuſſum à
B. ſerpente, & areſactum morte, refecit.

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni ℣. 6.
mea. Vox gemitus hominis, erat vox Diaboli, qui dixit comedite & *eritis ſicut Dij.* Et quia hanc vocem audivit, gemitum doloris & mortis incidit. Os dicitur fortitudo virilis, caro in firmitas mulieris. *A voce gemitus os carni* adhæſit, dum perſuaſu Diaboli vir mulieri conſenſit. De oſſe quippe Adæ facta eſt, Eva, & caro repoſita eſt pro ea. Hoc os carni adhæſit, dum de Paradiſo ejectus fœminæ per concupiſcentiam ſe commiſcuit.
C. Si enim in Paradiſo permanſiſſent, ſine concupiſcentia & ſine dolore & ſorde filios procreâſſent. Sed quia vocem Diaboli audîerunt, per concupiſcentiam beſtiali more coëunt, in dolore & gemitu pariunt, natos, ut Beſtiæ catulos, lacte nutriunt, dolore & gemitu in terram moriendo redeunt.

Hæc etiam vox Chriſti eſt, *à voce gem. mei adh. os meum carni mea.* Os Chriſti fuit Deitas, quæ carni adhæſit dum verbum carnem induit propter vocem gemitus humani generis in miſeria ad Deum
D. clamantis. Os etiam carni adhæſit, cum Chriſtus Eccleſiæ ſe conjunxit.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis. Pelli- ℣. 7.
canus eſt avis Ægyptia grandis ùt ciconia, naturale macie ſemper confecta, cujus ſunt duo genera. Unum ſemper in ſtagnis moratur, & piſcibus veſcitur, quod latinè onocrotalus dicitur. Alterum ſemper in ſolitudine; & eſca ejus ſunt venenata animalia, id eſt, ſerpentes Crocodili & lacertæ. Hæc avis fertur natos ſuos occidere, & eos per triduum lugere; tertiâ die ſe ipſam vulnerat & aſperſione ſui ſanguinis pullos vivificat. Dicitur autem *pelicanus ſolitudinis* ad differentiam illius,

lius, qui moratur in ſtagnis. Huic avi Chriſtus ſimilis eſt factus, quia ſolus de Virgine eſt natus; qui quaſi venenata animalia comedit, dum peccatores in corpus ſuum trajecit: quaſi natos occiſos à ſperſione ſanguinis reſuſcitavit, dum homines in peccatis mortuos effuſione proprii cruoris vivificavit.

Factus ſum ſicut noſticorax in domicilio: Nycte dicitur Nox. Corax corvus, nycticorax dicitur nocti corvus: quem quidam Buſonem, quidam noctuam nominat, qui tantùm tenebras amat. Huic avi Chriſtus ſimilis factus eſt, ſcilicet paſſionibus ùt peccator denigratus, amans tenebras, id eſt, peccatores non ut tenebræ remaneant, ſed ut lux, id eſt, juſti fiant. Domicilium eſt ubi deſtructâ domo parietes tantùm remanent: unde in Hebræo habetur in parietinis in quibus habitat nocticorvus. Domicilium erat populus Judæorum deſtructus interius à turba Dæmonum. In hoc domicilio Chriſtus ſicut nycticorax eſt factus, quid in cordibus Judæorum ùt peccator eſt reputatus. Nycticorax per noctem tantùm volitat, & Chriſtus per mortem peccatores tantùm liberat. Vel, *factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*, quando dormivi conturbatus in ſepulchro.

℣. 8. Inde *vigilavi* quia á morte ſurrexi: *& factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Paſſer ſe ab aliis avibus ſeparat, & in tecto domús, vel altis & firmis locis habitat. Domus eſt mundus tectum eſt cœlum. Chriſtus *factus* eſt *ſicut paſ. ſol. in tecto*, quia ſolus Deus homo habitat in cœlo. In Hebræo eſt ſicut *avis ſolitaria.* Chriſtus fuit pellicanus ſolitudinis, ſolus natus de virgine, ſolus vivens ſine crimine: Nycticorax in domicilio, mortuus in ſepulchro: paſſer ſolitarius in tecto, ſolus Deus homo in cœlo. Per tria genera avium deſignantur etiam tria genera hominum. Pellicanus ſolitudinis eſt populus credens de gentibus: gentilitas erat quaſi ſolitudo quia à nullo Sancto inhabitata. Nycticorax eſt populus converſus de Judæis, qui erant domicilium Dæmonum. Paſſer eſt populus qui de Chriſtianis ad contemplativam vitam converſus ad tectū cœli mente convolat: in quo à mundi actibus ſeparatus, ſolitarius habitat.

℣. 9. Priusquam ſanguinem, ut pellicanus pro filiis, effunderem, *totâ die exprobrabant mihi inimici mei*, id eſt: toto tempore vitæ meæ improperabant mihi Judæi dicentes, me fabri filium, Dæmoniacum, amicum publicanorum. Vel, totâ die paſſionis mihi inimici exprobrabant, dum colaphis & ſputis totâ die illudebant & in cruce inſultabant. *Et qui* prius *laudabant me* dicentes: ſcimus quia verax es; *Adverſum me jurabant* quando collectô Concilio ad mortem me damnabant. Et hoc ideo.

Quia cinerem tanq. pan. mand. hoc eſt, ℣. 10.
peccatores ſicut juſtos mihi incorporabam: *Et potum meum cum fletu miſcebam*, id eſt: bonus cum his, pro quibus flendum erat, miſcebam & peccatores ſicut juſtos bibebam. Ideo exprobrantes dixerunt: hic peccatores recipit & manducat cum illis. Similitudo trahitur ab his locis, ubi forte vinum cum aqua temperatur. Per cinerem accipiuntur peccatores in cinere & cilicio pœnitentes: peccanti quippe homini dictum eſt; *Cinis es & in pulverem ibis.* Panis ſunt juſtitiam eſurientes, poculum vitam ſitientes, fletus commiſſa deflentes. Cinerem Chriſtus tanquam panem manducavit, dum pœnitentes eſurientibus juſtitiam aſſociavit. Potum cum fletu temperavit dum peccata deflentes ſitientibus vitam commiſcuit. Aliter: Potus intùs trahitur, fletus foras egreditur: poculum ſuum Chriſtus in paſſione ſua cum fletu miſcuit, dum gentes quaſi dulcem potum in ſe traxit, & Judæos quaſi fletum foris egeſſit. Ad literam etiam potum cum fletu temperavit, quando impii acetum felle mixtum ei ſitienti offerebant.

Hoc evenit *à facie iræ indignationis tuæ*, ℣. 11.
id eſt; à præſentia vindictæ tuæ & gravis pœnæ, quam paſſus ſum cauſâ Adæ. Paſſibilitas, enim & mortalitas quæ ſunt pœnæ peccati, vocantur ira & indignatio Dei. Hæc ira Dei manet ſuper illum, qui non credit in Chriſtum: per quem auferetur ira Dei, & immortalitas dabitur regni. De ira tua multas pœnas paſſus ſum in lacu miſeriæ, *quia elevans alliſiſti me*, id eſt: per liberum arbitrium elevâſti; per juſtitiæ judicium alliſiſti. Hæc iterum vox eſt humani generis in Chriſto. Deus quippe hominem ratione & intellectu ſuper omnia animantia elevavit; ſed quia in honore poſitus non intellexit, in miſeriam eum alliſit. Sicut enim nul-

lum horum habet honotem,ſic nullum ha- A.
bet hanc miſeriam. Solus namque homo
poſt multas hujus vitæ miſerias truditur
poſt mortem in ultrices pœnas. JdeoSupe-
riora etiam pœnitenti congruunt, cujus
oſſa ſicut cremium aruerunt: quia prop-
ter reatum oblitus eſt comedere panem
ſuum, & à voce gemitûs os carni ſuæ ad-
hæret. Scilicet ut propter jeiunia & fle-
tum pro carne oſſa videantur, & ideo
præ nimia macie ſimilis factus eſt pellica-
no: & proptet nigras & ſordidas veſtes,
nigredinem peccatorum ſignificantes, ſi-
milis nocticorvo, propter ſolitariam va-
gationem ſimilis paſſeri. Cui totâ die B.
inimici, id eſt, impœnitentes, vel Dæ-
mones exprobrant, quod cinerem tan-
quam panem manducat, & potum cum
fletu miſceat. Quia iram Dei & indigna-
tionem timet, qui eum elevavit, dum ad
imaginem ſuam creavit: ſed propter cul-
pam alliſit, dum eum omnibus pœnis ſub-
miſit. Sequitur vox Chriſti: ptopter
hunc Pater mi elevâſti me in cruce, &
℣. 12. alliſiſti me in morte.
Dies mei ſicut Umbra declinaverunt, id eſt:
facti ſunt tranſitorij & inſtabiles ùt umbra.
Hæc vox propria Chriſti eſt de ſe & ſuis ſe
ſequentibus; ſuperius fuit vox de ſe & C.
ſuis poſteris: Dies mei ſicut fumus defe-
cerunt, & percuſſus ſum ſicut fœnum, &
aruit cor meum. Dies ſimiles ſunt Um-
bræ vel fumo, quia vixi brevi tempore:
& Ego, quem tu Deus vitæ aſſumpſiſti,
ſicut fænum arui, quia paſſionibus con-
ſumptus in morte propter hominem e-
marcui, quem ut fœnum morte areſcere
dolui.
℣. 13. *Tu autem Domine in æternum permanes*, id
eſt, dies tui ſemper ſunt permanentes,
ad quos potens es nos deducere. *Et* ſic
erit *memoriale tuum in gener. & gener.* hoc eſt: D.
miſericordia tua, quâ memor es illorum,
erit in hac vita & in alia, ſcilicet Syon &
in gentibus; vel: memoriale tuum erit in
generatione Judæorum & in generatione
gentium.
℣. 14. *Tu exurgens miſereberis Syon:* quaſi Deus
jacuit, cùm populus Syon idola coluit;
tunc quaſi ſurrexit, cùm eis Filium ſuum
verum Deum miſit: tunc miſertus eſt
Syon quando primitivam Eccleſiam de
Judaico populo elegit, fidem & virtutes ei
tribuit. In me exurges & miſereberis
Syon; *quia tempus miſerendi ejus, quia venit*
tempus gratiæ, in quo ejus miſerearis. De
hoc tempore ſcriptum eſt, ubi venit pleni-
tudo temporis, miſit Deus Filium ſuum,
ad quid? ut Syon id eſt, eos qui ſub lege
erant, redimeret.
Syon ædificabitur habitabilis Civitas; ℣. 15.
quoniam placuerunt Servis tuis lapides ejus, id
eſt: Apoſtolis Servis tuis ædificatoribus
Syon placuerunt Prophetæ, lapides vivi,
in ea conſtructi, quos intellexerunt hanc
ædificationem prædixiſſe. Per hos lapi-
des promiſſa eſt prædicatio, de hac pro-
ceſſit Evangelij inſtructio, pet hujus præ-
conium agnitus eſt Chriſtus lapis angula-
ris. *Et* ideo *terra ejus miſerebuntur* ſcilicet
ædificatores, qui de terra fecerunt cœlum.
De ipſa terra venit unus paries, tot mil-
lia credentium & pretia rerum ſuarum ad
pedes Apoſtolorum ponentium. Sequi-
tur alius paries veniens de gentibus.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine, qui ℣. 16.
es lapis angularis, in te duos parietes è di-
verſo venientes conjungens. Gentes ti-
mebunt, id eſt, venerabuntur nomen
tuum, quod eſt Dominus. Vel: verebun-
tur me Filium tuum qui ſum nomen
tuum. *Et omnes Reges terra* timebunt *glo-*
riam tuam, id eſt: omnes Principes vene-
rabuntur te glorioſum & ſicut parietes in ℣. 17.
lapidem angularem convenient.
Quia ædificavit Dominus Syon in virtuti-
bus. Eja vivi lapides cernite, in ſtru-
cturam non in ruinam ædificatur Syon;
ædificatur arca, cavete diluvium. Ædi-
ficatâ autem Syon *videbitur in Gloria ſua*
qui priùs viſus eſt in infirmitate ſua. Alia
translatio habet, *in Majeſtate ſua*, id eſt,
in Divinitatis potentia. Et ex qua cauſa ℣. 18.
hanc domum ædificavit?
Quia *reſpexit in orationem humilium:* Pa-
triarchæ & Prophetæ & antiqui Patres
humiles Deum rogaverunt; ut domum
in paradiſo ædificatam & per Diabolum
deſtructam in mundo reædificaret, &
collapſam civitatem in cœlo per ipſum re-
pararet. *Reſpexit* ergò Deus *in orationem hu-*
milium, dum in mundum Filium ſuum
miſit, qui in unam Eccleſiam compegit po-
pulum fidelium. *Et non ſprevit precem eo-*
rum quia implevit deſiderium ipſorum,
promittens hominibus æqualitatem An- ℣. 19.
gelorum.
Scribantur hæc in generatione altera. Scili-
cet

cet beneficia, oratio, paſſio, remiſſio, æ- A.
dificatio, exauditio habeantur in memo-
ria in altera generatione; quæ deperdita
facta eſt altera, hæc generatio in do-
mum Dei ædificata ſemper præ oculis ha-
beat iſta. *Et populus qui creabitur laudabit*
Dominum: hoc eſt: populus Chriſtianus, in
peccatis mortuus, in virtutibus novus crea-
tus, de idololatria in alium ritum alteratus,
de prædictis beneficiis laudabit Dominū.
Quia proſpexit de excelſo Sancto ſuo, id eſt:
℣.20. per me Sanctum corpore, excelſum Dei-
tate, proſpexit miſeriam hominum. *Do-*
minus de cœlo in terram aſpexit, id eſt: per
me cœlum in terrenos miſerando aſpexit.
Ut audiret gemitus compeditorum, id eſt,
℣.21. ut gementes ſolveret à vinculis peccato-
rum; *ut ſolveret* à peccatis *filios interempto-*
rum, id eſt: gentes imitatores oceiſo-
rum Adæ ſcilicet & Evæ, qui fuerunt in-
teremptores totius humani generis.
Compediti gementes erant Judæi, filii
interemptorum Pagani. In Hebræo ſcri-
bitur *filios mortis*, ut ſolueret filios Diabo- B.
li á peccatis.
Ut annuntient in Syon nomen Domini id eſt
℣.22. in Eccleſia, *& laudem ejus* tandem *in* cœle-
ſti *Jeruſalem.*
In conveniendo populos in unum, & Reges,
℣.23. id eſt: ad hoc nomen Domini in Syon
annunciant, ut populi & Reges in unum
fidei conveniant, *ut ſerviant Domino.*
Reſpondit ei in via virtutis ſuæ, hoc eſt:
℣.24. populorum & Regum conventus in Syon
reſpondet Domino Patri in via virtutis
ſuæ, ſcilicet imitatione filii ſui, qui eſt
via virtutis ſuæ: quia verbum virtus Dei
per JEſum Chriſtum intravit ad homines
& per hanc viam reduxit devios ad vitam.
Aliter. Jeruſalem vel laus ejus ſcilicet Ec-
cleſia de toto orbe terrarum vocata re- C.
ſpondit Chriſto in via virtutis ſuæ; quia
ſicut Chriſtus, etiam ipſa in virtutibus am-
bulavit. Hujus vox hic ſequitur: *Pau-*
citatem dierum meorum nuntia mihi: hoc eſt:
Eccleſia in via virtutis poſita reſpondit di-
cens: Inſinua mihi, quando finiantur
pauci dies iſti, fiat conſummatio ſæculi
& veniant anni æterni. Et dicitur ei,
prædicabitur Evangelium in omnibus
gentibus, & tunc veniet finis. Ad lite-
ram etiam reſpondit Dominus Jeruſalem
in via virtutis, cùm ad paſſionem accede-
ret, & cum palmis populus eum ſuſcipe-
ret; cùm cantum populi in ea audiret, re-
ſpondit ei, & paucitatem dierum ſuo-
rum enumeravit ei dicens: veniet dies
cùm inimici tui circumdabunt te, & ad
terram proſternent te, & filios tuos, qui
in te ſunt, & non relinquent in te lapidem
ſuper lapidem.

Hæc quæ ſequuntur usque in finem
pſalmi, ſunt verba generationis alteræ
& populi novi creati, à compedibus ſolu-
ti, qui in Syon convenit & laudem de
æternitate canit.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, ℣.25.
id eſt: ne ſubtrahas me ab annis tuis, qui
ſum poſitus *in dim. dierum meorum.* Duæ
partes ſimul collatæ utraque eſt unum di-
midium, licèt una major, altera ſit minor:
ſicuti ſi unus dies conferretur centum an-
nis æterni anni ſunt unum dimidium, dies
hujus vitæ alterum ſunt dimidium: in uno
dimidio, id eſt, in temporali eſt homo, in al-
tero id eſt in æterno eſt Deus. Ideo ſequi-
tur, *in generationem & generationē anni tui*, hoc
eſt de præſenti usque in futuram. Aliter: de
meo dimidio temporali, id eſt de paucitate
dierum meorum tendentem in tuum dimi-
dium ne revoces me, deſerendo relaben-
tem in errorem, ſed trahe juvando niten-
tem in æternitatem. Aliter: peractâ dimidiâ
viâ meâ ne revoces me de mundo inemen-
datum & imperfectum; ſed permitte, me
totum tempus vivere, quod conſtituiſti:
ſicut Ezechiæ feciſti; ut de præterito
emendatus, & in bonis actibus perfectus,
occurram in virum perfectum in annos
tuos, qui ſunt æterni.

Initio tu Domine terram fundâſti & opera ma- ℣.26.
nuum tuarum ſunt cœli: hoc tractum eſt de
nova creatura mundi, ubi ſcriptum eſt:
in principio fecit Deus cœlum & terram.
Principium eſt Chriſtus in quo cœlum &
terram & omnia fecit Deus; ut ſcribitur:
omnia per ipſum facta ſunt. Et ſicut ibi
fuit principium mundi, ita & hìc initium
fuit novæ creaturæ id eſt Eccleſiæ. In
hoc *initio tu* Deus Pater *terram fundâſti*,
quando Eccleſiam in Chriſto locâſti. *Et*
opera manuum tuarum ſunt cœli, id eſt, Apoſto-
li per operationem Spiritûs Sancti formati.

Ipſi peribunt; quia ſecundùm corpus mo- ℣.27.
rientur: viſibiles etiam cœli, peribunt,
quia cœlum & terra tranſibunt. *Tu au-*
tem permanes ſemper in uno ſtatu. Cùm
hìc dicatur: *cœli peribunt*, quæritur, quo-
modo illa ſcriptura dicat: *terra in æternum*
ſtat? Et iterum: omnis creatura Dei manet in
æternum? Sciendum, quòd forma re-
rum peribit, ipſa ſubſtantia in æternum

manebit. *Et omnes ſicut veſtimentum vete-* A.
raſcent: cœli ſunt quaſi veſtimentum mundi. qui ſeneſcunt, & vetuſtate deficiunt in hac forma, quâ nunc ſunt. *Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* Cœlum eſt terræ opertorium, quod revolvitur ut tabernaculum, peractô autem judiciô cœli in aliam formam mutabuntur, quia Dominus tunc novum cœlum & novam terram faciet & luna gloriam ſolis, & ſol lumen ſeptem dierum habebit. Sanctorum corpora ſunt animæ veſtimenta: omnes ergò ſancti ſicut veſtimentum veteraſcent, id eſt, corpora omnium deficient priùs ſenectute, tan- B.
dem reſolutione, comparatione ſimiles veſtimento quod eo uſque atteritur, donec ad nihilum redigatur. Corpora quoque ſunt animæ opertorium, in quibus opertæ non videntur. Poſtea *mutabis eos* ab iſta reſolutione *ſicut opertorium*, utpote quod prius animæ fuerunt, corpora in gloriam ſolis, animas in æqualitatem Angelorum; cœli id eſt ſancti ita mutabuntur.

Tu autem idem ipſe es qui fuiſti, quando mundum ex nihilo feciſti, & non ſe-
℣.28. nuiſti, & es primus ante omnia, & noviſſimus poſt omnia, quia ſemper novus. *Et anni tui non deficient*, id eſt, æternitas *tua* ſemper permanet, immutabilis es, & C.
invariabilis, quia æternus: & quos feciſti de terra cœlos, hos facies æternos.

℣.29. *Filii ſervor. tuorum habitabunt*, id eſt: Chriſtiani Apoſtolorum filii, quos per Evangelium genuerunt, habebunt illos tuos annos non deficientes, habitantes in regno perpetuo, ubi gaudium eſt æternum, & nunquam finienda ſecuritas. *Et ſemen eorum in ſæculum dirigetur*, id eſt: alii Chriſtiani, ex iis geniti, in æternitatem dirigentur. Aliter: Anni tui æterni ſunt, & in illis annis *filii ſervor. tuor. habitabunt*, id eſt: ſervi tui per filios, id eſt, per bona opera illos annos habebunt, *& ſemen* D.
eorum in Sæc. dirigetur, id eſt: fletus quos præmittent, in gaudio metent.

En quid filius Dei orando profecit, dum humanum genus ad æternitatem perduxit!

PROLOGUS IN PSALMUM CL.

MAteria hujus pſalmi noviſſimi ſunt Nuptiæ agni. Poſtquam enim Rex judicium cum populo ſuo habuerit, ſponſam ſuam de Babylonia ad ſe venientem cum omni frequentia Angelorum & Sanctorum in novam Jeruſalem introducet: in quo comitatu tubæ perſonant, in nuptiis organa concrepant. De hoc hic pſalmus tractat. Intentio eſt, nos incitare, ad illud feſtum properare. Verba reſpiciunt ad ſupradictos Prophetas, qui ad feſtivitatem in reædificato templo Jeruſalem celebrandam, populum de captivitate reverſum monuerunt. Quod & monet nos de captivitate diaboli & vitiorum reverſos renovatâ vitâ Deum laudare, ut poſſimus ſolutâ ultimâ captivitate illud feſtum in nova Hieruſalem cum ſanctis celebrare. Titulus eſt, *Alleluja*, id eſt, laudate Dominum, qui & veniſtis ad ſponſi convivium. Hic pſalmus eſt centeſimus quinquageſimus, per centum perfectio, per quinquaginta Jubilæi exultatio exprimitur. Deſignat hic numerus, quod perfecti in ſanctitate erunt in æterna jubilatione. Pſalmus hic eſt uniformis, quia unanimitas linguarum & laudis ſemper erit in Sanctis. Vox eſt Spiritus Sancti.

Expoſitio Pſalmi CL.

OVos electi qui accenſis lampadibus ℣.1.
ſponſo & ſponſæ occurriſtis, *laudate Dominum in Sanctis ejus:* hoc eſt, laudate eum in illa conſideratione, quâ vos ſanctificavit, & ſanctis Angelis coæquavit. *laud. eum in firm. virt. ejus:* Firmamentum virtutis eſt confirmatio Sanctorum poſt reſurrectionem: quando Sancti ita in virtute firmabuntur, quòd ulterius peccare nolunt, ſicut Angeli firmati cadere noluerunt. Inde *laudate Dominum*, quòd ab eo ita in virtute firmati jam eſtis, quòd ſicut Angeli amplius peccare non cupitis.

Laudate eum in virtutibus ejus, hoc eſt: ℣.2.
laudate eum pro diverſis virtutibus, vobis ab eo collatis, pro quibus jam ad cœleſtia veniſtis. Alia translatio habet: *laudate eum in potentatibus ejus*, hoc eſt: laudate eum pro hoc, quòd vos fecit potentatus, cum virtutibus & poteſtatibus Angelicis, omnibus inimicis ſub pedibus veſtris poſitis. *Laud. eum ſecundum mult. magnit. ejus*, id eſt laudate eum reſpectu multitudinis magnitudinis ejus, qua vos in cœleſtibus magnificavit, & qua multa millia millium pro multis opibus Gloriâ & honore coronavit.

Laud. eum in ſono tubæ: per tubam Victoria accipitur, quia finitò bellò & fugatis hoſtis

hoſtibus ſolent Victores tubâ canare. Lau- A.
date ergò eum pro Victoria, qua Diabo-
lum viciſtis, & ſubactis hoſtibus animæ &
corporis Victores ſupernam arcem intra-
viſtis. Sonus tubæ eſt etiam excellentiſ-
ſima charitas laudis, quam perſonabunt
cum Angelis. Per tubam quoque accipi-
tur prædicatio. Unde in Apoclypſi dicun-
tur Angeli ſeptem tubâ ceciniſſe: quod ſig-
nificat ſanctos omni tempore in mundo
prædicâſſe. Vel per tubam innuitur regalis
ſusceptio, unde legitur quod Angeli, tuba
canant, dum adventum æterni Regis an-
nuntiant. Laudate Dominum qui fuiſtis in B.
ſono tubæ, hoc eſt, in prædicatione: quia
Dominum in mundo prædicaſtis, & ad-
ventum ſummi Regis prænuntiaſtis. *Lau-
date eum in Pſalterio & Cythara.* Pſalterium
quod de ſuperioribus ſonat, animam; Cy-
thara, quod de inferioribus ſonat, ſignat
corpus; Laudate Dominum inde, quod vos
in anima & corpore glorificavit. Per pſal-
terium etiam contemplativa vita, per Cy-
tharam exprimitur activa. Laudate Domi-
num, quòd in contemplativa & activa vita
vixiſtis, pro quibus æterna præmia recepi-
ſtis. Vel per pſalterium cœleſtia, per Cy- C.
tharam intelliguntur terreſtria: hoc eſt, in
conſideratione Superioris & inferioris
Creaturæ laudate Deum.

Laudate eum in tympano & Choro. Tym-
℣. 4. panum fit ex corio exſiccato, & firmato,
quod ſignificat carnem immutatam ab
omni corruptione, firmatam. Inde lau-
date Deum, quòd carnem veſtram, priùs
fragilem, tanta firmitate immutavit, quod
ultra nulli corruptioni ſubiacebit. Cho-
rus eſt concors concentus canentium, &
intelligitur Societas Angelorum & homi-
num concordi jubilo Deum laudantium:
inde laudate Dominum, quoniam hunc
Chorum intrâſtis, & his Cantoribus aſſo- D.
ciati eſtis. *Laudate eum in Chordis & organo.*
Chordæ ſunt inteſtina animalium, exſic-
cata, & attenuata, dulciter reſonantia:
& deſignant internas cogitationes juſto-
rum, Vigiliis & jejuniis exſiccatas, &
ſanctâ meditatione attenuatas, dulciſſi-
mum melos puræ conſcientiæ reſonantes.
Organum quod habet diverſas fiſtulas
concordi modulatione conſonantes, ſig-
nificat diverſos ſanctorum Actus concor-
di dilectione non diſſonantes. *Laudate
Dominum in Chordis* id eſt, pro ſanctis co-
gitationibus, quæ ut Chordæ dulciter re-
ſonant. *Laudate Dominum in organo* id eſt,
pro bonis actibus, quæ ut Organa ſuavi-
ter concrepant.

Laudate eum in Cymb. beneſonantibus. ℣. 5.
Cymbala ſplendent & ſonant poſtquam
in igne ſuſa fuerint. Quæ ſignificant
corpora ſanctorum, quæ poſtquam ig-
nem tribulationis tranſierunt, uti ſol
fulgebunt, & æternam Dei laudem ſo-
nabunt. In his Cymbalis, id eſt, in his
glorificatis corporibus ſanctorum laudate
Dominum, *& in Cymbalis jubilationis*, id
eſt, in animabus juſtificatis. Jubilatio
enim eſt ineffabilis laus Dei, qua non ni-
ſi animâ profertur. Et quid plus dicam?
Omnis Spiritus laudet Dominum. Hoc eſt:
omnes Angeli qui eſtis Spiritus, & omnes
homines ſpirituales facti laudate Domi-
num; quoniam vobis fecit tale convivium.
Vel: *Omnis Spiritus* ſit vobis materia laudan-
di Deum Spiritus Angelorum, quos chari-
tate firmavit, Spiritus hominum, quos in
Gloria Angelis coæquavit; Spiritus Dæmo-
num quos ſanctis ſubjugavit; Spiritus ma-
lorum, quos pœnis juſtè mancipavit. Hoc
quoque tempore Spiritus animantium ſit
materia laudandi Dominum, quibus tot
diverſa corpora, voluerum, piſcium,
ac beſtiarum vivificavit.

Notandum quod Muſica fit à tribus
modis, voce, flatu, pulſu. Voce per
fauces & arterias canentis hominis; fla-
tu per tibias; pulſu per Cytharas. Quæ
tria genera in iſtis nuptiis reſonant; vox
in Choro, flatus in tuba, pulſus in Cytha-
ra: quæ mentem, Spiritum, corpus ſig-
nificant, quæ Trinitatem ſemper laudi-
bus concelebrant.

Porrò per diverſa Muſicæ Inſtrumen-
ta expreſſi ſunt diverſi ordines laudanti-
um Deum in Eccleſia. *Sancti*, ſunt Sacer-
dos caſtè viventes, qui corpus & ſangui-
nem Chriſti ſacrificant. *Virtus* Dei ſunt
per quos virtutes operatur, ùt Martinus,
Benedictus. *Potentatus* ejus ſunt, per
quos Dæmones, & vitia premit ut Præla-
ti. *Multitudo* ejus ſunt fideles ùt ſubditi.
Tubæ ſunt prædicatores; *pſalterium* ſpiri-
tualia operantes, ùt Monachi: *Cythara* ſe
caſtigantes, ùt Eremitæ & Incluſi. *Tym-
panum* in vitiis mortificati ùt Martyres:
Chorus in communi vita concorditer vi-
ventes, ùt Regulares Canonici. *Chordæ*
jejuniis macerati ut pœnitentes; *Organum*
prædicatione & operatione conſonantes
ùt confeſſores. *Cymbala* de miſericordia
& dilectione perſultantes ut cæteri fide-
les. His Muſicis vaſis laudat omnis Spi-
ritus id eſt omnis Spiritualis Dominum:
hujusmodi Inſtrumenta reſonabunt in
nuptiis Agni æternum Alleluja. Ideo

iſtos tres Pſalmos ad laudes quotidie fre- quenramus, quatenùs in nova Hieruſalem laudes cum Angelis cantare valeamus,

Epilogus Pſalterii.

UT cunctis legentibus conſulamus, ſummam totius operis brevi epilogo concludamus. Deus eſt Pater Chriſti, Corpus Chriſti eſt Eccleſia: Nutritor Eccleſiæ Spiritus Sanctus: cujus nutrimentum eſt Sacra Scriptura, per quam in ſuis membris creſcit in virum perfectum, donec occurrat in Sponſi ſui thalamum. Porrò Pſalterium eſt quaſi Cellarium, de quo diverſa fercula & multimoda pocula proferuntur ad Sponſæ convivium.

In prima itaque Decade infantia Eccleſiæ quaſi lacte nutritur, dum à via peccatorum prohibetur, & in lege Domini meditari edocetur: pro qua obedientia ei beatitudo per Adam amiſſa, per Chriſtum reſtitui promittitur. Qui Beatus Vir à Patre Rex inſtitutus, noſtri causâ in morte dormivir, & exurrexir, filios hominum ab infernis extractos in pace in idipſum conſtiruit, in qua in æternum exultabunt, qui in gemitu laborârunt. Quique in altum regreſſus Judex gloriâ & honore coronatus regnabit in æternum in templo Sancto ſuo.

In ſecunda decade eloquia Domini in igne Spiritûs Sancti examinata, pueritiam Eccleſiæ ad veritatem informant, quæ oculos cordis ejus illuminat; ut ſciat Dominum eſſe in juſta generatione; & in tabernaculum ejus ingredienres ſine macula, adimpleri cum vultu Domini lætitiâ, & bonis Satiari, cùm apparuerit gloria ejus: & ut Dominum diligat, qui inclinavir cœlos & deſcendit, à delicto maximo emundans adjutor & redemptor miſeris exſtitit. Cujus Sacrificii Dominus memor fuit, quando coronam de lapide pretioſo ſuper caput ejus poſuit.

In tertia decade Chriſti exemplô Adoleſcentia Eccleſiæ inſtruitur patientiâ quia factus eſt obprobrium hominum, cujus regnum dominabitur gentium. Qui in loco paſcuæ, ubi nihil deerit, illum collocabit, qui innocens manibus & mundo corde fuerit. Et anima ejus in bonis demorabitur, qui lavare inrer innocentes manus non dedignabitur. Hic bona Domini in rerra viventium videbit, cùm caro ejus in Reſurrectione reflorebit: quando Dominus populo ſuo in pace benedi-

A. cet, cùm planctum in gaudium convertet in magna multitudine dulcedinis ſuæ, quam perſecit timentibus ſe.

In quarta decade Juventus Eccleſiæ in chamo & frœno ad pœnitentiam conſtringitur, ut anima ejus à morte eruatur; quia mors peccatorum peſſimâ: quos Angelus Domini perſequens coarctabit in Tartara. Et qui operantur iniquitatem, à Deo expulſi ſunt & injuſti diſperibunt. Afflictos autem & humiliatos eruet ab omnibus iniquitatibus, & immittet Dominus in os ejus Canticum novum, in die mala liberans eum, & beatum faciet in terra viventium.

B. *In quinta decade* Juventus Eccleſiæ flagellis erudita, & conſtantia contra adverſa ſuperata, ad Deum fontem vitæ deſiderat, qui ejus Juventutem lætificat. Propter quem tota die mortificatur, uti ovis occiſionis: quatenus in lætitia & exultatione adducatur in templum regis, ubi vacet & videat Deum. Quò Principes populorum congregati ſunt in civitate Domini Virtutum. Quando juſti in matutino, malorum dominabuntur: cùm ipſis ſalutare Dei oſtenderur; quando muri C. Hieruſalem in Angelis lapſi per homines reædificentur.

In ſexta decade Virilis ætas Eccleſiæ jam ſolido pane cibatur, dum ad pugnam contra vitia fortitudine informarur. Unde mox fervens ad bona ſtudia fit ùt oliva fructifera, & fit intelligens aut requirens Deum; qui eam contra mala adjuvat. Cui voluntariè ſacrificat, pennas ſumens ùt columba ad requiem volat, ut Deo in lumine viventium placeat, qui animam ſuam de medio catulorum leonum eripiet, quando molas leonum Dominus confrin- D. get. Et ideo fortitudinem Dei manè cantabit, cùm eam de tribulatione in civitatem munitam deducens, hæreditatem timentibus nomen ſuum dabit.

In ſeptima decade Virilis ætas ſolidô cibô refecta, ad contemptum mundi admonetur: unde filii ejus rapinas nolunt concupiſcere, nec divitiis affluentibus cor apponere, ſed Deum volunt in vita ſua benedicere. Annuntiant opera Dei, in bonis domus ejus cupiunt repleri: transeunt per ignem & aquam in refrigerium. Petunt ut Dominus illuminet ſuper eos vultum ſuum, quatenus cum juſtis epulentur in conſpectu Dei: cùm fiet mirabilis

in

in Sanctis ſuis, quando ſalvam faciet Syon, A. in qua habitabunt qui nomen ejus diligunt. Cùm exultent & lætentur in Deo omnes, qui quærunt, & diligunt eum : quando os eorum replebitur laude, ut hymnum dicant Deo tota æternitate.

In octava decade matura ætas Eccleſiæ potu ſcientiæ inebriatur, ut ſerviat filio Regis, qui facit mirabilia magna ſolus : cui ſoli bonum eſt adhærere. Qui operatus eſt ſalutem in medio terræ. Qui cornua peccatorum confringens, exaltabit cornua juſtorum in pace: in qua factus eſt locus ejus. Qui populum ſuum in manu B. Moyſis & Aaron deduxit : quos pane Angelorum pavit. Qui ultus eſt ſanguinem ſuorum, reddens ſeptuplum vicinis eorum. Qui vineam de electis ſuis plantavit, quos ex adipe frumenti cibavit, & de petra melle ſaturavit. &c.

In nona decade eadem matura ætas Eccleſiæ poculo ſapientiæ lætificatur, cum homines Dii & Filii excelſi à Deo vocantur, à quibus ipſe ſolus altiſſimus in omni terra prædicatur, ad quem perveniendum beati aſcenſiones in corde ſuo diſponunt de valle lachrymarum, ut inhabitet gloria in terra eorum, quorum C. animas de inferno inferiori eruit, in civitate glorioſa, in qua eſt habitatio omnium lætantium, conſtituit; in qua ille homo, qui fuit inter mortuos liber vulneratus dormiens in ſepulchro, poſitus in lacu inferiori, & magnus & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu ejus ſunt, ubi repleti manè miſericordia Dei exultabunt & delectabuntur omnibus diebus, quos de tribulatione eripuit, glorificavit, longitudine dierum replevit, ſalutare ſuum facie ad faciem oſtendit.

In decima decade ſenior ætas Eccleſiæ D. inebriata doctrinam aliis eructat, quæ in ſenecta uberi, ùt palma floret in virtutibus, ùt cedrus Lybani multiplicatur in operibus, quæ eſt ſedes Dei parata contra mare & flumina, ſcientia erudita, & de lege Dei docta. Ideo populum paſcuæ ejus & oves manus ejus invitat, ut in Pſalmis ei jubilent, canticum novum ei cantent, quia de manu peccatoris eos liberavit, juſtitiam ſuam gentibus revelavit, quia eſt magnus ſuper omnes populos, qui ſervientes ſibi in lætitia ducet in exultationem, & in judicio diſperdet de civitate ſua omnes operantes iniquitatem.

In undecima decade eadem ætas Eccleſiæ ad orationem inſtigatur, ut ſemen ejus in ſæculum dirigatur, ut juventus ejus ſicut aquila renovetur, & per emiſſum Spiritum Dei recreetur, faciem Domini ſemper quærat, judicium & juſtitiam in omni tempore faciat, miſericordias Domini intelligat, paratum cor ad præcepta ejus habeat, & laudare eum in medio multorum ; qui eſt principium à Patre genitus, in ſplendoribus Sanctorum miſſus, redemptio populorum per novum teſtamentum.

In duodecima decade ſenectus Eccleſiæ timore Sanctorum eruditur, quem gloria & divitiæ in memoria æterna ſequuntur, quam olim ſterilem Dominus fecit habitare in domo ejus matrem filiorum lætantem, cujus filios benedixit puſillos cum majoribus, quæ placebit Domino in regione vivorum, cui ſacrificabit hoſtiam laudis in medio Jeruſalem, in qua omnes gentes & omnes populi laudant Deum; qui per portas juſtitiæ ingreſſi ambulant immaculati in via legis Domini, ut de incolatu mundi & habitantibus cedar perveniant ad montes, ubi auxilio Dei ab omni malo cuſtodiantur.

* *In tertia decima decate* eadem Eccleſiæ ætas de ſtrepitu ſæculi aſcendere per gradus virtutum ad pacem Jeruſalem docetur, quæ per tribus & per ſedes ùt civitas ædificatur, in qua ſervi & ancillæ oculos ad Dominum habitantem in cœlis levant, ut ejus adjutorio aquam intolerabilem pertranseant, venientes ad eos, qui habitant in Jeruſalem, ubi eſt pax ſuper Iſraël, repleti gaudio & exultatione, ubi poſt mortis ſomnum datur hæreditas Domini electis filiis merces fructus ventris Mariæ; ubi bona Jeruſalem videbunt omnibus diebus vitæ æternæ, & benedictio Domini ſuper eos erit, quos ex omnibus iniquitatibus redemit, quibus retributio in anima ipſe Deus erit.

In quarta decima decate decrepita ætas Eccleſiæ ad manſuetudinem permulcetur, quam ſibi elegit in habitationem & requiem, in qua fratres in unum habitantes, Deum in noctibus benedicunt, qui habitat in Jeruſalem, cujus miſericordia in æternum; cui reverſi de Babylone cantant

tant hymnum de canticis Syon in conſpectu Angelorum, dies firmati in via æterna, ubi recti habitabunt cum vultu Dei, ſacrificium veſpertinum facti. A

In quinta decima decate eadem ætas Eccleſiæ ad perſeverantiam confeſſionis perſuadetur, quam juſti expectant, donec eis Dominus retribuat, cum animam de tribulatione educet, quæ poſt bellum canticum novum ei canet, quem laudabilem nimis ſancti benedicent, cùm judicium injuriam patientibus faciet, cùm Jeruſalem ædificans conſumabit, cujus filios benedicens adipe frumenti ſatiabit; in qua nova Jeruſalem erit hymnus omnibus ſanctis cum lætabuntur in cubilibus ſuis, cùm peracto judicio Rex Sponſus Reginam Sponſam in novam Jeruſalem introducet, & angeli tubis ùt Regi perſonabunt, omnes ſancti organis & cymbalis ùt Sponſo in æternum jubilabunt. Quia portum diu optatum proſpero curſu attigimus, tempus eſt, ut depoſito velo Gubernatori noſtro omnium bonorum largitori gratias agamus. B

Explicit.

F*Inito Pſalterio idem Honorius expoſuit etiam Cantica, quæ in Laudibus ſingulis diebus dicuntur, uti & Cantica:* Benedictus, Magnificat, nunc dimittis, Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolorum. *Quod univerſum opus his demum verbis concludit:* Opus quod de Pſalterio vel Canticis inſtituimus, auxilio Dei ad unguem perduximus, rogo autem omnes filios Eccleſiæ, qui hoc opus lecturi ſunt, ut mecum Chriſto pro hoc labore gratias agant: & pro meis exceſſibus preces pio Indultori fundant. Et noverint in hoc opere nihil eſſe meum præter ſolum laborem, ſententias autem eſſe Sanctorum.

F I N I S.

HONO-

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

SCALA COELI MAJOR.

SEU

Dialogus de ordine cognoſcendi DEUM in creaturis.

Ex Codice MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria eruit Venerabili D. P. Leopoldus Wydemann, ibidem Bibliothecarius.

Digitized by Google

EJUSDEM HONORII
SCALA COELI MAOJR.
PROLOGUS.

FRequenti meditationum animo A. revoluo quam plurimos ſummo conamine ad ardua nitentes, ſed quaſi quadam repulſâ à cœpto curſu deficientes. Cauſam diligentius perſcrutatus latitantem, nil quidem inveſtigare potui, quàm inſcitiam, caligine mentem eorum obſcurantem. Quam peſtiferæ verecundiæ larebras quæritantem fortiùs ſtringens ad lucem produxi, ac ſpiculis rationum preſoſſam ad nihilum deduxi. Sunt namque plures qui ad ſpiritualia ſcandere nituntur, ſed ordinem B. graduum ignorantes, per abrupta ſe præcipitant: & dum non gradatim ſcandendo, ſed per præceps inconſultè ruendo, nec hujus nec illius retinaculum rectitudinis, quo greſſum firment, inveniunt, pondere penduli, viſu preſſi caſſum iter linquunt: atque in profundæ fabulæ opiniones & tenebras ignorantiæ errabundi reſiliunt. Quorum animi inopiâ piè permotus, navem eis de exilio ad patriam opimis opibus inſtruxi, & ſcalam congruis gradibus ordinabiliter diſparatam de C. cæno ad cœlum erexi: quam ſi rite ſcandere contendunt, regem gloriæ in decore ſuo videbunt. Unde ſi videtur, libellus *Scala Cœli* vocetur.

Caput Primum.

DISCIPULUS. Quid inter ſedulæ diſputationis documenta te crebrò navem vitæ vel Scalam cœli introducere audio quid ſibi illa vocabula velint, edicito. MAGISTER. A patria paradiſi quaſi in colliminio cujuſdam maris ſeparamur, & in hoc mundo quaſi in quadam inſula peregrinamur. Mare eſt hoc ſæculum multis amaritudinibus turbidum; navis eſt Chriſtiana religio, velum fides, arbor crux, funes opera, gubernaculum diſcretio, ventus Spiritus Sanctus, portus æterna requies; hujuſcemodi nave pelagus ſæculi hujus tranſitur: & ad patriam æternæ vitæ reditur.

Caput Secundum.

DISCIPULUS. Et quid *Scala Cœli*? MAGISTER. In valle lachrymarum, imò in lacu miſeriæ ſumus conſtituti; de qua ad altum ſupernæ patriæ montem per quandam ſcalam ſumus aſcenſuri. Hæc ſcala eſt charitas, quam copulat ſanctarum ſcripturarum Authoritas: hujus gradus ſunt ſcientia & Sapientia. Scientia, quæ nos præſentis vitæ inſtruit actionem; Sapientia, quæ docet æternæ vitæ contemplationem. Scientia, quæ nos ſcripturis inſtruit myſterium Chriſti humanitatis: Sapientia, quæ docet Majeſtatem ejus divinitatis. Hæc ſcala per geminam dilectionem Dei & proximi hinc inde erigitur, ad quas ſeries totius ſcripturæ, veteris & novi teſtamenti, refertur: quæ per Sapientiam ſcribitur per ſcientiam exponitur. Et quia hæc ſcala usque ad tertium cœlum pertinet, ad quod rite ſcandentes perducet, tribus ordinibus graduum, corporalium, ſpiritualium, intellectualium, connexa ſurgit.

Caput

Caput Tertium.

DISCIPULUS. Quid tertium cœlum dixeris, ignoro. MAGISTER. Tres viſiones ſunt, corporalis, ſpiritualis, intellectualis. Corporalis eſt, quâ cœlùm hoc, & terra, & omnia corporalia per corpus videntur: & hæc primum cœlum vocatur. Spiritualis eſt, quà ſimilitudo corporalium in Spiritu noſtro formatur: & hæc ſecundum cœlum nominatur. Intellectualis eſt, qua nec corporalia nec ſimilitudo corporalium, ſed ipſa eſſentia divinæ veritatis, vel An- B. gelorum vel animarum natura, ſicuti eſt, contemplatur, & hæc tertium cœlum appellatur.

Caput Quartum.

DISCIPULUS. Ordinem graduum magnopere dinoſcere deſidero, quis eſt ordo corporalis viſionis? MAGISTER. Inprimis elementa, ſcilicet terram, aquam, aërem, ignem, ex quibus omnia conſtant, ad laudem Dei cernimus: quibus totidem ſubjicimus, dum ea, quæ tantùm ſunt, ùt lapides; & ea, quæ C. quodam modo vivunt ùt herbæ & arbores: & ea, quæ vivunt, & ſentiunt ùt animantia; & ea, quæ vivunt, ſentiunt, & intelligunt ùt homines, ad laudem conditoris videmus. His verò totidem ſubnectimus, dum quatuor genera in mundo viventium, gradientum, ſerpentium, reptantium, volantium; natautium ad laudem Dei conſpicimus. Quibus totidem ſupponimus, dum cuncta pulchra à deformibus viſu, cuncta ſonantia à diſſonis auditu, cuncta olentia à putentibus odoratu, cuncta dulcia ab amaris guſtu, D. cuncta lenia ab aſperis tactu diſcernimus. Deinde multiplices gradus inteximus, dum in terra diverſa genera lapidum, marmorum, gemmarum; diverſa genera arborum, foliorum, pomorum: diverſa genera herbarum, foliorum, olerum; diverſa genera radicum, Fructuum, Seminum, diverſa genera beſtiarum, reptilium, ſerpentium: multigenas facies & ritus hominum, multimodos colores & cultus veſtium; alta mœnia urbium, ædificia Domorum, picturas, ſculpturas, varias texturas: diverſa artificia, ludo- A. rum vel artium exercitia; Ordines miniſtrantium, dignitates dominantium mirando diſtinguimus. Deinde gradus ex aqua ordinamus, dum genera varia volucrum, varia piſcium, glaciem & varias tempeſtates, & quasdam aquas dulces, quasdam amaras laudando Deum conſideramus. Poſt hoc aërem ſcandentes, *Stupentes*, gradus imprimimus, dum nubes, ventos, fulgura, tonitrua, pluvias, nives, grandines, pruinas, rores mirando conſpicimus. Hinc per gradus ætherei ignis nitimur, dum nunc creſcentis, nunc decreſcentis Lunæ Globum, B. Luciferi comas, Solis flammas, aliarum errantium Stellarum jubar ad laudem conditoris intuemur. Poſtremò per gradus hujus corporei cœli levamur, dum Firmamentum in medio aquarum locatum, & ſydera in eo clarè fulgentia, venerantes Deum, contemplamur. Hi ſunt gradus pulchræ aſcenſionis diſpoſiti de ordine corporalis viſionis. Hac viſione univerſa pene animantia nobiſcum fruuntur & quædam, ut ibices & aquilæ, plus nobis potiuntur.

Caput Quintum.

C. DISCIPULUS. Quis eſt Ordo Spiritualis viſionis? MAGISTER. Animam plures vires habere non ignoras: ex quibus ea, quæ corpus vivificat, & per corpus corporalia ſentit, propriè anima cognominatur, ea verò, in qua imagines corporaliũ formantur, Spiritus appellatur: ea autem quæ interna & externa intelligit, Mens vocatur. Spiritualis ergo viſio eſt, cùm non corporalia, ſed corporalibus ſimilia in Spiritu videntur, quæ duodecim gradibus huic ſcalæ innectitur. D. Primus gradus eſt, cùm alicujus corporis ſimilitudo per corporis ſenſus percepta, in Spiritu noſtro formatur, ac in memoria reconditur, ùt puellarum. Secundus, cùm abſentia corpora jam nota, cogitamus, & eorum imagines in Spiritu noſtro formamus, ùt urbium. Tertius: cùm eorum corporum, quæ non novimus, ſed eſſe non dubitamus, ſimilitudines, non ita ùt ſunt, Spiritu intuemur, ùt unicornium vel griphiùm. Quartus, cùm ea, quæ non ſunt, vel eſſe neſciuntur, pro arbitrio imaginamur ut chymæram Beſtiam. Quintus; cum nolentibus nobis

varia forma terum verſatur in animo, ùt A. in Oratione, pugnantium vel ædificantium. Sextus: cùm aliqua facturi diſponimus, cuncta prius in Spiritu cogitando formamus, út fabricam Domûs. Septimus, cum loquimut, vel aliquid facimus, eadem ſimilibus motibus intus in Spiritu prævenimus. Octavus, cum à dormientibus ſomnia in Spiritu formantur, tamen nihil vel aliquid ſignificantia: ut Pharaoni ſeptem ſpicæ ſeptem annos præſignantes. Nonus, cum invalitudine corporali perturbatis ſenſibus variæ phantaſiæ imaginantur, ut phreneticis fieri ſolet. Decimus: cum ingraveſcente do- B. lore corporis Spiritus abſentatur, & imagines terum corporalium demiratut, gaudia vel ſupplicia præſeferentes, ut non ex toto defunctis plerumque conringit. Undecimus: cum alicujus Spiritus à ſano corpore ad videndas ſimilitudines corporalium ab aliquo Spiritu rapitur ut fir in ecſtaſi poſiris. Duodecimus: Cùm Spirirus penitus à ſenſibus corporeis avertitur, & ſolis ſimilitudinibus corporalium ſpirituali viſione fruitur, ùt in Prophetis quondam factum eſt. Hæc viſio ſpiritualis bonis & reprobis communis eſt, & C. ſecundum cœlum vocatur: quod doctis per diſcretionem reſeratur, & indoctis per præſumptionem obfirmatur. In hoc cœlo Moyſes ſimilitudinem tabarnaculi vidit, quod in eremo fecit. in hoc cœlo Jſaias Dominum ſuper ſolium excelſum, & Seraphin cum ſex alis Sanctus, Sanctus, Sanctus, clamantia conſpexit; hoc cœlum apertum eſt Ezechieli quando rotam in rota & quatuor animalia oculis plena conſpexit: de hoc cœlo vidit Petrus diſcum animalibus plenum ſubmitti, & iterum in idem recipi; hoc cœlum vidit Joannes apertum, in quo omnia conſpe- D. xit quæ in Apocalypſi ſcripſit.

Caput Sextum.

DISCIPULUS. Num eſt aliquid in rebus exſtantibus, quale Joannes, vel alii Propheræ, vel qualia ſubtracti quidam à corporibus viderunr & rurſus vivis reddiri ſe vidiſſe retulerunt? MAGISTER. Omnia quæ formaliter ſubſiſtunt, in hoc mundo ſunt; nuſquam autem legitur, quòd uſquam terrarum Beſtia decem cornua habens reperiatur ùt in Apocalypſi & in Daniele ligitur. Nec alicubi lapis ſeptem oculos habens, ut in Zacharia legitur; nec uſquamlibet gentium Mulier ſole amicta, vel Draco ſeptem capita habens reperitur. Quæ ſi tunc ſubſtantialiter fuiſſent nunc quoque ſimiliter eſſent: ſed cum nuſquam neque in cœlo neque in terra hujuſcemodi res ſint, liquet quòd nec tunc fuerint. Igitur non ſunt ex rebus exſtanribus; per Angelos autem talia in Spiritu hominum formantur, per quæ futura aliqua præfigurantur: unde & à doctis exponuntur, à quibus etiam intelliguntur.

Caput Septimum.

DISCIPULUS. Cùm quis talia videt, num per oculos corporis, an ſolo Spiritu ea cernit? MAGISTER. Corporalia per corpus, ſpiritualia autem extra corpus videri omnino non poſſunt. Neque Spiritus ſine corpore ad loca corporalia, nec corpus rapi poteſt ad ſpiritualia. Omne autem quod corpus non eſt, & tamen eſt aliquid, Spiritus eſt. Ergo non per corpus ſed in Spiritu talia videntur; incorporea enim natura videri non poteſt per corpus: corporea autem ſi ſine corpore videri poteſt, tunc longè alio & miro modo, quàm nunc, videtur.

Caput Octavum.

DISCIPULUS. Utrum videt hæc anima intra ſe vel extra ſe? MAGISTER. Sicut omnia corporalia intra corpus videntur ita cuncta ſpiritualia intra Spiritum cernuntur: & ſicut hic corporeus mundus cœlum & terram & univerſa corporalia intra ſe continet, ita quoque anima quendam amplum mundum, cœlum ſpirituale, & terram intra ſe continet: in quibus cuncta ſpiritualia, corporibus ſimilia videt; & ideo cùm Solem, Lunam, & ſydera cœli, urbes, regiones, inſulas maris, vel ſimilia cætera bis contemplatut, non extra, ſed intra ſe imaginando vagatur. Itaque Joannes vel alii Prophetæ non extra ſe, ſed cuncta in Spiritu ſuo pet Angelos formata, futuras res ſignificantia viderunt: unde & *Videntes* dicti ſunt; Hinc eſt quod Joannes dicit: *Statim fui in Spiritu:* & alius Propbera: *Vidi in Spiritu.* Similiter hi, qui corpore ſubtracti,

tracti, & rurſus vivis redditi gaudia & A. ſupplicia, claram lucem, & horridas tenebras, vel quælibet alia viderunt vel audierunt, intra ſe quaſi in quadam regione conſpexerunt.

Caput Nonum.

DISCIPULUS. Pœnæ in Spiritu viſæ, utrùm ſint veræ pœnæ an falſæ? Similitet gaudia in Spiritu viſa, utrùm ſint vera gaudia an falſa? MAGISTER. Quidquid illud eſt, unde anima mœrore afficitur, vera pœna eſt. B. Iterum quidquid illud eſt, unde Spiritus lætatur, verum gaudium eſt. Sunt autem quidam gradus in pœnis animarum. Primus eſt, cùm anima contriſtatur, quia de aſſuetis locis, corporibus, vel parentibus vel notis hominibus ſeparatur. Secundus: cùm de amiſſis rebus exterioribus, vel amicis perditis anxiatut. Tertius, cùm de corporali dolore torquetur. Quartus, cùm violentiâ de corpore pellitur. Quintus: cùm quaſi in ſomnis, horridis viſis afficitur. Sextus: cùm in ecſtaſin rapta formis moleſtis affligitur. C. Septimus: cum corpori ſubtracta à tetris Spiritibus in pœnalibus locis cruciatut. Octavus: cùm corpore penitùs mortuo, non corporali, ſed Spiritali, & pœnali ſubſtantia arctatur. Nonus: cùm recepto corpore, æterno igni tradita dæmonibus aſſociatur. Hi pœnatum gradus, quantò quisque alteri eſt in ordine ſuperior, tantò eſt in cruciatu immanior.

Similiter quidam gradus in gaudiis animarum conſiderantur. Primus, cùm anima de Societate dilectorum hominum lætatur, Secundus: cùm de adeptione D. cupitarum rerum gratulatur. Tertius, cùm de evaſione damni alicujus rei vel corporalis doloris gaudet. Quartus: cùm ſuperatis adverſariis tripudiat. Quintus, cùm periculum mottis evadens exultat. Sextus, cùm in ſomnis læta viſa eam exhilarant. Septimus, cùm in ecſtaſin rapta exultat. Octavus, cùm corpore ſubtracta ſpiritualibus in locis mirabili luce deliciatur. Nonus, cùm corpore penitùs mortuo, non corporali, ſed ſpititali, & ipsâ veritatis lætitia jucundatur. Decimus, cùm corpore recepto, Angelis adæquata de viſione Dei ineffabilitet glotiatur. Hi gradus gaudiorum, quantò quisquis eſt alteri in ordine altiot, tantò eſt & in Ordine eminentior.

Caput Decimum.

DISCIPULUS. Unde formantur Spiritalia viſa? MAGISTER. Ab animabus, à dæmonibus, ab Angelis. Ab animabus, cùm quis in tenebris ea, quæ per corpus vidit, vel videre potuit, vigilans imaginatur: aut quæ corpori acciderunt, vel accidere potuerunt, dormiens contemplatur; hæc aliquando vera, aliquando ſunt falſa. A dæmonibus, cùm Spiritus nequam in vatias formas ſe transfigurans, animæ dormientis, vel vigilantis ſe ingerit: quæ phantaſiæ vel illuſiones vocantur: aliquando corpus obſidens, animæ ſe commiſcens, quædam vera prædicit, & alios arreptitios, alios falſos Prophetas facit. Ab Angelis autem in ecſtaſi rapti vel à corporis ſenſibus alienati, quædam mira, & aliquid ſignificantia, conſpiciunt: quæ interdum ipſi Angeli eis exponunt, ùt Gabriel Danieli & Angelus Joanni, & hæc oſtenſiones vel revelationes dicuntur.

Caput Undecimum.

DISCIPULUS. Eſtne peccatum turpia imaginando, cùm quis nocturnali illuſione polluitur? MAGISTER. Cùm quis vigilans turpia imaginando delectatur, ac dormiens per easdem imagines polluitur, hoc ad peccatum ei imputatut: ſi verò contra votum ſuum à dæmonibus ludificatut, & polluitut, in hoc reus non judicatut. Si autem absque conſenſu delectationis polluitur, ſic caret peccato: ſicut vigilantes de concubitu loquentes, eadem cogitamus.

Caput Duodecimum.

DISCIPULUS. Vident dæmones imaginationes in animabus? MAGISTER. Quidem malas vident, bonas non vident. Cogitationes enim hominum malas, per eos nunciatas, certiſſimum eſt (ſcire) bonas autem ſi ſcitent, ſanctos non tentarent; à quibus ſuperari nollent.

Caput tertium Decimnm.

DISCIPULUS. Unde eſt, quòd longè facta annuntiant? MAGISTER. Quia ineſt eis acrimonia cernendi corporalia: incorporalis enim ipſorum natura nobis præſtantior, & longe nobis ſubtilior eſt.

Caput quartum Decimum.

DISCIPULUS. Unde eſt, quod aliquando phrenetici futura prædicunt, vel etiam aliqui ſani, ùt Cayphas, qui prophetavit? MAGISTER. Aliquis ſpiritus commiſcet ſe ipſum eorum ſpiritui, & futura prædicit. In hujuſmodi gradus ſcandit anima in ſpiritualibus; ſed aliquando fallitur, dum aliud pro alio approbat: & id corporale, quod eſt ſpirituale, vel id ſpirituale, quod eſt corporale, putat: ſicut Petrus diſcum de ſpirituali cœlo ſubmiſſum, corporalem rem eſſe putavit; ſed hic error falſæ opinionis non obligat animam peccatis.

Caput quintum Decimum.

DISCIPULUS. Quis eſt ordo graduum intellectualis viſionis? MAGISTER. In hæc verba: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum tria conſiderantur late: * qui corporaliter videntur, proximus qui abſens in ſpiritu cernitur, dilectio quæ mente intelligitur. Eſt ergo intellectualis viſio, cùm nec corporalia, nec corporalibus ſimilia conſpiciuntur: ſed ipſæ veræ ſubſtantiæ animarum vel Angelorum, vel virtutes, vel ipſa ſumma veritas, ſicuti eſt, mente intelligitur. Et hoc tertium cœlum dicitur in quod tribus gradibus conſcendimus. Primò dum in anima virtutes conſideramns, ſecundò cùm Angelorum Ordines diſcernimus, tertiò cùm univerſa in Deo intelligimus. Porro fidelis anima multiplices aſcenſiones in corde ſuo diſponit, dum de virtute in virtutem it: & ita locum tabernaculi admirabilis, quaſi regionem latiſſimam intellectualium, ingreditur, dum quod ipſa mens vel omnis animæ bona affectio, cui contraria ſunt vitia, contuetur, ùt eſt caſtitas, continentia, manſuetudo, fides, bonitas, benignitas, longanimitas, pax, gaudium, charitas. His & talibus

* ſ. latere

A. tranſcenſis, ac ſanctis cnnjuncta ſpiritibus per angelica ſcandit miniſteria novem gradibus, contemplans in æterna gloria Angelos, Archangelos, virtutes, poteſtates, principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim & Seraphin. Sic rite ſcandens pervenit ad domum Dei, & thronum Majeſtatis, ubi regem gloriæ in decore ſuo videbit: ibi eſt ſecura quies, & ineffabilis viſio veritatis; ibi una & tota virtus amare, quod videas, & ſumma felicitas habere, quod amas: ibi beata vita in fonte ſuo bibitur, ibi lux vera
B. in lumine videbitur; ibi videbitur claritas Dei, non corporali viſione ſicut viſa eſt in monte Sina: nec ſpirituali viſione ſicut vidit eam Iſaias vel Joannes in Apocalypſi: nec per ænigmata, ùt in hac vita viderunt eam ſancti, ſed per ſpeciem ſicuti eſt facie ad faciem. Propter hunc adipiſcendum nunc labores ſubimus, indigentibus ſubvenimus: á voluptatibus continemus, adverſitates ſuſtinemus. Ad hunc videndum corda mundamus, quia beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. In hoc tertio cœlo eſt Paradiſus paradiſorum, in hoc eſt requi-
C. es Sanctorum in hoc gloria beatorum. Sed ſicut Spiritus corpore eſt præſtantior, ſic ſpirituale cœlum, non loci poſitione ſed neque dignitate huic corporali cœlo eſt præſtantius: ſpirituali autem cœlo intellectuale eſt eminentius.

Caput ſextum Decimum.

Corporalis autem viſio dividitur in duo, in inferinrem & ſuperiorem. Inferior eſt, cùm terram, & quæ in ea ſunt, conſpicimus: ſuperior cùm cœlum & cœli corpora, ſcilicet ſolem, lunam
D. & ſtellas intendimus. Similiter ſpiritualis viſio dividitur in duo, in inferiorem & ſuperiorem. Inferior eſt quaſi terra, cùm anima rerum ſimilitudines imaginatur: Superior quaſi cœlum, cùm imagines per Angelos formatæ demonſtrantur. Nihilo minùs intellectualis viſio dividitur in duo, in inferiorem & ſuperiorem: inferior eſt quaſi quædam terra, dum virtutes in anima gignuntur: ſuperior quaſi ſummum cœlum dùm cuncta in Deo intelliguntur.

Caput

Caput ſeptimum Decimum.

DISCIPULUS. Cùm anima de corpore exierit, utrum fertur ad aliqua loca corporalia, an ad incorporalia, corporalibus ſimilia, an ad aliud quid excellentius? MAGISTER. Ad corporalia loca non fertur niſi cum aliquo corpore, nec localiter poteſt ferri niſi corporaliter: anima autem corpore exuta nullum habet corpus, ergo non fertur ad loca corporalia. Ad ſpiritualia verò loca corporalibus ſimilia, pro meritis fertur, habitura vel gaudia vel ſupplicia. Sicut enim cùm corpori ſubtrahitur, imaginē ſui corporis habere cognoſcitur: B. ſic poſtquam corpore exuta fuerit, ſimilitudinem ſui corporis habere poterit, in qua vel triſtitiâ afficiatur vel lætitiâ fruatur.

Caput octavum Decimum.

DISCIPULUS. Si anima ad loca non fertur, tunc ſequitur, quòd infernus non ſit corporeus, & quid de hac re ſentiendum ſit, dubito. MAGISTER. Si infernus eſt locus tormentorum, in quo C. anima vel cum corpore vel ſine corpore cruciatur, tunc ſeptem ſpeciales inferni reperiuntur. Primus infernus eſt corpus corruptibile, quod animam aggravat, & cum multis doloribus cruciat: patitur namque in eo famem, ſitim, laborem, fatigationem, morbos, dolores, varias infirmitates; ex ejus inhabitatione, irâ, invidiâ, odio, triſtitiâ afficitur, avaritiâ, concupiſcentiâ carnali, vanâ gloriâ vexatur. In hoc inferno ingemiſcit ſe fidelis anima cruciari, & de hoc flebili prece poſtulat deliberari, dicens: educ de carce- D. re animam meam ad confitendum nomini tuo Domine. Secundus infernus eſt hic mundus, in quo cùm corpore anima cruciatur, dum ſe à patria paradiſi exulare lamentatur: patitur autem in eo frigus, æſtum, tempeſtates, peſtilentias, bella, prædas, incendia, damna & varia incommoda. In animo autem affligitur de amiſſione natorum, vel parentum, vel amicorum vel rerum; de contumeliis, de injuriis, de maledictis, de variis adverſitatibus. De hoc inferno anima liberata cantat gratulando: *Eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fæcis.* Tertius infernus eſt cohabitatio invicem ſe odientium: dum vel

A. juſti de cohabitatione malorum, ſicut Loth in Sodomis, cruciantur; vel mali de converſatione bonorum torquentur, cùm à perditis moribus prohibentur. In hoc inferno verbera, vincula, jejunia, vigilias, carceres, beſtias, ignes, varias paſſiones ab invicem patiuntur: in animo, timore, mœrore, anxietate, puſillanimitate, anguſtia, triſtitia conſumuntur; hujus inferni pœnis affici dolet qui teſtando clamat: *Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Quartus infernus eſt locus in medio terræ poſitus, igne & ſulphure plenus: hic uſitato nomine dicitur infernus vel ſtagnum ignis & ſulphuris; ad hunc pertinent omnia loca vel in terra vel ſuper terram ardentia. Quintus infernus, cùm anima corpori ſubtracta ad loca ſpiritualia & pœnalia, corporibus ſimilia ducitur crucianda. Sextus infernus eſt, cùm anima corpore penitùs mortuo non corporalia, ſed ſpiritualia corporalibus ſimilia patitur, ſed & dolore, mœrore ac triſtitia afficitur. Hic quia corporali eſt inferior & depreſſior, infernus inferior vocatur; de hoc ſcribitur: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Septimus infernus eſt ignis æternus, in quem anima cum recepto corpore truditur in die judicii cum dæmonibus ſemper crucianda. Utrùm autem hic infernus in hoc mundo, an extra mundum futurus ſit, ignoratur.

Caput nonum Decimum.

DISCIPULUS. Si inferni corporalia loca non ſint, unde ſub terris eſſe dicuntur: vel unde inferni appellantur, ſi ſub terris non ſint? MAGISTER. Ideo ſub terris inferni eſſe dicuntur vel creduntur, quia congruenter in ſpiritu illarum rerum ſimilitudines ſic demonſtrantur: ut quemadmodum caro mortua ſub terra reconditur, ſic peccans anima à carne ſoluta ſub terris in inferos mergi videatur. Ideo autem inferi dicuntur, quia ſicut omnia corporea, ſi ponderis ſui ordinem teneant, inferiora ſunt omnia graviora, ita ſpiritualia omnia inferiora ſunt triſtiora. Hinc eſt quod quidam tantâ triſtitiâ afficiantur, quòd fragile corpus eam capere non poſſit; unde vitam ſuſpendio vel præcipitio vel aliqua vi extorquent. Poſt-

quam

quam anima à corpore excutitur, non in A. aliquo loco retruditur, ſed in immenſum triſtitiæ & doloris barathrum immergitur. Omnis enim locus longitudinem, latitudinem, altitudinem habet, ſed anima dum his omnibus caret, in nullo loco includi valet.

Caput Vigeſimum.

DISCIPULUS. Nonne dives ille fuit in loco tormentorum, & de eo ſcribitur, quia crucior in hac flamma? MAGISTER. Ego puto divitem illum in ſexto, quem dixi, inferno fuiſſe: Dominum autem de quarto, id eſt, de corpora- B. li pœna dixiſſe; ſed quia id quod in re erat, capere non poterant, quaſi de corporali tormento illis narrabat. Verumtamen quomodo intelligenda ſit illa flamma inferni, ille ſinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa ſitis tormenti, illa ſtilla refrigerii, vix fortaſsè à manſuetè quærentibus, nunquam autem invenietur à contentiosè ſcrutantibus.

Caput Vigeſimum primum. C.

DISCIPULUS. Quid de inferis ſentiendum ſit, Deo per te nos illuminante, jam video: quid vero de regno cœlorum credendum ſit, omnino ambigo. MAGISTER. Regnum cœlorum non eſt locus corporalis ſed ſpiritualis, corporali ſimilis: in quo eſt pax & gaudium & ineffabilis lætitia in omnimoda gloria; in quo ſubſtantia Dei, verbum quoque Deus, per quod facta ſunt omnia, in charitate Spiritus ſancti ſicuti eſt, videtur, & beatè fruendo ſine fine habetur. Hoc eſt tertium cœlum, in quo eſt D. paradiſus, in quem raptus eſt Apoſtolus: hoc eſt cœlum in quod aſſumptus eſt Chriſtus; in hoc cœlo ſunt agmina Angelorum, & animæ beatorum, non locali poſitione disjunctæ, ſed miſericordiâ diſponentis pro meritis in gloria diſtinctæ. Et hic ſunt multæ manſiones in una domo Patris, in quibus diſponuntur juſti à juſtitia pro juſtitiæ meritis. Hic eſt ſpei noſtræ exſpectatio, hic laboris retributio.

Caput Vigeſimum ſecundum.

DISCIPULUS. Et quid opus eſt corpus ab animabus recipi, quibus ſine corpore poteſt ipſa ſumma beatitudo præberi? MAGISTER. Quidam naturalis appetitus ineſt animabus adminiſtrandi corpus, quô appetitu retardantur quodammodo ne totâ intentione in id ſummum cœlum pergant; quamdiu non ſubeſt corpus, cujus adminiſtratione appetitus ille conquieſcat: ideo neceſſe eſt, ut corpora ſua recipiant, quæ ſpeciali gloriâ promeritâ Angelis jam adæquentur, & in ſummi cœli viſione, veritatis liberrimâ intuitione ſemper jucundentur.

Caput Vigeſimum tertium.

TUnc quoque tres viſiones non deerunt; quia cœlum novum, & terram novam, & omnia quæ in eis ſunt, nova perſpicuè per corpus videbunt, cùm ſicut ſol fulgebunt. Eadem ſpiritualiter imaginantur; intellectualia in natura integra & beatitudine perfecta, ut verè ſunt, contemplantur. Qui ergò hanc ſcalam ordinatim per gradus ſuos ſcandere potuerit, in tertium cœlum, quo raptus eſt Apoſtolus, pervenire ſe gaudebit. Amen.

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

SCALA COELI MINOR.

SEU

De Gradibus Charitatis Opuſculum.

Ex Codice MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria in lucem aſſeruit Venerabilis D. P. Leopoldus Wydemann.

HONORII SCALA COELI MINOR.

CAP. I.

Scala cœli charitas eſt, cujus gradus diverſæ virtutes.

AD æternam gloriam perveniendi Scala nobis hodie erigitur, per quam à fidelibus cœli culmen attingitur. Hæc enim ſcala eſt charitas, per quam ad cœli faſtigia tendit Eccleſiæ humilitas. hujus verò ſcalæ latera, ſunt geminæ dilectionis ſcilicet Dei & proximi præcepta; ſed gradus, qui his lateribus inſeruntur, ſunt diverſæ virtutes, per quas charitatis præcepta complebuntur; per quos qui ritè ſcanderit, faciem Domini, qui eſt charitas, in jubilo videbit. Quindecim gradus texuntur, quia per quindecim ramos charitatis cœleſtia petuntur: unde & in templo Domini ad Sanctuarium quindecim gradibus aſcendebatur, quia ſcandens in hac ſcala ad cœleſtis templi ſanctuarium, Chriſtum ſcilicet, ſublevatur. Primò quoque quindecim gradus inſcribuntur, quàm hæ virtutes inſtruuntur, per quas æthera à Beatis ſcanduntur. Quindecim autem ſunt ter quinque; nam per fidem ſanctæ Trinitatis debemus quinque ſenſibus noſtris, charitatis opera adimplere.

CAP. II.

Primi tres hujus ſcalæ gradus, Patientia, Benignitas, & Pietas.

PRimus itaque gradus hujus ſcalæ eſt patientia; in qua animas poſſideri docet æterna Dei ſapientia. In hunc gradum ſcandentes greſſum firmamus: Si injuras & contumelias patienter pro Chriſti amore toleramus; qui opprobria & contumelias, flagella & ipſam mortem pró nobis patienter ſuſtinuit, ſe imitantibus præmia permanentis gloriæ reſtituit.

Secundus gradus intexitur benignitas, per quam Angelicæ Societatis acquiritur dignitas; huic gradui greſſum imprimimus. Si pro malis non mala ſed bona retribuimus: & proximis noſtris neceſſaria

A. pro noſtro poſſe benignè impendimus; quia & Chriſtus crucifixoribus ſuis pro malo bonum, ſcilicet æternam vitam per ſuam paſſionem reddidit: quam etiam ſuis imitatoribus tribuit.

Tertius gradus inſeritur pietas, per quam ſupernorum civium adipiſcitur dulcis Societas. In hunc gradum pia mens ſcandens exaltatur, ſed aliorum felicitate non æmulatur. Invidià enim diaboli intravit mors in orbem terrarum, imitantur autem eum qui ſunt ex parte ejus &c.

CAP. III.

Alii gradus ſimplicitas, Humilitas,
B. *Contemptus Mundi, & voluntaria Paupertas.*

QUartus gradus innectitur ſimplicitas, per quam cœleſtis gaudii ſubitur multiplicitas. In hunc gradum pedem ponimus, ſi perperam aut fraudulenter vel perversè non agimus: ut ſi Dei ſervitio nihil ſubtrahimus, & bona opera non favore populi, ſed ſolà cauſâ Dei facimus.

Quintus gradus inditur humilitas, per quam attingitur Angelica ſublimitas. In hunc gradum ſcandens mens ſolidatur, ſi de acceptâ ſcientià non inflatur: dum Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam recordatur.

C. Sextus gradus mundi eſt contemptus per quam ſuperni regni acquiritur concentus. In hoc anima exultat glorioſa, ſi non eſt ambitioſa, ſed potenter ſuſtinet tormenta, nam ſi velit Dominum dicentem audire, amice aſcende ſuperius leve onus Domini non renuat ſubire, & proſit verbo & exemplo fratribus.

Septimus gradus eſt voluntaria paupertas, per quam gloriæ & divitiarum in domo Domini accipitur libertas. In hunc gradum figit hic veſtigia, qui non quærit, quæ (ſua) ſolummodo ſunt, ſed quæ omnibus ſunt utilia, & ad laudem Chriſti pertinentia: & talis ſcandit lætius, quia pavit in dulcedine pauperem Deus.

CAP.

CAP. IV.

Alii gradus Pax, Bonitas, Gaudium Spirituale, Sufferentia.

OCtavus gradus eſt pax, quæ eſt æternæ lucis fax; in hoc gradu mens roboratur, ſi nec verbo nec facto ab aliquo lædatur, & ſi corpus animæ in Dei ſervitio ſubjugatur, & anima ſpiritui concordans Domino Deo jugiter famulatur. In hoc gradu poſiti beati dicuntur, quoniam filii Dei vocabuntur.

Nonus gradus ſcribitur bonitas, per quam introitur cœleſtis vitæ jucũditas. In hunc gradum ſcandit homo, ſi non ſolum non facit, ſed cogitat nec malum.

Decimus gradus eſt ſpiritale gaudium, per quod pertingitur ad Sanctorum contubernium. In hunc gradum lætetur homo ſe conſcendiſſe, ſi non gaudet ſuper iniquitate nec ſuper ruina inimici, nec de malis quæ eveniunt alii: congaudet autem veritati, & omnibus geſtis ad honorem Chriſti, qui eſt veritas & vitæ præmium, & plenum omnium gaudium.

Undecimus gradus locatur ſufferentia, per quam ſupernæ gloriæ adipiſcitur eminentia. Hunc gradum ſcandens animus arripiet, ſi omnia mundi adverſa pro Chriſto ſufferet. In hoc gradu conſtituti beati ſcribuntur, ſi perſecutionem pro juC. ſtitia patiuntur.

CAP. V.

Poſtremi gradus hujus ſcalæ Fides, Spes, Longanimitas, & Perſeverantia.

DUodecimus gradus dicitur eſſe fides, quæ homines efficit angelis concives. Hunc gradum homo greſſu premit, ſi cuncta de Deo & æterna vita piè dicta vel ſcripta fideliter credit: absque fide etenim eſt impoſſibile Deo placere.

Tredecimus gradus eſt ſpes, quæ non confundit præſtolantes ſpiritales res. In hunc gradum pedes mens ſancta levat, ſi omnia bona, de futura vita ſperat.

Quartus decimus gradus ſequitur longanimitas, per quam impetratur Angelorum æqualitas. Hunc gradum quilibet A. ſcandens apprehendet, ſi omnes promiſſiones Dei æquanimiter ſuſtinet. Si onus Dei tamdiu bajulat, quousque veniens ipſe, de ejus collo jugum excutiat, & eum à labore ceſſare, & in requie recumbere faciat.

Quintus decimus gradus & ultimus ponitur pro perſeverantia, per quam paradiſiacæ amœnitatis capiuntur prata vernantia. In hunc gradum mens petens ſe perveniſſe gaudeat, ſi de Dei miſericordia nunquam deſperando excidat: qui usque in finem perſeveraverit, hic ſalvus erit.

CAP. VI.

B. *Hæc ſcala per timorem erigitur, quo ad ſummum perducta charitas ipſa in hæreditatem Domini introducitur.*

ET qui per hos omnes gradus ritè ſcandet, hunc Deus ipſa charitas in cellaria æternæ dulcedinis introducet. Hæc ſcala Domini per timorem erigitur, per quem ad ſummum perducta charitas ipſa, ùt filius, in hæreditatem Domini introducitur: timor verò, ùt ſervus foras ejicitur. Sed duplex diſtinguitur, quidam dicitur ſervilis, alius filialis. Servus quippe timet dominum, ne, ſi peccaret, eum damnaret; filius patrem timet, ne eum exhæredet; timet adultera maritum ne veniat, ſed uxor caſta, ne diſcedat. Per ſervilem timorem peccata declinamus, ne horrendi ſupplicii pœnam incidamus: per filialem tranſacta defleamus, ne gratiâ patris noſtri & æternis gaudiis careamus. Modò cùm charitas mentem poſſedit, ſervilem timorem foras mittit: timor autem Domini ſanctus, ſcilicet filialis, permanet in ſæcula ſempiterna. Jam enim gehennam ùt ſervus peccati non timebit; quia nullum peccatum committere D. quærit: ſed Deo ùt filius per dilectionem in virtutibus adhærebit. Per hos igitur timores Deum & vitam æternam diligamus, & per charitatem omnia bona perficiamus, ut hæreditate Dei ſanctuarium poſſideamus: quæ omnia in nobis perficiat, qui ſemper regnat. Amen.

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

SUMMA GLORIA
DE APOSTOLICO ET AUGUSTO.

SEU

De præcellentia Sacerdotii præ Regno

LIBER.

Ex Cod. MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria, eruente Ven. D. P. Leopoldo Wydemann.

HONO.

by Google

HONORII SUMMA GLORIA DE APOSTOLICO ET AUGUSTO.

PROLOGUS. A.

PUſilli gregis Chriſti duci, verbo & exemplo ad pabula vitæ prævio, Honorius in loco paſcuæ, ubi nihil deerit, à bono paſtore lætari cum ovibus perpetuo. Quia moderamen totius humani regiminis duabus videtur perſonis, regali nempe & ſacerdotali, inniti veluti machina totius univerſitatis duabus columnis ſulciri: injungis mihi, ſermone & ſcientia imperito, pervigil ovilis Chriſti Ductor, ſtylo depromere, B. utrum eædem perſonæ pares ſint in collato principatûs apice, an altera ſit major conſtituenda? quia ſicut magnæ dementiæ eſt hoc grave pondus invalidis humeris velle fulcire, ita videtur ſcelus idololatriæ tibi, in vice Chriſti imperanti, nolle obedire. Sed tolerabilius æſtimo ob benevolentiæ ſtudium me premi judicio imperitorum vel invidorum, quàm ob inobedientiæ torporem ſubrui cenſura ſtudioſorum, vel Chriſti devotorum. Quia igitur plerique nomen ſcientiæ ſibi uſurpant, neſcientes, de quibus loquuntur, vel affirmant, C. atque imperita ſcientia apud indoctas vulgi aures inflantur, ſeque fautores ſæcularium potentatuum jactanter gloriantur, quatenus horum impudentia reprimatur, hic libellus ad honorem Regis veri & ſacerdotis JEſu Chriſti edatur, & quia de Regno & ſacerdotio ejus eſt materia, ſit nomen ejus *SUMMA GLORIA.*

Explicit Prologus.

CAP. I.

Exponitur Status quaſtionis: utrum ſacerdotium Regno, an Regnum ſacerdotio jure, ac dignitate præcedat? Oſtenditur ex figura Abel & Cain, horumque poſterorum, ſacerdotium Regno præcellere.

CUm univerſitas fidelium in clerum & populum diſtribuatur, & clerus quidem ſpeculativæ, populus autem negotiativæ vitæ adſcribatur: & ſæpe hæc prima ſpiritualis, hæc verò ſæcularis nominetur, & iſta de ſacerdotali, illa autem Regali virga gubernetur: ſolet plerumque apud pleroſque quæri, utrum ſacerdotium Regno, an Regnum ſacerdotio jure debeat in dignitate præferri? Ad quod quidem breviter poſſem reſpondere, quòd ſicut ſpiritualis præfertur ſæculari, vel ſicut clerus præcellit populum ordine, ſic ſacerdotium tranſcendere Regnum in dignitate. Sed imperitis, & ſæculari tantùm ſcientia obcæcatis, nil ratum videtur, niſi plurimis ſcripturarum teſtimoniis roboretur. Unde ut hæc quæſtio enucleatius diſcutiatur, radix ſolvendi nexus ab origine mundi diligentiùs inſpiciatur. Primus Adam de munda terra creatus, formam ſecundi Adam cœleſtis geſſit, qui carnem de munda virgine ſumpſit. Adam de conjuge ſua duos filios genuit, quia Chriſtus de ſponſa ſua Eccleſiæ Clerum & populum gignere diſpoſuit

A. Uterque etiam Filius utrumque ordinem ſuo officio prætulit. Abel namque, qui fuit Paſtor Ovium, expreſſit Sacerdotium: in quo paſtoralis cura vigilat, quatenus oves Chriſti à rapidis lupis hæreticæ pravitatis cuſtodiat, qui agnum Sacrificavit, quia Verbum Patris, agnum peccata mundi tollentem præſignavit: cujus ſacrificium Deo acceptabile legitur, quia Sacerdotium ei injunctum à Patre creditur. Qui etiam liberos procreâſſe non ſcribitur; quia Sacerdotium Eccleſiæ á carnali conjugio excluditur: à Fratre occiditur, quia Sacerdotium ſæpè à reg- B. no opprimitur. Cain autem, qui rus coluit, & civitatem condidit, in qua etiam regnavit, typum regni geſtavit. Ad hujus munera Dominus non reſpexiſſe legitur, quia indebitum Fratris officium ſibi uſurpâſſe traditur. Quantâ ergò excellentiâ Sacerdotium regno præmineat, Dominus evidentiſſimè declarat: qui Abel Sacerdotem collaudat & ejus Sacrificium approbat; Cain vero Regem vituperat ejusque munera reprobat. Nec te moveat quod Cain Major natu ſcribitur; quia non priùs Spirituale, ſed car- C. nale prædicatur cùm etiam hic in carne exiſtens à carnalibus prematur, poſtea in Spirituali quiete ſpeciali gloria induatur.

Hic quilibet calumnioſus oblatâ occaſione, elatis ſuperbiæ carnibus me quaſi inermem ventilat, & venenatâ linguâ virus invidiæ evomens inſultando clamitat: Nonne tu de Sacerdotio & regno diſputare inſtituiſti? Cur nunc tergiverſando ad perſonarum qualitatem diverticula facis? Perſona dignitatem non commendat ſed potiùs dignitas perſonam exaltat. Abel non ob Sacerdotium, ſed D. ob vitæ meritùm eſt laudatus. Similiter & Cain non ob regni honorem, ſed ob crudelis vitæ horrorem à Deo eſt reprobatus: ergo Abelis juſtitia Sacerdotii poteſtatem non ampliavit, & Cain malitia regni Majeſtatem non minoravit. Hæc præacuta imperitiæ cornua, crucis cornibus retunduntur, & gladio verbi demetuntur, utque ora loquentium iniqua, hac oppilatione obſtruantur auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti ſacienti fructus ejus; quia ruina eſtis populi, dicit Dominus. Porrò humiles qui verba veritatis intelligere deſiderant, patienter, quæ Deo inſpirante dicuntur audiant. Mos eſt Sacræ ſcripturæ aliquando Officium perſonâ commendare, aliquando Officium perſonâ improbare. Officium perſonâ commendatur, ſicut Apoſtolus Sacerdotium ex perſona Chriſti laudat: *talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus &c.* Perſona officiô commendatur, ſicut per Prophetam Dominus David affatur dicens: *Vade*, inquit, *& dic David duci populi mei, Ego te conſtitui Ducem ſuper populum meum &c.* Item, Officium ex perſona improbatur, ſicut Sacerdotium per Filios Heli pollutum affirmatur. Perſona quoque Officiô reprobatur, ſicut à Domino ad Saul dicitur: *Quia non cuſtodiſti verba mea, abieci te, ne ſis rex.* Legitur ſublimitas Sacerdotii per Abel, Sacerdotium commendatur nec tamen Imperium per Cain vituperatur. Ne autem quis exiſtimet malè viventibus ſanctitatem per Sacerdotium conſerri, Heli Sacerdos reprobatur: & ne quis putet, regni gloriam benè viventibus obeſſe, David Rex collaudatur.

Quali autem prærogativâ Sacerdotium præ regno reſplendeat in ſequentibus ſacra ſcriptura declarat: *ingreſſi ſunt*, inquit, *Filii Dei ad filias hominum.* En poſteri Seth, qui Abel in Sacerdotio ſucceſſit, *Filii Dei* nominantur: poſteri Cain, qui ei in regno ſucceſſerunt, *Filii hominum* appellantur. Sacerdotes quippe in ſacro eloquio nunc Filii Dei, nunc Dij, nunc Chriſti Domini, nunc Angeli ſolent nuncupari. Filii Dei: ut in Deuteronomio, *provocaverunt Deum Filii ſui.* Et in Job: *Quadam die cùm veniſſent Filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino.* Dij: ut in Exodo; *Dijs ne detrahas*: & iterum: *offer Sacrificium Dijs.* Chriſti Domini, ut in David: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Angeli, ut in Propheta: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus quia Angelus Domini exercituum eſt.* Filii autem hominum nuncupantur: qui de terreno regno gloriantur: ergò quantum hæc vocabula, Filii Dei, Dij, Chriſti Domini, Angeli à Filiis hominum differunt, tantùm divina authoritate Sacerdotes in dignitate reges præcellunt.

CAP.

CAP. II.

Idem probatur ex Filiis Noe, & Abraham, inferturque, Regem ſummo Pontifici in divinis, Pontificem Regi in Sæcularibus eſſe ſubjectum.

Sed notandum quod hi quoque in diluvio ſuffocantur, qui *Filii Dei* nominantur: quia nimirum Sacerdotium non ſalvat quos reproba vita damnat. Noë quoque qui arcam diverſis animabus plenam in undis rexit, typum Chriſti geſſit, qui Eccleſiam diverſis generibus hominum repletam, in fluctibus ſæculi regit. Hujus duo Filii, Sem & Japhet, evidentiſſimè Sacerdotii & Regni figuram gerunt, atque Clerum & populum exprimunt. Sem namque à doctiſſimis Melchiſedech fuiſſe traditur, qui Sacerdos altiſſimi ſcribitur: qui etiam Rex Salem legitur quia cujusquam civitatis Rector, ideo tunc Rex dicebatur; hic quoque primogenitus ſcribitur, quia ab hoc verum Sacerdotium inchoâſſe dicitur. De Japhet autem Romanum imperium proceſſiſſe invenitur. Porro tertius Filius, qui duorum fratrum ſervitio addicitur, populus Sacerdotio & regno ſubjectus accipitur, & judaicus populus utrique ſerviens intelligitur. Qui etiam Filius Patris verenda deridet, quia judaicus populus Chriſti humanitatem, vel vulgus Prælatorum fragilitatem remordet. Quantâ itaque dignitate Sacerdotium à regno differat, divina vox per Noë manifeſtat? *dilatet*, ait, *Deus Japhet, habitet in Tabernaculis Sem.* Romanum quippe regnum à Japhet deſcendens quanquam toto orbe dilatatum, tamen habitat in Tabernaculis Sem, id eſt, in Eccleſiis Sacerdotum; quorum Cainan eſt ſervus, quia judaicus populus Sacerdotio & regno jam privatus Chriſtianus volens nolensque ſubjectus eſt.

Nec ſilentio prætereundum, quod de Semine Cham, Nemroth gigas deſcendit, qui turrim Babel conſtruxit contra Deum, in qua primus in mundo Tyrannidem arripuit: primus idola colere docuit. De cujus ſtirpe Ninus proceſſit qui primus Sceptra Monarchiæ ſibi uſurpavit, & utriusque gentem, Sem ſcili-

A. cet & Japhet, virtute ſubjugavit. Quem adhuc imitantur Tyranni, qui jura regni indebitè arripiunt, & Clerum ac populum crudeliter premunt. Et quia hujus Nini ſucceſſorumque ejus principatus divinâ authoritate non fulcitur, ideo non regno, ſed tyrannidi adſcribitur. Ideo etiam Abraham ejusque cognatio ei ſubdita non fuit, ſed potius divinô juſſu ejus dominium fugit: atque in terra poſteris ſuis danda electum Dei populum ut Sacerdos docuit, ubi quoque non regibus ſerviſſe, ſed potius reges leguntur ei ſæpius ſupplicâſſe.

B. Ab hoc quia fidelis populi regnum & Sacerdotium exordium ſumpſit, duos filios in Figura habuit: ex quibus Iſaac Sacerdotium expreſſit, dum Filium quaſi Pontifex benedixit; Iſmael verò regnum prætulit, qui ſe venandi Studio exercuit. Qualis ergo differentia fuit inter Iſaac, qui hæres patris Scribitur, & Iſmael qui ejectus legitur, talis diſtantia inter Sacerdotium & regnum divinâ authoritate eſſe cognoſcitur. Unde ſicut tunc Iſmael perſequebatur Iſaac, ita adhuc regnum perſequitur Sacerdotium.

C. Iſaac etiam à Patre oblatus, formam geſſit Chriſti qui à Patre ſuo pro nobis eſt immolatus. Hujus duo Filii non Solum Sacerdotium & regnum figuris expreſſerunt, verùm etiam ipſis actibus geſſerunt. Nam dum Jacob ſuper lapidem ſacrificium obtulit, maniſeſtiſſime Sacerdotium geſſit: Eſau verò regnum prætulit, dum duodecim duces de ſua ſtirpe protulit. Sed quantum Officium Jacob, Officium Eſau præcellat, divina vox in benedictione Patris declarat: *Serviant tibi*, inquit Pater ad Jacob, *populi & adorent te tribus; eſto Dominus Fratrum tuorum, & incurventur ante te Filii Matris tuæ.* Idem

D. quoque ad Eſau: Dominum tuum illum conſtitui & omnes Fratres ejus ſervituti illius ſubiugavi: *Vives*, inquit, *gladio & Servies Fratri tuo.* Et cùm adhuc in utero Matris geſtarentur, à Domino dicitur: *Major ſerviet Minori.*

Quid amplius quærimus? Quid poteſt manifeſtius dici? Quis demens contraibit divinæ authoritati? En quantâ voce præcipitur numeroſitati laicorum, ut ſerviant devotioni Clericum; igitur ſi Ruſticus jure ſerviet Diacono; tunc jure miles

miles Presbytero: & ſi miles presbytero, A. tunc Princeps Epiſcopo, & ſi Princeps Epiſcopo, tunc juſtiſſimè Rex, qui utique eſt de numero laicorum? ſubjectus erit Apoſtolico. Sed garruli fortaſſis tumido faſtu contendunt, Regem non eſſe de numero laicorum, cùm oleo ſit unctus ſacerdotum. Hos manifeſta ratio inſenſatos deridet, & imprudentium hominum ignorantiam perſpecta veritas obmuteſcere faciet. Aut enim Rex eſt laicus, aut clericus? Si non eſt laicus, eſt clericus: & ſi eſt clericus, tunc aut eſt oſtiarius, aut Lector, aut Exorciſta, aut Acolythus, B. aut Subdiaconus, aut Diaconus, aut Presbyter, aut Epiſcopus. Si de his gradibus non eſt, tunc clericus non eſt. Porrò ſi nec laicus nec clericus eſt, tunc Monachus eſt: ſed Monachum eum eſſe excuſat uxor & gladius. *Non enim ſine cauſa gladium portat; vindex eſt enim iræ Dei in hoc ipſum conſtitutus*; ſed nec Monacho, nec etiam clerico licet arma portare. Igitur cùm evidenti ratione ſit laicus, & ſacerdos per officium ſacerdotale omnibus laicis ſit præfectus, oportet, ut per omnia ſummo ſacerdoti, utpote capiti Eccleſiæ in Di- C. vinis ſi ſubjectus: & econtra ſummus ſacerdos cum omni clero in ſæcularibus ipſi Regi tanquàm præcellenti eſt ſubjectus. ſicque hi duo Principes populi honore ſe invicem prævenientes, vero Regi & ſacerdoti Chriſto firmiter inhærentes cum ipſo perenniter regnabunt.

CAP. III.

Quanto honore apud Iſraelitas, eorumque Reges, ipſoſque Gentiles ſacerdotium fuerit.

SEd jam Moyſes cum lumine legis ad medium veniat, & caliginem ignorantiæ de mentibus noſtris penitùs excutiat. Hic populum Dei de Ægypto educens legem & jura ei ſtatuit, & ad hunc gubernandum non Regem; ſed ſacerdotem conſtituit: ab hujus quoque fratre Aaron legale ſacerdotium ſumpſit exordium.

A tempore itaque Moyſis uſque ad tempora Samuelis populus Dei non Regibus, ſed ſacerdotibus regebatur, & judices, qui populo in ſæcularibus præeſſe videbantur, per omnia ſacerdotum Decretis moderabantur. Cùm autem populus recuſaſſet ſacerdotalem ferre manſuetudinem, & regalem decreviſſet experiri magnitudinem, Samuel Propheta & ſacerdos juſſu Divino unxit eis regem, regnique mox conſcripſit legem. Qui Rex Samueli in omnibus parebat, in his quæ Divinæ legi congruebant: ſimiliter & Samuel regi obaudiebat in cunctis, quæ ad jus regni pertinebant. Prophetæ etenim ſacerdotes cenſebantur, ùt & ſæpiùs ſacrificaſſe narrantur. poſtquam autem idem Rex & ſacerdotale officium ſibi, ſacrificando, vendicabat, confeſtim eum divina cenſura à regno reprobabat.

David enim bonus, & omnis Regum ſucceſſura ſeries ſuper Juda vel Iſraël à Prophetis vel ſacerdotibus, quod penè idem erat, in regnum eligebantur, & inungebantur: & tamen penè omnes eisdem in divinis ſubjecti memorantur, & ipſi econtra eos in ſæcularibus ſubditi venerabantur. Denique David Rex Nathan, & Prophetis præcipientibus parebat, increpatus ab eis humiliter audiebat. Salomon Propheta ſapientiſſimus, Rex potentiſſimus, mirô decore, & mirificè ſacerdotium exaltavit, maximâ veneratione honoravit, maximis beneficiis ditavit. Alii quoque Reges Prophetas, & ſacerdotes Domini & coluiſſe, & eis in ſpiritualibus ſubditi fuiſſe inveniuntur: ſicut Ezechias Iſaiam coluiſſe, Achab peſſimus & idololatra Eliam, quamvis ab eo graviter increpatus, cum maximo honore habuiſſe. Joas Eliſæo, Joſias Jeremiæ ſubditi fuiſſe leguntur. Et quamdiu Reges ſacerdotes, ſuos ſcilicet conſecratores, honorabant, Prophetas ùt Doctores ſuos au- D. diebant, tamdiu ipſi in gloria ſtabant; poſtquam verò ſacerdotes ſpreverunt, prophetas occiderunt, mox à regno ſunt pulſi, & cum dedecore in nationibus diſperſi.

A tempore autem Babylonicæ migrationis ſoli ſacerdotes populum Dei regebant, quia regnum ex toto defecerat: uſque dum de tribu Juda in carne adveniret, cui & ſceptrum regni, & ſacerdotium repoſitum erat. Igitur frequenter eſt regnum immutatum, ſacerdotium manſit ſemper inconcuſſum, licèt aliquando perturbatum.

Ut quid memoro reges divini cultus ſacerdo-

cerdotes honoraſſe, cùm ſacræ literæ tradant, etiam Gentiles ſuos ſacerdotes per maximè coluiſſe. Moyſe namque atteſtante, cùm Ægyptii terram ſuam fame cogente venderent, ſeque ipſos quoque in ſervitutem Joſeph redigerent, ſoli ſacerdotes ſua vendere non cogebantur; quia eis publica ſtipendia à Regis horreo præbebantur. Sed & omnes hiſtoriæ gentilium narrant, Reges honoraſſe ſuum ſacerdotium: ita ut quidam Conſules vel Imperatores legantur idem expleviſſe. Hæc jam ſufficiant de veteribus, nunc de Chriſtianæ religionis temporibus videamus.

CAP. IV.

Sicut anima dignior eſt corpore, ita regno Sacerdotium, à quo illud jure ordinatur.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, verus Rex & Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech ſponſæ ſuæ leges & jura inſtituit: & ad hanc gubernandam non regnum, ſed ſacerdotium conſtituit. In quo Petrum Apoſtolum præfecit, cui & dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* usque ad id, *ſolutum eſt in cœlis.* Hanc poteſtatem ſacerdotii Petrus à Domino accepit, hanc ſucceſſoribus ſuis reliquit. Sicut ergo à tempore Moyſi usque ad Samuelem ſacerdotes populo Dei præfuerunt ita à tempore Chriſti usque ad Silveſtrum ſoli ſacerdotes Dei Eccleſiam rexerunt. Quæ ab eis, optimis moribus & legibus optimè inſtituebatur, ad æternam patriam egregiè erudiebatur: à Regibus verò undique impugnabatur, qui eam à cultu veritatis modis omnibus avertere, & ad culturam Dæmonum convertere, imò compellere nitebantur. Poſtquam autem lapis de monte ſine manibus abſciſſus, ab ædificantibus murum iniquitatis quidem reprobatus, à Deo autem electus & in caput anguli levatus, in montem magnum excrevit, & univerſam terram ſua magnitudine implevit: mox mutavit tempo-

A. ra & tranſtulit regna; cœpit quoque altitudo regni coram Chriſto pedibus incurvari, ac faſtigium imperii in conventu Eccleſiæ inclinari. Perſecutionis nempe tempus Deus pacis, ſacerdos magnus tempore pacis permutavit: ac rebelle imperium paganorum Rex magnus ſuper omnes Deos tranſtulit in regnum Chriſtianorum.

Conſtantinus itaque Princeps Principum regni per Sylveſtrum Principem ſacerdotum Eccleſiæ ad fidem Chriſti convertitur, & totus mundus novo ritu Chri-
B. ſtianæ religionis induitur. Qui Conſtantinus Romano Pontifici coronam regni impoſuit, & ut nullus deinceps Romanum imperium abſque conſenſu Apoſtolici ſubiret, imperiali authoritate cenſuit. Hoc privilegium Silveſter à Conſtantino accepit, hoc ſucceſſoribus ſuis reliquit. Cùmque ſacerdotii cura & regni ſumma in Silveſtri arbitrio penderet, vir Deo plenus intelligens rebelles ſacerdotibus non poſſe gladio verbi Dei, ſed gladio materiali coërceri, eundem Conſtantinum aſſumit ſibi in agri-
C. cultura Dei adjutorem, ac contra Paganos, Judæos, hæreticos Eccleſiæ defenſorem: cui etiam conceſſit gladium ad vindictam malefactorum, coronam quoque impoſuit regni ad laudem bonorum.

Ab hinc mos cæpit Eccleſiæ reges vel judices propter ſæcularia judicia habere: qui paganos Eccleſiam infeſtantes, vel alios ejus hoſtes eam impugnantes acriter propulſarent: intùs verò Divinis legibus rebelles pœnarum terrore Eccleſiæ ſubju-
D. garent. Ad reges ergo pertinent ſola ſæcularia iudicia. Unde cum quidam Epiſcopi Coëpiſcopos ſuos in cauſam coram Conſtantino Imperatore ponerent, ille ſciens, ad jus ſuum non pertinere, reſpondit: Ite, quia Chriſti eſtis, & ipſi de hac re inter vos videte, ego non ero Judex veſter.

Igitur ſicut anima dignior eſt corpore, quæ illud vivificat, & quantum dignius eſt ſpirituale quàm ſæculare, quod illud vivificat, tantùm ſacerdotium dignius eſt regno, quod illud conſtituens ordinat. Hinc quæritur à quibus hæ pet-

ſpectant, Deo placere. Sic Sebaſtianus A. beatiſſimus & verus Dei cultor Diocletiano & Maximiniano, paganis licèt imperatoribus, in ſæcularibus fidelis exſtitit: in ſpiritualibus uni Deo, Creatori omnium placere ſtuduit. Sic & inclytus Mauritius eum ſuo exercitu eisdem Imperatoribus auxilium contra hoſtes regni præbuit; eùm verò contra religionem Chriſtianam agere ab eisdem cogeretur, facere renuit: quia didicerat ſcriptum: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Beatus quoque Petrus Apoſtolus hortatur honorem deferre regibus: *Deum*, inquit, *ti-* B. *mete, regem honorificate.* Et iterum: *Subditi eſtote omni creaturæ humanæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* In quibus verbis conſiderandum eſt, quia Reges & Judices ob ſolam vindictam malorum conſtituuntur, qui laudem ferre bonis dicuntur. Juſti enim Reges & judices ſolos impios & iniquos puniunt; juſtos, autem & bonos laudibus extollunt. Beatus etiam Paulus ad ſubjectionem Principum hortatur dicens: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et ne putes, poteſtates per homines C. caſu conſtitui, ſubjungit: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Quia verò aliquando propter peccata populi mali judices conſtituuntur, ſicut in Job legitur. *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Aliquando autem ob merita quorundam juſti præficiuntur, addit; *quæ autem ſunt. à Deo ordinatæ ſunt.* Et ne putares, bonis quidem obediendum, malis autem reſiſtendum, adhuc proſequitur: *itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et quia judices ad malos tantùm reprimendos, imò puniendos præficiantur. pa- D. tenter ſubdidit: *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bene fac, & habebis laudem ex ipſa.* Eadem & Petrus dixit.

Adhuc verò Paulus regis vel judicis exequitur officium dicens: *Dei Miniſter eſt tibi in bonum; ſi autem malè feceris. time. Non enim ſine cauſa gladium portat*; ſed ideo, ſubaudis, malos puniat. Dei etiam Miniſter eſt, vindex in iram qui malè agit. Quid poteſt apertiùs dici? Rex eſt Miniſter Eccleſiæ, ut rebelles comprimat: vindex eſt iræ Dei, ut impios puniat. Deus namque non præfecit primum hominem hominibus, ſed beſtiis & brutis animalibus: quia his, qui irrationabiliter. & beſtialiter vivunt, judices tantùm prælati ſunt, quatenus eos revocent per timorem ad inſitæ manſuetudinis humanæ tenorem. Unde idem Deus per Noë, Sem & Japhet, peccantis filii poſteritati præfecit; quia nimirum peccantes ſacerdotio & regno ſubjecit. Unde & in Evangelio eùm diſcipuli dixerant Domino: *Ecce duo gladii hic*, hic verba horum ſuâ authoritate roboravit: quia ad regimen Eccleſiæ in præſenti vita duos gladios neceſſarios præmonſtravit; unum ſpiritualem ſcilicet verbi Dei, quô ſacerdotium utitur ad illuminandos peccantes: alterum materialem quô regnum utitur ad puniendos in malis perdurantes. Neceſsè eſt enim ut hos regalis poteſtas ſubigat gladio materiali, qui legi Dei rebelles non poſſunt corrigi ſtola ſacerdotali.

CAP. VI.

Reges ſedi Romanæ non obedientes patienter quidem tolerandi ſunt, ſed ab eorum communione declinandum. Nec horum eſt Eccleſiaſticas dignitates, ſed ſæculares dare.

Quæritur autem, utrum ſit in omnibus obediendum, an aliquando reſiſtendum? ℞. Dum ea præcipiuntur, quæ ad jus regni pertinent, eſt eis utique parendum: ſi autem ea, quæ Chriſtianæ religioni obſunt imperant, obſiſtendum. Leguntur quippe olim Chriſtiani milites ſub paganis regibus contra hoſtes regni militâſſe, & tamen cultum Chriſti non deſeruiſſe: à cujus cultura ſi avocabantur, mox Deo magis quàm hominibus obediendum, etiam ipsâ morte teſtabantur. Nam & Joannes, & Paulus juſſu Conſtantini Chriſtianiſſimi Imperatoris cum Gallicano patritio adhuc pagano adverſus hoſtes Romani Imperii profecti ſunt: à Juliani autem Apoſtatæ palatio penitus diſceſſerunt. Igitur ſi Rex Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt caput, & mater omnium Eccleſiarum, ùt filius ab ea coronatus, & Miniſter Dei, ac vindex iræ Dei, obediens exſti-

exſtiterit, & populum Chriſtianum ad le- A. ges divinas ſervandas conſtringens, à paganis, judæis, hæreticis defenderit, ei per omnia ab omnibus obediendum erit. Si autem Romanæ & Apoſtolicæ ſedi rebellis exſtiterit, quam Rex regum & Dominus dominantium caput Eccleſiæ eſſe voluit, & quæ ipſum in caput gentium conſtituit; vel in aliquam hæreſim declinando ùt Conſtantius & Valens, Eccleſiam vexaverit: vel à fide apoſtatando ùt Julianus eam perſecutus fuerit: vel per Schiſma ùt Philippicus eam in partes diviſerit, hic, inquam, talis patienter quidem eſt tolerandus, ſed in communione B. per omnia declinandus: quia non eſt Imperator ſed Tyrannus. Hujuſmodi imperium Martinus renuit dicens: Chriſti ego ſum miles, pugnare mihi non licet.

Sed ſunt quidam qui ſe ſapientes eſſe dicunt, ſed ſtulti facti ſunt, qui audent affirmare: quod Regibus liceat Epiſcopatus, vel Abbatias vel reliquas dignitates dare. Dicunt enim: Rex ſacro oleo ungitur, clero & populo præficitur, igitur utriusque dignitates jure dare convinci- C. tur. Horum falſiſſima affirmativa ſubruitur veriſſimâ negativâ: eorumque negatio ſtatuitur veritatis affirmatione. Ego ergo percontor hos Epiſcopatus, Abbatiæ, Præpoſituræ utrùm ſint ſpirituales dignitates, an ſæculares? Reſpondebunt: Spirituales, niſi ſint dementes. At Ego: Rex eſt ſpiritualis dignitas an ſæcularis? Sæcularis, inquiunt. Ergò ſpiritualis dignitas nihil pertinet ad ſæcularem perſonam. Adhùc ego ſciſcitor ab eis: licet Regi Miſſam celebrare nec ne? minimè, inquiunt. Quare? quia non eſt ſacerdos, D. ajunt. Et ego: Si ideo ei non licet celebrare miſſam, quia ſacerdos non eſt, ergò nec Eccleſiam, in qua Miſſa celebratur, licet ei dare, quia laicus eſt. Igitur quia Rex laicus eſt, & ſæcularis, & gladium ad vindictam malefactorum portans, & per ſacerdotale officium vindex iræ Dei conſtitutus eſt, & populo in ſæcularibus tantùm prælatus, omni ratione repugnante non debet nec poteſt Epiſcopatus vel Abbatias vel Præpoſituras, quæ ſpirituales dignitates ſunt, dare. Sæculares verò dignitates tamen, ſicut ſunt Ducatus, præſidatus, comitatus, debet & poteſt dare: ſola autem Eccleſia debet ſpiritualia ſpiritualibus perſonis commendare. Unde ſacri Canones præcipiunt, ut ſi quis per ſæcularem poteſtatem ad canonicam dignitatem intervenerit, deponatur. Jojada quippe ſacerdos Regem Joas conſtituiſſe legitur; nunquam Rex ſacerdotem conſtituiſſe reperitur. Quod ſi objicitur, quod Jonathas ab Alexandro rege pagano, & Simon frater ejus à Demetrio nihilominus pagano ſacerdotium ſuſceperint. Sciendum eſt, quòd ipſi ſacerdotes erant, & à ſtirpe ſacerdotali deſcenderant: ſed officio ſuo, bellis incruentibus, privati erant, ab iſtis autem officium ſuum ſolito more explere poteſtatem ſuſceperant; ergo hæc permiſſio non datio erat.

Porro ſi objicitur, quod in tripartita hiſtoria legitur, quòd Valentinianus Imperator ad Ambroſium dixerit: ego tibi commendo corpora, Deus autem animas. Sciendum eſt, quòd Ambroſius priùs judex provinciæ fuerit; acceptò autem canonicè Epiſcopatu Rex provinciæ curam ei inſuper delegavit. Quem morem adhuc in aliquibus eccleſiis novimus obſervari, nempe Epiſcopum utriusque Epiſcopatus videlicet & ducatus curam gerere: quod tamen ſcimus ſacerdotibus Chriſti minimè congruere, quià *nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis.*

Et ſi adhuc ad memoriam deducitur, quod in vita S. Gregorii legitur; quia Imperator Mauritius præcepit eum conſecrari. Sciendum eſt, quòd Gregorius erat canonicè à clero & populo electus: ſed cum ob pacis & concordiæ gratiam requireretur ſolito more Imperatoris conſenſus, juſſit eum conſecrari, & aſſenſum præbuit ejus ordinationi.

CAP. VII.

Unde pravus mos inoleverit, ut dignitates Eccleſiaſticæ à Principibus conferrentur?

Unde autem hic perverſus mos inolevit, quod Epiſcopatus dantur poteſtate regali, referam, ùt accepi ſtylo veraci. Beatæ memoriæ Leone Papa à Romanis excæcatô atque ab Apoſtolica ſede à tumultuoſo populo propulſatô, ad Carolum Regem Francorum venit, qui eum honorificè ſuſcepit. Hic Carolus contracto exercitu Romam properat, ſeditioſos dignâ

digna ultione puniens, expulſum Papam Papæ ſedi redonat: quem maxime, qui facit res mirabiles illuminat. Et quia tunc Romanum Imperium rectore carebat, quia, ùt traditur, Conſtantinus quintus Imperator manibus iniquorum excœcatus fuerat: Venerabilis Leo Papa Concilio Principum & conſenſu Cleri & populi, Romani Imperii Sceptra Carolo Regi tradidit, Auguſtumque conſecrans, coronam regni impoſuit. Et quia idem Rex Romanam Eccleſiam maximò honore ſublimaverat, ac multis donis & muneribus, inſuper & maximis allodiis ditaverat, cùm eſſet per omnia Catholicus Sapientiâ & morum excellentia Deo & regno digniſſimus, Apoſtolicæ ſedi ſubjectus, omni Clero devotus: Leo Papa tertius de tali ac tanto adiutore gaudens, ei ſoli hoc privilegium conceſſit: ut citra Alpes in partibus Galliæ & Germaniæ ejus vice Epiſcopatus Eccleſiaſtico more inſtitueret. Quod Privilegium etiam ſucceſſores ipſius ab Apoſtolica ſede promeruerunt, quia & ipſi per omnia Romanæ Eccleſiæ devoti extiterunt: qui tamen Sapientes & vita probabiles, & divino officio congruas perſonas elegerunt, & Eccleſiis dignos Paſtores abſque ullo pretio præfecerunt.

Poſtquam verò viri Deum ignorantes, & Eccleſiæ honorem execrantes abſque Romana electione in regnum irruperunt, & ſceleratis ac perditis moribus imperium maculaverunt: hi tales regalem manſuetudinem Neronis more poſtponentes ac tyrannico more in Clerum & populum Dominium violenter, imò crudeliter extendentes, pacem Eccleſiæ & Concordiam populi perturbare, Apoſtolica Statuta ac priorum Regum cœperunt edicta violare. Qui juſtitiam & æquitatem abominantes, civile Bellum, cleri populique diſcordiam, & omnem iniquitatem amantes, perſonas ſuis moribus congruas, juſtitiæ ac legis Dei inſcias elegerunt: quibus contra jus & fas Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras, aliaſque dignitates ſummô pretiô, more Giezi, vendiderunt.

Eccleſia autem videns impios donis ſuis abuti, ac munera ſibi à Chriſto collata à prophanis prophanari, non voluit ultra honorem ſuum alienis dare: ſed ipſa per ſe Filiis ſuis, prout condecet, & expedit, diſpenſare. Sacerdotium autem à regno poteſt opprimi, non tamen poteſt obrui: & ſacerdotes à regno poſſunt interimi; Officium verò eorum non poteſt perimi. Quinimò Dominus Princeps ſacerdotum ſæpius exercet vindictam in præſumptionibus regum. Saul namque primus regum ſacerdotes Domini injuſte occidit: ideo ipſe juſtè occiſus in bello occubuit. Achab Rex Prophetas Domini quoſdam à patria expulit, quoſdam neci tradidit: ideo & ipſe vulneratus morti ſuccubuit. Joas Rex Zachariam ſacerdotem lapidibus obruit; unde & ipſe à propriis ſervis occiſus corruit. Azarias Rex ſacerdotium uſurpavit, ideo mox lepra eum invaſit. Herodes Rex ſacerdotium vendidit, ideo propria manu ſe interemit. Nero Imperator Petrum primum Papam crucifixit: ideo regno pulſus lupis præda extitit. Decius Imperator Sixtum Papam occidere ſecit, unde & ipſe à dæmone obſeſſus periit. Valens Imperator Athanaſium Epiſcopum à ſua ſede expulit ideo ipſe à Gothis incendio interiit. Julianus Imperator ſacerdotes Chriſti perſequitur, unde & ipſe ab hoſtibus occiditur. Theodoricus Rex Papam Joannem occidit, ideo ſubitâ morte ſupplicium æternum ſubiit. Et quid plura? Quotquot Eccleſiæ ſacerdotes perſecuti ſunt, peſſimâ morte exterminati ſunt.

CAP. VIII.

Reſpondetur ad objectionem, ab unctione Regum petitam, concluditurque, & in veteri, & in novo Teſtamento ſemper Regno Sacerdotium anteiſſe.

Quod ſi quis aſtruxerit, has duas perſonas honore ac dignitate pares videri, eò quod hæ ſolæ in lege præcipiuntur oleô ſanctô ungi; ſciendum eſt: quod Rex tantùm oleô, Sacerdos autem Chriſmate ungebatur, & per omnia ſua conſecratio regis unctioni præferebatur; & in hoc etiam differebant, quòd non ſicut Sacerdos à ſacerdote, ita etiam Rex à rege, ſed à ſacerdote etiam ipſo conſecrabatur. Hoc totum in Figura contigit,

git, ſed JEſum Chriſtum, verum Regem A. & Sacerdotem expreſſit: quem Pater Chriſmate, & oleo exultationis, nempe Spiritu ſancto unxit, & in Caput gentium cònſtituit, imò & Angelis & hominibus Dominum præfecit. Qui Rex & Sacerdos, quemcunque ſuæ militiæ adſcripſit, oleo & Chriſmate ungi præcepit: genus regale & ſacerdotale, ac regni ſui hæredes fecit. Hinc eſt, quòd baptizandos oleô & Chriſmate ungimus; quia oleô eos Chriſti regno, Chriſmate autem ip- B. ſius ſacerdotio jungimus: per mitram, quam capiti imponimus, coronam regni exprimimus; per albam veſtem, quâ eos induimus, ſacerdotalem dignitatem innuimus: iterum per mitram, pontificalem infulam notamus, per albam veſtem regalem trabeam demonſtramus. Igitut & in veteri & in novo teſtamento ſacerdotium ſemper regno præferebatur, quando inſuper & regnum per ſacerdotium conſtituebatur.

Jam illos familiariter quæramus, quo- C. rum cauſâ hauc lucubratiunculam ſusceperamus: qui ob pecuniæ amorem, ob laudis favorem, & pro adipiſcendæ ab ipſis Principibus dignitatis alicujus honore A. prædicant indoctis ipſi maximè indocti, ubique in manu Regum omnes dignitates pendere. Hi qui hæc dicunt, aut laici aut Monachi aut Clerici ſunt. Si laici ſunt, tunc ùt inſipientes ſunt irridendi, vel potiùs ùt ignari à ſapientibus corrigendi. Si autem Monachi ſunt, tunc deſipiunt: qui aut veritatem ignorantes errant, aut ſcienter errorem ob avaritiam ſapientes, verum ſe ſcire diſſimulant. Si autem Clerici ſunt, veſani capitis ſunt, B. qui Eccleſiaſtico Ordini jus ab ipſo Domino collatum adimunt: illudque laicali poteſtati conferunt; imò ſe ipſos propria libertate ſpoliant, ac ſervili laicorum ditioni cum Cain ſubjugant.

Igitur horum omnium ſtolidæ aſſertiones à ſenſatis ſunt confutandæ, imò ab omnibus ratione utentibus reprobandæ: cùm regnum ſacerdotio, populus Clero jure ſubiaceat, & ſicut Sol Lunæ, Spiritus animæ, contemplativa vita activæ, ſic ſacerdotium regno præemineat. Sed C. jam calamum de ſacerdotali præconio contrahamus; eique dignis moribus placere ſtudeamus: quatenus ejus aulam, in qua Soli ſacerdotes & Reges erunt, introire valeamus, Amen.

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

LIBER XII. QUÆSTIONUM.

IN QUIBUS PRÆCIPUE QUÆRITUR, NUM SANCTUS ARCHANGELUS MICHAEL BEATO PETRO APOSTOLO, AN PETRUS MICHAELI PRÆCEDAT?

Ex Cod. MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria, exprompſit Ven. D. P. Leopoldo Wydemann.

HONORII

SUMMA XII. QUÆSTIONUM, IN QUIBUS PRÆCIPUE QUÆRITUR, NUM SANCTUS ARCHANGELUS MICHAEL B. PETRO APOSTOLO, AN PETRUS MICHAELI PRÆCEDAT?

PROLOGUS.

THomæ, ſplendore ſapientiæ rutilo, Honorius videre faciem Domini in jubilo. Quæſtionem, ut reor, multis optabilem, nuper à nobis utcunque ſolutam, optimum duxi tuo judicio mittere examinandam.

Duo in itinere caſu convenerunt, quorum unus Canonicus, alter erat Monachus: ineundo quæſivit uterque ab altero, quis, vel unde eſſet? Canonicus dixit: ſe eſſe beati Petri; Monachus vero dixit ſe eſſe ſancti Michaëlis Archangeli; Canonicus dixit, Dominum ſuum digniorem, utpote Eccleſiæ Principem, & cœli Janitorem. Monachus econtra affirmavit, Dominum ſuum celſiorem utpote Angelum, & hunc Paradiſi Præpoſitum. Cumque uterque ſuam partem tali ratione, vel authoritate roboràſſet, quidam ſciſcitati ſunt à nobis, cui eorum palma dari debuiſſet. Quibus tunc breviter viva voce pro tempore reſpondi, ſed ipſis petentibus Scripto totam quæſtionem edidi.

Summa XII. Quæſtionum.

IN hac Evangelica Quæſtione ſolvuntur duodecim Quæſtiones.

I. Quod Deus Pater omnia ſimul in Filio fecit, & quod hic mundus ſenſibilis illius archetypi umbra ſit.

A. II. Quod univerſitas in modum cytharæ ſit diſpoſita, in qua diverſa rerum genera in modum chordarum ſint conſonantia.

III. Quod ſicut nullum genus pro altero, ſed pro ſe ipſo ſit conditum: ita homo non pro apoſtata Angelo, ſed pro ſe ipſo ſit conditus; & ideo ſi nullus Angelus cecidiſſet, homo tamen ſuum locum in univerſitate habuiſſet.

IV. Eſt, quod electi homines non B. pro apoſtatis Angelis ſed pro ſe ipſis in cœlum aſſumantur: reprobi autem, vel Angeli vel homines ut diſſonæ chordæ apto loco ad conſonantiam ponantur.

V. Quod de ſingulis Angelorum ordinibus aliqui ceciderint: & quod electi homines ſtantibus Angelis pro meritis aſſociandi ſint; ſimiliter & reprobi ſingulis ordinibus lapſorum pro meritis aggregandi ſint.

VI. Quod chorus Apoſtolorum Sera- C. phin aſſociandus ſit: & ideo Petrus ſuperior Michaële ſit in cœlo, quem Chriſtus Deus homo Principem Eccleſiæ conſtituit, & cui Roma, quæ eſt caput mundi, primatum obtulit.

VII. Quod homo ſit Angelo dignior, ſed Angelus homine felicior: eo quod Angeli adorent hominem Deum, non homines Angelum Deum.

VIII. Quod in Eccleſia ſint novem ordines juſtorum ſecundum novem ordines Angelorum.

IX. Quod

IX. Quod Deus & Angeli & animæ A. non habeant corpora, ſicut juſtitia & ſapientia; & quod ſola mente videantur.

X. Quod corporalia corporeo viſu, imagines Spiritu, voluntates intellectu diſcernantur, & hoc modo per Angelorum mentem diſcernantur.

XI. Quod Angeli ætherea, Dæmones aëria; homines terrena corpora habeant: & ſicut nos veſtes mutare poſſumus, ita Dæmones ſua corpora in varias figuras transformare, & Angeli ſua, prout velint, valeant permutare.

XII. Quod animabus corpore exutis B. forma corporis adhæreat: & quod Dominus poſt reſurrectionem ſuam ſuum corpus prout voluit, exhibuerit.

CAP. I.

Quæſtio prima: quod Deus Pater omnia ſimul in filio fecit, & quod hic Mundus ſenſibilis illius archetypi umbra ſit.

PLerique arbitrantur, hominem hac ſola causâ conditum, ut per eum inſtauretur lapſus angelorum. Quod ſi ita eſt, neceſſario ſequitur, hominem nunquã fuiſſe conditum, ſi perſtitiſſet in cœlo nu- C. meroſitas Angelorum. Et ſi homo non fuiſſet conditus, nec hic mundus creatus, cujus ipſe Dominus eſt conſtitutus, & qui propter eum creditur inſtitutus. Quod ſi hic mundus factus non fuiſſet, conſequenter nec infernus eſſet, qui utique in hoc mundo eſt poſitus, & in quem truſus eſt diabolus, mox ut à cœlo eſt pulſus; ſive aër iſte, qui eſt pars mundi, in quo adhuc dicitur ſervari usque in diem judicii. Si hoc verum eſſet, tunc falſum eſſet, quod ait Evangeliſta: *Quod factum eſt in ipſo, vita erat*, Vita in Deo eſt Deus, di- D. cente filio Deo: *Ego ſum vita & veritas.* Quod ſi omne quod factum eſt, in Chriſto vita & veritas eſt, & vita & veritas eſt Deus; igitur omnis iſta creatura eſt umbra vitæ & veritatis: & ſicut ſemper fuit vita & veritas, ita ſemper fuit umbra ejus. v. g. Dictamen à me compoſitum, & adhuc non ſcriptum, quodammodo in me vivit, quod quaſi exemplar inſpicio, dum illud in tabulis ſcribo: & illud, quod foris ſcriptum apparet, eſt umbra illius non ſcripti, quod intus latet. Et exterius quidem poteſt redigi in nihilum, interius autem manet incorruptum: ſed intrinſecus eſt ſimplex & uniforme, forinſecus multiplex & varium, ſcilicet in literis & in dictionibus, & in ſyllabis & in caſibus, in temporibus, in ſchematibus, in figuris. Sic univerſa creatura in divina mente concepta eſt ſimplex, invariabilis, & æterna, in ſe ipſa autem multiplex, variabilis, tranſitoria videlicet in generibus, in ſpeciebus, in individuis. Manet autem in æternum qui creavit omnia ſimul: quaſi diceret: Deus Pater filium, id eſt, ſapientiam ſuam ex ſe æternaliter genuit, in quo omnia ſimul fecit.

CAP. II.

Quæſtio ſecunda: quòd univerſitas in modum cytharæ ſit diſpoſita, in qua diverſa rerum genera in modum chordarum ſint conſonantia.

POrrò ante creationem Angelorum ſcribitur: *in principio fecit Deus cœlum & terram.* Ad quid fecit cœlum? ut habitatio eſſet Angelorum. Ad quid terram? Ut eſſet habitatio hominum. Summus namque opifex univerſitatem quaſi magnam Cytharam condidit, in qua veluti varias chordas ad multiplices ſonos reddendos poſuit: dum univerſum ſuum opus in duo, vel duo ſibi contraria diſtinxit. Spiritus enim & corpus quaſi virilis & puerilis chorus gravem & acutum ſonum reddunt, dum in natura diſſentiunt, in eſſentia boni conveniunt. Ipſi ordines ſpirituum reddunt diſcrimina vocum, dum Archangeli Angelos in gloria præcellunt; illos autem virtutes honore tranſcendunt, has verò poteſtates dignitate vincunt, & his Principatus Superiores exiſtunt. Horum gloriam Dominationes ſuperant, ipſæque Thronos in claritate non æquiparant: & hos Cherubim in ſcientia, Seraphin in Sapientia obſcurant. Qui omnes dulci harmoniâ conſonant, dum concorditer ſuum factorem amando laudant: & ſingulis propria gloria ſufficit, nec quis alterius donum concupiſcit. Similiter corporalia vocum diſcrimina imitantur, dum in varia genera, in varias ſpecies, in individua, in formas in numeros ſeparantur: quæ omnia concorditer conſonant, dum legem ſibi inſitam quaſi tinnulos modulis ſervant. Reciprocum ſonum reddunt Spiritus & corpus, angelus & diabolus, cœlum & infernus, ignis & aqua, aër & terra, dulce & amarum, molle & durum, & ſic cætera in hunc modum.

CAP. III.

Quæſtio tertia: quod ſicut nullum genus pro altero, ſed pro ſeipſo ſit conditum; ita homo non pro Apoſtata Angelo, ſed pro ſeipſo ſit conditus: & ideo ſi nullus Angelus cecidiſſet, homo tamen ſuum locum in univerſitate habuiſſet.

ET notandum quod unusquisque in proprio loco fundatur, nec ullum pro alio locatur. In generibus quippe nec avis pro piſce nec piſcis pro beſtia, nec lapis pro arbore ſurgit, nec arbor pro lapide ſuccedit. Similiter in ſpeciebus nec aquila pro Ciconia, nec Palma pro Oliva, nec topazius pro Chryſolitho ſurgit: ita & homo in univerſitate habet ſuum proprium locum, ſicut & Angelus ſuum proprium. Igitur homo non eſt pro Angelo, ſed pro ſe ipſo creatus alioquin majoris dignitatis vermis eſſet, qui proprium haberet, quam homo, qui proprio loco careret; & alterius locum occuparet, ſicque diſſonantia in univerſitate fieret. Sed & Deus improvidus eſſet, qui aliquid in loco alterius poneret. Et quia hoc veritati repugnat, vera ratio probat: ſi omnes Angeli in cœlo permanſiſſent, homo in cœlo proprium locum pleniter habuiſſet. Poſt lapſum quorundam Angelorum tot homines aſſumuntur in conſortium perſiſtentium, quot aſſumendi eſſent, ſi omnes permanſiſſent; inſuper tot, quot inde lapſi ſunt: qui tamen non locum Angelorum occupabunt, ſed proprium locum implebunt.

CAP. IV.

Quæſtio quarta: quòd electi homines non pro Apoſtatis Angelis, ſed pro ſeipſis in Cœlum aſſumantur; reprobi autem vel Angeli, vel homines ut diſſonæ chordæ apto loco ad conſonantiam ponantur.

QUidam namque affirmant, quod pro Apoſtatis Angelis nec alii Angeli nec homines reponantur: ſicut nec pro damnatis hominibus, in Eccleſia alii homines vel Angeli redonantur; ſed ſtantes Angeli in charitate firmati in ſua numeroſitate permaneant: & homines juſti in ſua multiplicatione proprium locum impleant. Deus enim: qui creavit omnia, ut ſint,

A. & nihil de Creaturis ſuis patitur redigi in nihilum, ut non ſit, cùm ſit melius eſſe, quam non eſſe: Angelum & hominem per liberum arbitrium à ſummo bono ad minus bonum declinantes, quaſi chordas in magna Cythara diſſonantes, de loco excellentium tulit, & in locum gravium poſuit: in quo nullam diſſonantiam faciant, ſed univerſitati aptè concinant. Sunt alii qui putant quòd dimidia pars Angelorum ceciderit, & ideo tot homines ad cœlum aſcenſuri ſint, quot Angeli ibi remanſerint. Et quia ſcriptum eſt, Draco

B. caudâ ſuâ traxit tertiam partem Stellarum & miſit eas in terram: ſunt aliqui qui putant, tertiam partem Angelorum corruiſſe, & hanc per electos homines reſtaurari oportere.

CAP. V.

Quæſtio quinta: quòd de ſingulis Angelorum ordinibus aliqui ceciderint: & quod electi homines ſtantibus Angelis pro meritis aſſociandi ſint; ſimiliter & reprobi ſingulis ordinibus lapſorum pro meritis aggregandi ſint.

C. ITem ſunt alii, qui arbitrantur decem ordines Angelorum fuiſſe, & decimum totum corruiſſe, inducti Evangelica parabola, quæ narrat, mulierem decem drachmas habuiſſe, & decimam perdidiſſe: unde adhuc vulgò dicitur, quia decimus chorus Angelorum ceciderit. Nos autem ſacræ ſcripturæ authoritate dicimus novem ordines Angelorum fuiſſe, & eſſe, & de ſingulis ordinibus aliquos corruiſſe. Quod quidam de Angelis ceciderint, teſtatur Joannes in Apocalypſi dicens: *Draco ille magnus, qui vocatur Diabolus &*

D. *Sathanas, projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum eo miſſi ſunt.* Item Dominus in Evangelio: *Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Idem de Archangelis intelligitur: Qui enim in malitia malis Angelis præſunt de Archangelis, fuerunt. De Principibus dicit pſalmus: *Sicut unus de Principibus cadetis.* Item Apoſtolus de Principibus & Poteſtatibus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principatus & Poteſtates, adverſus Rectores tenebrarum harum, contra Spirituales nequitias in cœleſtibus.* Item Apoſt. *Exſpolians Principatus & Poteſtates, trium-*

triumphans eos in ſemetipſo. Item Apoſtolus de aliis ordinibus: *Cum evacuaverit omnem Principatum & Poteſtatem & virtutem & Dominationem.* De Thronis dicit Pſalmiſta: *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis?* Throni ſunt ſedes: ſedes iniquitatis appellati ſunt, qui de Thronis lapſi ſunt. De Cherubin ſcribitur in Ezechiele: *Tu Cherub extentus & protegens in deliciis Paradiſi fuiſti, corruiſti de cœlo.* De Seraphin in Job legitur: *Ipſe eſt principium viarum Dei, & ipſe eſt Rex ſuper univerſos Filios ſuperbiæ.* Hic dixit: *Similis ero altiſſimo.* Eiſdem nominibus perditi homines ſecundùm merita aſſociandi erunt: Electi autem homines ſecundùm merita ſanctorum Angelorum ordinibus aſſociandi erunt dicente Domino: juſti æquales Angelis erunt. Generaliter verò omnes Spirituum ordines Angeli vocantur. Sed attendendum, quod hæc diſputatio videtur eſſe contraria Hieronymo, ſi tamen hujus dicta à nobis rectè intelliguntur. Hieronymus dicit in ſermone: cogitis me o Paula, *de aſſumptione Virginis*, quodam loco ita: ſic itaque ubique confidenter ſancta Dei canit Eccleſia, quod de nullo alio ſanctorum fas eſt dicere & credere; ut ultra Angelorum vel Archangelorum merita tranſcenderit. Iſte verè dicit tranſcendere, cui etiam Gregorius concordare videtur. Aſſerit enim, quod omnis electus ſecundùm differentiam meritorum ſociandus ſit ordinibus Angelorum.

CAP. VI.

Quæſtio ſexta: quod Chorus Apoſtolorum Seraphin aſſociandus ſit, & ideo Petrus Superior Michaele ſit in Cœlo, quem Chriſtus Deus homo Principem Eccleſiæ conſtituit, & cui Roma, quæ eſt caput mundi, primatum obtulit.

Sicut ergò leguntur novem ordines Angelorum, ita in Evangelio à Domino ponuntur novem ordines Electorum: Ex quibus pauperes Spiritu Angelis, mites Archangelis aſſociantur, lugentes virtutibus, eſurientes juſtitiam Potentatibus coæquantur: miſericordes principatibus, mundi corde Dominationibus copulantur, pacifici Thronis aggregantur: perſecutionem patientes propter juſtitiam Cherubin; maledicta, opprobria, A. mendacia propter Filium hominis ſuſtinentes, Seraphin in Gloria comparantur. Apoſtoli autem quos ſummus Dominus de hominibus elegit, & Eccleſiæ Sponſæ ſuæ præfecit, ſummum Chorum Angelorum ſcilicet Seraphin intrabunt: quia ipſi pro nomine JEſu flagellati, contumeliamque paſſi, gaviſi ſunt. Igitur Quantum ordo Seraphin precellit dignitate ordinem Archangelorum, tantum præcellit Petrus Princeps Apoſtolorum Michaëlem unum de ordine Archangelorum. Hinc eſt, quòd Roma caput mundi Petro Apoſtolo, non Michaëli Archangelo B. primatum regiminis obtulit: & univerſa Eccleſia per orbem non Solum in privatis locis, ſed etiam in præcipuis urbibus Epiſcopalem ſedem Petro contulit.

CAP. VII.

Quæſtio ſeptima: quod homo ſit Angelo dignior, ſed Angelus homine Felicior, eo quod Angeli adorent hominem Deum, non homines Angelum.

Et cùm homo tantâ gloria per hominem ſit exaltatus, quæritur. Quis C. dignior ſit, homo an Angelus? R. Abſque dubio: homo eſt dignior, licet Angelus ſit felicior: quia homo in Chriſto eſt Deus, quod non eſt Angelus; & Angeli adorant ſupra ſe hominem Deum, non homines Angelum. Angelus eſt felicior, quia ſemper in beatitudine manſit: homo autem dignior, quia in miſeria poſitus, contra vitia & Dæmones pugnans, virtute beatitudinem promeruit, quam Angelus per gratiam Dei non amiſit. Et Angeli adminiſtratorii Spiritus dicuntur quia ſalus æterna hominibus per Chriſtum danda, per eos Adminiſtratur: ſicut Lex per Miniſterium Angelorum ſcripta D. traditur, & Oracula Prophetarum per eos Adminiſtrata creduntur. Hi non ſolum homini Chriſto ſed & Apoſtolis miniſtrabant, cùm eos de vinculis vel de carcere ſolvebant. Igitur homo per Chriſtum præcellit Angelum dignitate; at Angelus per Deum præcellit hominem felicitate.

CAP. VIII.

Quæſtio octava: quod in Eccleſia ſint novem ordines juſtorum ſecundùm novem ordines Angelorum.

Et quia beatis hominibus repromittitur æqualitas Angelorum; ideo Eccle-

Eccleſia diſtinxit ordines fidelium ſecundùm ordines eorum, ſcilicet in Patriarchas, in Prophetas, in Apoſtolos, in Martyres, in Confeſſores, in Monachos, in Virgines, in Viduas, in Conjugatos. Similiter & Officia illorum in novem diſcrevit videlicet in laicos, in oſtiarios, in Lectores, in exorciſtas, in Acolythos, in ſubdiaconos, in Diaconos, in Preſbyteros, in Epiſcopos.

CAP. IX.

Quæſtio nona: quod Deus, & anima, & Angeli non habeant corpora, ſicut juſtitia, & Sapientia, & quod ſola mente videantur.

SEd hoc à quibusdam quæritur, quali formâ credantur Angeli eſſe, qui leguntur ſæpè hominibus apparuiſſe? Quibus reſpondemus: Omne quod eſt, aut Spiritus eſt, aut corpus. Corpus habet tres dimenſiones, longum, latum, altum: hæc tria præſtant formam omni corpori. Spiritus autem non habet longum, nec latum, nec altum. Igitur nullam formam Deus & Angelus habent Evangelio teſtante: *Deus Spiritus eſt*: Ergò Deus formam non habet. Quod vero Apoſtolus ait; *Cùm in forma Dei eſſet*, formam pro eſſentia poſuit. Et Angeli Spiritus ſunt, pſalmiſta dicente, *qui facit Angelos ſuos Spiritus*; ergò & ipſi formâ carent. Sed & animæ juſtorum Spiritus ſunt ſcriptura clamante, & dicente: *Spiritus, & animæ juſtorum benedicite Domino*: animæ pertinent ad vitam & ſenſum, Spiritus ad rationem & intellectum; ergo nec ipſi formam habent. Ita autem eſt intelligendum de Spiritibus, ſint de virtutibus, ſcilicet de juſtitia, de Sapientia, &c.

CAP. X.

Quæſtio decima: quod corporalia corporeo viſu, imagines Spiritu, voluntates intellectu diſcernantur &c.

SEd dicit aliquis: Quomodo Spiritus perſonaliter accipiuntur, ſi nullâ formâ circumſcribuntur? Sciendum eſt, quod tribus modis videmus, viſu corporali corpora, Spiritu imagines, mente cogitationes vel voluntates noſtras. Hoc tertio modo videmus Deum & Spiritus. Et ſicut viſu corporis, corpus hominis à corpore equi cernimus, & ſicut Spiritu immaginationem viri ab imaginatione mulieris ſequeſtramus, & ſicut mente ſcientiam Grammaticæ à ſcientia Dialecticæ ſeparamus: ſic perſonas Spirituum intellectu diſcernimus.

CAP. XI.

Quæſtio undecima: quòd Angeli ætherea, dæmones aërea, homines terrea corpora habeant, &c.

ANgeli quoque habent corpora æthérea, Dæmones aërea, homines terrea: & ſicut homines poſſunt ſua corpora decolorare, videlicet dealbare, & denigrare aut aliqua veſte contegere: ita poſſunt Dæmones ſua corpora in varias formas transfigurare, aut ſplendida ad decipiendum, aut tetra ad terrendum demonſtrare; Apoſtolo dicente: *Ipſe Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Et ut nos pro voluntate veſtes de illis vel de iſtis animalium velleribus induimus: ſic Dæmones nunc illarum vel illarum beſtiarum formas induunt, ſcilicet vel Leonis vel Draconis vel alterius; unde ſcribitur: *Ne tradas beſtiis animas confitentis tibi.* Angelorum corpora ſunt ſimplicia, videlicet ex puro æthere facta. Æther eſt ignis, ſcilicet quartum elementum, non calore, ſed perpetuâ luce ſerenum; unde de creatione Angelorum ſcribitur: *Fiat lux.* In his corporibus nobis apparent: & hæc pro rebus, quas adminiſtraturi ſunt, mutant. Hinc eſt, quòd Michaël armatus Joſue apparuit, cùm populo Dei in adjutorium venit. Gabriel quoque in forma Chryſolithi Danieli apparuit, cùm Chriſti regnum prænuntiavit. Raphaël etiam Tobiæ præcinctus apparuit, cùm Saram à Dæmonio, Patrem à cæcitate liberavit. Naſcente Domino cum lumine apparuerunt, & eò reſurgente vel aſcendente in albis fulſerunt. Mariæ ut Juvenis apparuit Angelus, Cæciliæ verò alis fulgentibus.

CAP. XII.

Quæſtio duodecima: quòd animabus corpore exutis forma corporis adhæreat, & quòd Dominus poſt reſurrectionem ſuam ſuum corpus, prout voluit, exhibuerit. Reſolvuntur objectiones adverſus dicta.

SEd & animabus corpore exutis forma corporis adhæret, in qua videri ſolent. Et

Et hoc notandum, quòd Dominus A. etiam poſt reſurrectionem ſuam corpus ſuum transformaverit prout voluit: ideo à diſcipulis cognoſci non potuit, à quibus aliquando ſubitò evanuit. Hæc de ſpiritibus ſufficiant. Superiùs dictum eſt, quòd homo pro apoſtata Angelo non reponatur, ſed pro ſe ipſo in cœlum, id eſt, in beatitudinem aſſumatur. Sed quia hoc durius quibuſdam dictum videtur totâ ſcripturâ clamante, numerus Angelorum electis hominibus redintegrandus, enucleatiùs ratione duce elucidetur. Si omnes in mundo unô tempore ſimul hunc ſolem aſpicerent, ſinguli eorum totum illum viderent, nec quisquam inde de lumine ejus videret: quia totus eum reſpiceret. B. Si quis verò oculos clauderet, vel aliquô caſu oculos amitteret, ipſe ſolis ſe aſpectu privaret: alii verò non magis nec minus viderent, quàm ſi ille eum videret. Quod ſi videns de eo vel de alio naſceretur, non pro illo, ſed pro ſe ipſo in univerſitate poneretur: & lumen ſolis non pro cœco, ſed pro ſe ipſo videret, quod nihilominus faceret, ſi ille cœcus non fuiſſet. Porrò ſi ille cœcus de univerſitate tolleretur ita, ut in nihilum redigeretur; aliqua nova perſona, non de huma- C. no genere, pro eo crearetur, hæc forſitan pro eo jure poſita diceretur. Sed cùm cœcus ſuum locum in univerſitate, ſicut videns ſuum, poſſideat, maniſeſtum eſt, quòd videns pro eo locum non teneat, ſed iſte in loco id eſt, in numero non videntinm. Sic & de vita dici poteſt. Omnes quippe homines æqualiter vitâ fruuntur; & nullus pro alio vivit, licèt alius ſit alio ſanior: & hic, qui moritur, vitâ privatur; hic verò qui naſcitur, non pro D. mortuo, ſed pro ſe ipſo vitâ fruitur. Non enim mortuus de univerſitate tollitur, ſed in loco ſive in numero viventium non ponitur. In hunc modum eſt de Deo & Angelis ſentiendum. Scripturâ etenim teſtante *Deus lux eſt & in eo tenebræ non ſunt ullæ.* Et iterum ſcribitur, quòd ſit *ſol juſtitiæ*, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Hic eſt gaudium Angelorum, ùt iſta lux eſt gaudium oculorum: hunc talem omnes Angeli aſpexerunt, & ſinguli pro modo ſuo eum totum viderunt; quidam autem oculos mentis clauſerunt, dum ſe à luce veritatis averterunt, & ſe illo lumine privaverunt. Se verò illô gaudiô privaſſe, fuit à conſortio Angelorum corruiſſe: viſio enim Dei eſt gaudium beatorum. Porro electi homines, qui ipſum gaudium percepturi ſunt, id eſt, qui illud lumen viſuri ſunt, quo ipſi privati ſunt, non pro apoſtatis angelis, ſed pro ſe ipſis illud videbunt: quomodo miſericordes ipſi Deum videbunt, quem nihilominus viſuri eſſent, ſi illi viſione Dei privati non fuiſſent. Non enim poteſtate Angeli de univerſitate penitus tolluntur, ſed in loco gaudentium, vel in cœlo, hoc eſt, Deum æternam lucem videntium videre non conſentur. Ideò autem electi homines pro eis reponi dicuntur, quia illô gaudiô, vel illâ luce fruuntur, quâ illi privantur. Idcirco dixit Dominus homini: *intra in gaudium Domini tui*; quia gaudium Domini, ſubaudi, Chriſti, eſt viſio Patris Dei: in qua omnes beati gaudebunt, quando gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

Sed dicet aliquis: Rege à regno remoto vel defuncto, alius pro eo conſtituitur: ſic Angelo cadente homo pro eo conſtituitur. Hic fallitur: in rebus quippe corporalibus, quod unus habet, alter habere non poteſt. Nam aurum quod ille habet, alter non habet quando iſte aufertur, & iſti datur; hic habet, ille non habet. Rex vivus ſolùm regno potitur, defunctus autem penitùs de rebus humanis tollitur; item hic, qui pro eo conſtituitur ſolus ſceptro inſignitur. In ſpiritualibus autem non ſic: quia eandem virtutem multi ſimiliter habere poſſunt, & eandem Grammaticæ ſcientiam plures habere poterunt. Sic Deum, qui eſt lux, vita & gaudium, Angeli & homines ſimiliter habere poterunt: quem ſoli non habebunt, qui viſum mentis ab eo avertunt. Igitur homines non pro Angelis reſtituuntur, ſed pro ſe ipſis Deo, æternâ luce, æternâ vitâ, ac æterno gaudio perfruuntur.

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

LIBELLUS
OCTO QUÆSTIONUM DE ANGELIS ET HOMINE.

Erutus ex Cod. MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis à Ven. D. P. Leopoldo Wydemann ejusd. loci Bibliothecario.

HONO-

HONORII

QUÆSTIONES OCTO DE ANGELO ET HOMINE.

CAP. I.

Utrum homo crearetur, ſi Angelus in cœlo perſtitiſſet?

DISCIPULUS. Vellem mihi certa authoritate monſtrari, ac firma ratione probari, utrum homo crearetur, ſi Angelus in cœlo perſtitiſſet? cùm enim authoritas cujusdam magni dicat, ut impleretur electorum numerus, homo decimus creatur: videtur ad hoc ſolùm facta multiplicitas hominum, ut impleretur imminuta numeroſitas Angelorum, & ſic conſequenter ruina Angeli fuit cauſa conditionis hominis.

MAGISTER. Nihil eſt aliud authoritas, quàm per rationem probata veritas: & quòd authoritas docet credendum, hoc ratio probat tenendum. Evidens ſcripturæ authoritas clamat, & perſpicax ratio probat: ſi omnes Angeli in cœlo permanſiſſent, tamen homo cum omni poſteritate ſua creatus fuiſſet. Iſte quippe mundus propter hominem eſt factus: mundus autem eſt cœlum & terra, & univerſa quæ ambitu continentur; & valde abſurdum credi videtur, ut ſtantibus Angelis is non crearetur, propter quem univerſitas creata legitur. Ad hunc errorem removendum ſacra ſcriptura, futurorum præſcia, ante creationem Angeli & hominis exorſa eſt dicens: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Ut quid cœlum? Ut eſſet utique habitatio Angelorum. Ut quid terram? Ut videlicet eſſet habitatio hominum. Et huic ſententiæ authoritas illius magni viri, ſcilicet Gregorii, non refragatur, ſed potiùs ſuffragatur: quia nimirum electorum numerus non in ſolis con-

A. ſtitit Angelis, ſed in Angelis ſimul & hominibus, & quia in novem ordinibus Angelorum non erat perfectus numerus electorum, ut hic impleretur numerus, eſt homo decimus ordo creatus. Quòd autem homo cum Angelo ſit creatus, teſtatur ipſe creator Deus loquens ad Job: *ecce Behemoth, quem feci tecum*, quod eſt dicere: quando feci hominem, feci & Angelum. Eſt autem dualis creatio hominis, una in æternitate per prædeſtinationem, altera ſub temporalitate per formationem. De

B. creatione prædeſtinationis ſcribitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinē ſuam.* De creatione formationis ſcriptum eſt: *Formavit Deus hominem de limo terræ & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem. Qui enim manet in æternum*, ait ſcriptura, *creavit omnia ſimul.* Omnia creavit ſimul per materiam, diſtinxit verò ſex diebus per genera, per ſpecies, per formas, per numeros. Illi autem ſex dies non ſunt, ut iſti volubiles, intelligendi, ſed in æternitate fixi, ad quorum exemplar iſti ſunt facti. Et quia

C. Senarius numerus perfectus eſt, ideo ſex diebus Deus omnia feciſſe legitur: ut operatio Dei perfecta inſinuetur; quæ in ſex partes diſtinguitur, ſcilicet in tria elementa & in tria ex his creata. Elementa quippe ſunt ignis, aqua, terra: & de igne creati ſunt Angeli, luminaria & ſydera; de terra verò homines, arbores, herbæ & animantia: de aquis autem piſces & volucres. Eſt autem gemina aquarum natura, una craſſa ſemper terræ adhærens, quæ mare dicitur de qua piſces producti leguntur: altera tenuis à terra ſuſpenſa, quæ

quæ aër dicitur, de qua volucres creatæ noſcuntur. Quòd autem Angelus ſit principium viarum Dei, ſcribitur in Job: homo verò ultima factura Dei legitur. Hinc per illum inchoatio, per iſtum verò conſummatio operum Dei innuitur: cui omnis creatura reliqua ſubjicitur. Igitur ſicut nec Angeli pro perditis hominibus creantur, ita nec homines pro lapſis Angelis creati creduntur, ſed propriô loco gloriæ poſſidendo & decimum ordinem electorum implendo. Ideò autem pro perditis Angelis dicuntur facti, quia in gloriam, de qua ipſi ceciderant, ſunt aſſumendi: quod nihilominus fieret, ſi nullus Angelorum corruiſſet. Et ecce nullus hominum adorat Angelum, multitudo autem Angelorum adorat ſuper ſe hominem Deum, qui omnia in cœlis & in terris reſtauravit: dum hominem de poteſtate Diaboli in terris liberavit, & in cœlis Angelis aſſotiavit.

CAP. II.

Utrum Chriſtus incarnaretur, ſi homo in paradiſo perſtitiſſet.?

DISCIPULUS. Quia rationabiliter eſt probatum, ruinam Angeli non fuiſſe cauſam creationis hominis, nec hominem pro Angelo ſed pro ſemetipſo creatum, vellem item eâdem authoritate, comitante ratione, doceri, utrùm Chriſtus incarnaretur, ſi homo in paradiſo perſtitiſſet? Cùm enim tota ſcriptura clamat, Chriſtum pro humana redemptione in carne veniſſe: putatur nunquam in carne veniſſe, ſi homo non peccaſſet quem redimeret: & ſic videtur peccatum hominis cauſa fuiſſe Chriſti incarnationis. Quod ſi ita eſt, tunc illud peccatum non fuit malum, imò magnum bonum, cujus cauſâ Deus factus eſt homo, conſequenter & homo Deus.

MAGISTER. Peccatum hominis non bonum, ſed maximum malum fuiſſe clamat totus mundus cum multis miſeriis ſuis. Unde enim mors cum tot cladibus regnat in mundo, niſi de peccato hominis? & ideo peccatum primi hominis non fuit, cauſa Chriſti incarnationis, ſed potiùs fuit cauſa mortis & damnationis. Cauſa autem Chriſti incarnationis fuit prædeſtinatio humanæ deificationis: ab

A. æterno quippe à Deo erat prædeſtinatum, ut homo deificaretur, dicente Domino: *Pater dilexiſti eos ante conſtitutionem mundi*, ſubaudi, per me deificandos.

Sicut autem Deus eſt immutabilis: ita & prædeſtinatio ejus eſt immutabilis: oportuit ergò hunc incarnari, ut homo poſſet deificari. Et ideo non ſequitur, peccatum fuiſſe cauſam ejus incarnationis; ſed hoc magis ſequitur, peccatum non potuiſſe propoſitum Dei immutare de deificatione hominis. Siquidem authoritas ſacræ ſcripturæ & manifeſta ratio declarat, Deum hominem aſſumpſiſſe, etiamſi

B. homo nunquam peccâſſet.

Denique provida ſcriptura ante peccatum hominis promittit Chriſtum, dicens: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una.* Hæc Apoſtolus exponit ita, dicens: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ecce adhuc nullum peccatum ab homine committitur, & Chriſti & Eccleſiæ conjunctio in una carne prædicatur. Unde idem Apoſtolus: *Deus*, inquit, *ante mundi conſtitutionem elegit nos in Chriſto.* Chriſtus eſt Deus homo, in quo Deus an-

C. te mundi conſtitutionem prædeſtinatos ad vitam elegit, quia in Chriſto nos deificari conſtituit. Quando enim Deus humanam naturam induit, univerſa humanitas in electis duntaxat in Deum tunc tranſit. Sed & primus Angelus, qui ſimilitudinem Dei ſibi uſurpavit, quam ſolus Filius habuit, dum pulſus de cælo cecidit, Chriſtum Judicem in terra invenit. Adhuc quippe in terræ materie latuit, per quem Pater terram condidit: qui Angelum de cœlo refugum ſub terra mergeret, & hominem humilem de terra ſuper cœlum

D. erigeret. Quòd autem Chriſtus mortuus eſt, qui eſt vita omnium, tres ſtatus ſunt hominis: unus ante peccatum, in quo mori, & non mori potuit; alter poſt peccatum in quo mori neceſſe habuit: tertius, qui erat ei futurus, ſi tentatus non peccâſſet, & adhuc poſt reſurrectionem ſperatur, in quo mori non potuit.

Si ergò Chriſtus in primo ſtatu veniſſet, nec ipſe nec homo unquam moreretur, ſed jam deificatus completo numero ordinis decimi Angelis aſſociaretur: quod utique factum ita eſſet, ſi homo tentatus non peccâſſet. Sed Chriſtus hominem

pec-

peccaturum, & per hoc moriturum præſcius, ideo in ſecundo ſtatu venire & mori voluit: ut hominem de morte redimeret, & ad ſtatum vitæ reduceret. Et ideo dicitur pro humana redemptione veniſſe, quia niſi ipſe moriendo mortē noſtram deſtrueret, nunquam homo poſt culpam ſtatum vitæ reciperet. Igitur Chriſti incarnatio fuit humanæ naturæ deificatio, ejus mors noſtræ mortis deſtructio, ejus reſurrectio vitæ noſtræ reparatio, & hoc modo ſecundum Apoſtolum *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto vivificabuntur.*

CAP. III.

Quomodo Angeli ex igne creati ſint.

DISCIPULUS. Hæc ſolutio mihi probabilis videtur, ubi authoritas rationi, & ratio authoritati patrocinatur. Sed cùm melior ſit Spiritus quàm corpus, miror cur Angelos dixeris de igne creatos. Ignis enim corpus eſt, Angeli verò Spiritus ſunt: & non video, quo modo melius de deteriori creari prædicetur niſi veris aſſertionibus comprobetur.

MAGISTER. Spiritum de corpore creari dicere inſani capitis eſt corpus verò de corporibus vel de elementis dicere creari aſſertio veritatis eſt. Angelici Spiritus, & humanæ animæ, & informis Materia mundi ex nihilo creata ſunt; ex informi autem Materia elementa diſcreta ſunt, dicente ſcriptura: *Qui fecit mundum de informi Materia.* Corpora verò omnia ex quatuor elementis formata ſunt, ſcilicet unumquodque corpus illi elemento ſpecialiter attribuitur, quod in eo plus abundat. Unde dicuntur quædam corpora cœleſtia vel ignea, quædam terreſtria, quædam aquatica, quædã aërea. Animarum corpora ſunt terreſtria, dicente ſcriptura: *formavit Deus hominem de limo terræ*, id eſt, corpus hominis. De anima verò ſubditur: *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, de cujus creatione præmittitur: *fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, id eſt, animam hominis. Deus eſt incorporeus, ita & anima, in qua eſt imago Dei, eſt incorporea. De corporibus animalium dicit ſcriptura: *producat terra jumenta & beſtias in genere ſuo*, ſive corpora jumentorum & beſtiarum. De peſcibus quoque & volucribus dicit: *producant aquæ piſces & volucres in genere ſuo*, intellige, piſcium corpora & volucrium. Aquæ dixit propter geminam naturam aquarum, ſcilicet craſſæ uti maris, tenuis uti aëris. Corpora autem Angelicorum Spirituum ſunt ignea dicente ſcripturâ: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis*; quod eſt dicere, Angelicos Spiritus ex nihilo fecit Deus; corpora verò eorum ex igne creavit. De quorum creatione dicit ſcriptura: *Dixit Deus: Fiat lux*, quaſi dicat de igne fiant lucida Angelorum corpora.

Sicut enim rationalis anima corpore veſtita dicitur homo, ita intellectualis Spiritus corpore veſtitus dicitur Angelus. Angeli non in alienis corporibus, ſed in propriis olim apparuerunt hominibus, quibus locuti ſunt: cum quibus ambulaverunt, cum quibus manducaverunt; quæ omnia hiſtorialiter, non ſpecialiter facta ſunt. Quæ tamen corpora pro diſpenſatione officii ſui in diverſas ſpecies transformare potuerunt: unde aliquando fulgurea facie, aliquando candida veſte ſplendidi viſi ſunt. Et in pleriſque ſanctorum ſcripturis dicuntur Dæmones per aëra diſcurrere. Non enim Spiritus ſine corporibus diſcurrunt, qui illocales ſunt. Et notandum, quòd Geneſis nihil de creatione Spirituum dicit, quia non ſolet de inviſibili natura, ſed de viſibili corporum creatione narrare. Apoſtolus autem clamat dicens: *Sive viſibilia, ſive inviſibilia in cælis & in terris omnia per ipſum facta ſunt.* Inviſibilia ſunt Spiritus, viſibilia verò corpora eorum.

CAP. IV.

Quare creator Deus corpus non de igne, ſed de terra ſumpſit.

DISCIPULUS. In hac ſolutione benè concordat ratio authoritati. Sed cùm terra ſit infimum elementum, & fæx omnium elementorum: ignis verò ſummum & puriſſimum elementum, quid rationis habet, quod creator Deus corpus non de igne, ſed de terra ſumpſit?

MAGISTER. Centrum eſt dignius quam circulus: centrum enim immobile figitur, circulus verò mobilis volvitur.

Terra enim centrum elementorum eſt ſi-xa & ſtabilis: ignis eſt ut circulus motûs inſtabilis. Et licèt omnia elementa in dignitate conditionis ſint æqualia; tamen in figuris ſecundùm naturam centrum habet primatum. Terra eſt centrum mundi, & nutrix omnium animantium: ignis verò peremptor eorum, licèt quædam animalia ſint in igne innoxia, ut fertur de Salamandra.

Sed & terra eſt prima operum Dei dicente Scriptura: *In principio tu Domine terram fundâſti.* Duas rationales Creaturas Deus incorporavit de primo & ſummo elemento, hominem de terra in ſe ipſo deificandum, Angelum de igne in cœlo glorificandum. Unde hæc duo elementa immutabuntur in gloriam filiorum Dei, dicente Scriptura: *Cælum novum & terram novam faciet Dominus*; in qua nova terra corpora hominum duntaxat electorum jam deificata ùt ſol fulgebunt, & corporibus Angelorum æqualia erunt: quæ ùt ſol, qui utique eſt ignis, lucida fulgeſcunt; quando Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ: qui in monte ùt ſol apparuit, cùm in gloria futuri ſtatûs Diſcipulis apparuit. Præterea ſummopere notandum eſt, quòd homines de primo elemento, ſcilicet de terrâ formati peccantes in ſecundo elemento, ſcilicet in aqua ſunt necari: Angeli verò de ſummo elemento, ſcilicet de igne creati, peccantes in ſecundum elementum, id eſt, in aërem ſunt præcipitati. Ambo adhuc in igne damnabuntur, cùm terra in Chriſto & in electis deificata ſuper cœlos exaltabitur.

CAP. V.

Utrum lapſus Angeli ideo irreparabilis fuerit, quia fuit immortalis; hominis contra?

DISCIPULUS. Quorundam aſſertio non videtur mihi probabilis, qui dicunt, quòd Angeli lapſus ideo fuit irreparabilis, quia fuerit immortalis: hominis verò recuperabilis fuit quia mori potuit; cùm Deus nihil niſi ſolam mortem pro reconciliatione utriuſque voluerit? MAGISTER. Hoc nec authoritate pro- A. batur, nec ratione roboratur, præſertim cùm authoritas clamet: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium.* Et iterum per prophetam: *Nolo mortem peccatoris.* Ratio autem non ſinat ullum contrarium ſuo oppoſito jungi: lux enim eſt tenebris oppoſita, quas non recipit ſed repellit; & vita eſt morti contraria quam non eligit ſed potiùs extinguit. Mors quippe eſt pœna peccati, quam homo nunquam ſubiiſſet. Deus igitur, qui eſt vita, nec ab Angelo nec ab homine mortem exigit, ſed ut ſibi & naturæ contrariam adimit. Porrò natura rerum exigit, B. ut quæ ſunt in univerſitate diſcrepantia, per ſibi contrarium vel ſimile fiant conſonantia. Ut verbi gratiâ: voces graves ſunt acutis contrariæ, & ideo diſſona, per eaſdem autem perſonantias fiunt conſimiles & conſonæ.

Homo quippe Deo inobediens, diabolo ad injuſtitiam factus eſt obediens, pro qua injuſtitia debitam mortem incidit: ſicque diſſonantiam in univerſitate fecit, dum ad vitam conditus, in morte defecit. Chriſtus verò per contrarium ex ſimili exhibuit conſonantiam, dum Deo ad juſti- C. tiam factus eſt obediens, pro qua juſtitia indebitam mortem ſuſtinuit; ſicque mortem deſtruens hominem de morte redemit. Juſtitia etenim exigit, ut ſicut homo abſque peccato conditus, peccando offendit, pro quo pœnam mortis pertulit: ita aliquis ex genere ejus abſque peccato exiſtens, juſtè vivendo Deum placaret; cujus causâ mortem ſubiret; per quam conſortes Deo reconciliaret. Et quia Chriſtus hæc fecit, dicitur, quod nihil niſi mortem pro ſatisfactione voluerit. Ab Angelo D. autem hoc non quæſivit, quia mori non potuit. Juſtum autem fuit, ut ſicut ſe ille ſupra omnia extulit, dum ſimilis Altiſſimo eſſe voluit, & ideò infra omnia cecidit: ita aliquis ex numero illo abſque culpa exiſtens, non viſâ pœnâ lapſorum infra omnia ſe humiliaret, dum juſtitiam Dei in judiciis ſuis laudaret, ſuam verò injuſtitiam accuſaret & hac confeſſione laudis ſocios levaret. Sed ille, qui de veritate cecidit, in qua non ſtetit adhuc in mendacio, cujus pater eſt, perſiſtit dicens: *Mea ſunt flumina, & ego feci ea.* Ego feci me ipſū: ego ſum Deus & non homo. Et quia hæc vox incorrigibilis eſt, ideo lapſus ejus irrecuperabilis eſt.

CAP.

CAP. VI.

Quomodo cuncti moriamur, cùm mors deſtructa per Chriſtum prædicetur?

DISCIPULUS. Multum me movet quod omnes morimur, cùm mors per Chriſtum deſtructa prædicetur.

MAGISTER. Duæ mortes ſunt, una corporis, altera animæ. Mors corporis ſeparatio eſt animæ à corpore: mors animæ eſt ſeparatio animæ à Deo. Sicut ergò B. mors corporis aufert gaudia mundi, ita mors animæ aufert gaudia cœli. Hanc mortem Chriſtus deſtruxit, dum animas de ſuppliciis exemptas, gaudiis cœli intulit. Adhuc mortem deſtruet, dum animas ſuis corporibus induet, quas poſtea nulla mors ſoluet.

CAP. VII.

Cur reſurrectio mortuorum futura ſit?

DISCIPULUS. Ego credebam reſurrectionem in noviſſimo futuram, C. etiamſi Chriſtus nunquam incarnaretur, ut puta à Prophetis prædictam.

MAGISTER. Reſurrectio non eſt ideò futura quia à Prophetis eſt prædicta: ſed ideo eſt prædicta quia erat futura. Siquidem prophetica vox nil cogit fieri: ſed Spiritus Sanctus, cui omnia præterita & futura ſunt præſentia, ſua ſuis præcinuit; quod vel ipſe olim facere diſpoſuit, vel homines facturi erant, ut ſcirent eum inſpectorem omnium. Porrò Reſurrectio ideo fit, ut boni plenum gaudium, mali verò plenum ſupplicium ſuſcipiant: quod utrumque non niſi in corpore & anima eſſe poterit. Juſti autem per Chriſtum reconciliati ad vitam aſſumuntur qui ſi non eſſent reconciliati, nunquam illuc aſſu-

A. merentur. Igitur ſi Chriſtus in carne non veniſſet, & ſuâ morte mortem noſtram non deſtruxiſſet, & ſuâ reſurrectione nobis vitam non reddidiſſet, nullus unquam ad vitam reſurgeret: ſed omnes pariter in morte remanerent.

CAP. VIII.

Cur Deus non omnes homines poſt reſurrectionem ad beatam vitam transferat, maximè infantes, ſine culpa decedentes?

DISCIPULUS. Cùm genus humanum ad vitam ſit creatum, & per Chriſtum totum ſit ad vitam reparatum, valde miror, cur omnes homines poſt reſurrectionem ad beatam vitam non transferat, maximè infantes, qui penitùs ſine culpa erant.

MAGISTER. Chriſtus qui eſt reſurrectio & vita, omnes homines ad vitam reſuſcitabit: & quia ipſe eſt juſtitia, ſolos juſtos in beata vita glorificabit; injuſtos in miſeria relinquet. Et quia ejus occultum judicium exuperat omnem ſenſum, quosdam, quos vult, nocentes igne purgatorio purificatos ad gloriam aſſumit: quosdam, quos vult, innocentes in miſeria relinquit, videlicet infantes, quos unda baptiſmatis non regeneravit. Melius eſt enim per miſericordiam ſalvari, quàm unquam Judicis ſententiâ condemnari. Cur autem hoc faciat, non plus poſſumus inveſtigare quàm illud poſſumus indagare: cur Angelos non fecerit Archangelos, vel illos non fecerit Thronos; vel fœminas non fecerit viros, vel beſtias non fecerit aves: vel cur pavoni, tantum decorem pennarum præ cæteris avibus dederit & multa his ſimilia; *Omnia enim quæcunque voluit, fecit & facit.*

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI.

DE
ANIMÆ EXILIO ET PATRIA, ALIAS DE ARTIBUS.

LIBELLUS.

Protulit in lucem ex MS. Cod. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria, Ven. D. P. Leopoldus Wydemann, ejusd. loci Bibliothecarius.

HONO-

HONORIUS

DE ANIMÆ EXILIO ET PATRIA, ALIAS DE ARTIBUS.

PROLOGUS HONORII.

THomæ gratiam Apoſtolici A. nominis ſortito, multis donis Sophiæ inſignito Honorius illum in gloria Patris cernere, quem Thomas dubitans meruit in terris tangere. Quia vigilanti oculo pleroſque conſpicis patriam magnopere deſiderare, ſed, utpote viæ ignaros per devia properare; hortaris me, optime virorum, quaſi peritum locorum his viam demonſtrare, ac viciniora loca ſtylo deſignare: ne fortè longiùs à via aberrantes regia, in devio retardentur, & magis à patria elongentur; ut quondam B. de Ægypto egreſſi, ad patriam tendentes non modò corpore, ſed corde longo tempore in eremo erraverunt, & minimè ad optabilem patriam pervenerunt. Ego autem cum invidia tabeſcente iter non habebo, piè injuncta impigrè exequi tentabo; quoſque ſtudioſos per ignota loca ad notam patriam deducam: invidos, lividos, corde tabidos, patriâ immeritos in tenebris erroris derelinquam. Tu quoque, ſtudio florens, ignavos præcede, & negligentes move, nolentes coge: volen- C. tes ſed non valentes per delectabile iter ad jucundam patriam trahe; filios imò ſervos invidiæ, etiam ſequi certantes repelle, & ſanctum canibus, gemmas porcis tolle.

Explicit Prologus.

CAP. I.

Exilium hominis ignorantia; patria eſt ſapientia, ad quam per artes liberales, veluti per totidem civitates pervenitur.

A. SIcut populo Dei exilium erat in Babylonia, Jeruſalem verò patria, ſic interioris hominis exilium eſt ignorantia, patria autem Sapientia. In ignorantia quippe poſiti quaſi in tenebroſa regione commorantur, unde & *filii tenebrarum* cognominantur. In Sapientia autem locati quaſi in lucida regione converſantur, ideo & *filii lucis* appellantur. De hoc exilio ad patriam via eſt ſcientia. Scientia enim in rebus phyſicis: ſapientia verò conſideratur in Divinis. Per hanc viam gradiendum eſt non paſſibus corporis, ſed affecti- B. bus cordis. Hæc quippè via ducit ad patriam tendentes per decem artes, & libros ſibi adhærentes, & quaſi per totidem civitates & villas ſibi ſervientes. Qui numerus multis Sacramentis eſt involutus. Nam & Divina lex decem præceptis comprehenditur: & ſæcularis ſapientia decem Categoriis includitur. Sed & tota Eccleſia decem Virginibus comparatur; quia hic numerus limes omnium multiplicium numerorum ponitur: unde & in vinea laborantibus denarius repromittitur. C.

CAP. II.

De prima Civitate, Grammatica.

PRima itaque Civitas eſt Grammatica, per quam petenda eſt patria: hujus porta eſt vox quadrifida, per quam iter eſt litera tripartita: quæ vocalibus, ſemi vocalibus mutis, ducit ad ſententiarum habitacula. Porrò Syllabæ productæ vel correptæ dictionum, ſunt quaſi quædam oſtia Domorum: hæc urbs in octo partes quaſi in totidem regiones diſtribuitur,

qui numerus & humanam locutionem A.
& animarum beatitudines complectitur. In hac nomen & verbum quaſi duo Conſules imperant, pronomen locum Proconſulis, adverbium locum Præfecti ſibi vendicant: aliæ partes aliis dignitatibus coaptantur, quibus genera & caſus, tempora & aliæ ſpecies quaſi plebes ſubjectæ famulantur. In hac urbe Donatus & Priſcianus docent novam linguam viantes, & certis regulis deducunt per viam ad patriam ambulantes. Villæ, huic ſubditæ, ſunt libri Poëtarum, qui in quatuor ſpecies dividuntur, ſcilicet in Tragœdias, in Comœdias, in Satyrica, in Lyrica. B.
Tragœdiæ ſunt quæ bella tractant, ùt Lucanus. Comœdiæ ſunt, quæ nuptialia cantant, ùt Terentius. Satyræ, quæ reprehenſiva ſcribunt, ùt Perſius. Lyrica, quæ odas, id eſt, laudes Deorum vel Regum hymnilegâ voce reſonant, ùt Horatius.

CAP. III.

De Rhetorica, altera civitate.

SEcunda civitas eſt Rhetorica, per quam adeunda eſt patria: hujus porta eſt civilis cura, iter vero tripartitum C.
genus curarum, videlicet demonſtrativum, deliberativum, judicale. In una parte hujus civitatis Præſules Eccleſiæ Decreta componunt, in altera Reges & Judices edicta proponunt. Hinc ſynodalia promulgantur, inde forenſia jura tractantur. In hac urbe Tullius itinerantes ornate loqui inſtruit, quatuor virtutibus ſcilicet prudentia, fortitudine, juſtitiâ, temperantia mores componit. Huic urbi ſubjacent hiſtoriæ, Fabulæ, libri oratoriè & Ethicè conſcripti, per quos greſſus mentis ad patriam ſunt dirigendi. D.

CAP. IV.

Dialectica, tertia Civitas.

TErtia civitas eſt Dialectica, multis quæſtionum propugnaculis munita, per quam iter eſt ad patriæ atria. Hæc per quinque portas adventantes recipit, ſcilicet per genus, per ſpecies, per differens, per proprium, per accidens; unde & Iſagogæ introductiones dicuntur, quia per has repatriantes introducuntur. Arx hujus urbis eſt ſubſtantia; turres circumſtantes novem ſunt accidentia. In hac duo pugiles ſunt & litigantes certâ ratione dirimunt: Cathegorico & hypothetico Syllogyſmo quaſi præclaris armis viantes muniunt. Quos Ariſtoteles in topica recipit, argumentis inſtruit, in Perihermeniis ad latum campum Syllogiſmorum educit. In hac urbe docentur itinerantes hæreticis, & aliis hoſtibus armis rationis reſiſtere, qui eis, ut olim Amalec populo Dei, in hac via moliuntur obſiſtere.

CAP. V.

Quarta Civitas Arithmetica.

QUarta civitas eſt Arithmetica, per quam quærenda eſt patria. In hac, Boëtio docente, par & impar numerus multipliciter ſe complicant. Cribrum ſimplices numeros per multiplices numeros reciprocat; Abacus per digitos, & articulos eundo multiplicat, redeundo dividit, minutiis monadem in mille particulas redigit. In hac Rhythmimachia pares & impares numeros in pugnam provocat, alea Scachos certo numero in certamen ordinat, tabula jactis teſſeris ſenaria ſorte congregat. In hujus urbis Schola viator diſcit, quòd Deus omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuit.

CAP. VI.

Quinta Civitas pergentium ad Sapientiam Muſica.

QUinta civitas eſt Muſica, per quam tranſitus eſt ad patriæ cantica. In hac urbe per Boëtii doctrinam hinc chorus viris gravibus, inde puerilis acutis vocibus Deo jubilat: organa fiſtulis, Citharæ fidibus concrepant, Cymbala pulſu tinniunt; ſeptem diſſonæ voces conſonam harmoniæ efficiunt. Triplex modulatio, quæ fit flatu, tactu, pulſu, ſeptem conſonantiis ſenarii dignitatem, univerſitatem continentem, concinit: dum intervallis & proportionibus tonorum dulce melos reddit. In hac urbe docentur viantes per modulamen morum tranſire ad concentum cœlorum.

CAP. VII.

Civitas ſexta Geometria.

SExta civitas eſt Geometria, per quam

quam inquiritur patria. In hac Aratus mappam mundi expandit, in qua Aſiam, Africam, Europam oſtendit; montes, urbes, flumina totius orbis enumerat, per quæ itinerantes tranſire commemorat.

CAP. VIII.

De Aſtronomia, civitate ſeptima.

Septima Civitas Aſtronomia, quæ deducit ad Patriæ habitacula. In hac Hyginus per aſtrolabium incrementa ac decrementa lunæ, anfractus ſolis, planetarum curſus ac recurſus oſtendit, Sphæram evolvit: in qua ſigna Zodiaci ac cætera monſtra cœli per diſtantes ſtellas depingit. In hac Julius computum explicat, per quem annos ſæculi per ſeriem Regum ennumerat. In hac orbes cœleſtes colliſione ſuâ dulciter perſultant, atque viantes ad laudem Conditoris incitant.

CAP. IX.

Phyſica, Civitas octava.

Octava civitas eſt Phyſica per quam petitur patria. In hac docet Hippocrates viatores vires & naturas herbarum, arborum, lapidum, animalium; & per medelam corporum deducit ad medelam animarum.

CAP. X.

De Mechanica, Civitate nona.

Nona civitas eſt Mechanica, per quam ſubeunda eſt patria, hæc docet viantes omne opus metallorum, lignorum, marmorum, inſuper picturas, ſculpturas, & omnes artes, quæ manibus fiunt. Hæc turrim Nemroth erexit, hæc templum Salomonis conſtruxit. Hæc arcam Noë & omnia mœnia totius orbis inſtituit, & varias texturas veſtium docuit.

CAP. XI.

Oeconomica, Civitas decima.

Decima civitas eſt Oeconomica, per quam pervenitur ad patriæ atria. Hæc diſponit regna & dignitates, hæc diſtinguit officia & ordines. Hæc docet ad patriam properantes juxta ordinem meri-
A torum homines conjungi ordinibus Angelorum.

CAP. XII.

Decurſis artibus liberalibus pervenitur ad Patriam, ſeu veram ſapientiam, in Divinis Scripturis relucentem, & in viſione Dei perfectam.

His artibus quaſi civitatibus pertranſitis pervenitur ad Sacram Scripturam quaſi ad veram patriam, in qua multiplex Sapientia regnat. Quæ Scriptura
B ſibi domum ædificat, quam ſeptem donis Spiritûs Sancti, ùt ſeptem columnis roborat: quadripartito intellectu in quatuor parietibus copulat, ſcilicet hiſtorico, allegorico, tropologico, anagogico. Hiſtoria quippe eſt res geſta, ùt: Hieruſalem fuit civitas Judæorum, in qua fuit templum Domini. Allegoria eſt, cùm aliud dicitur, aliud intelligitur, ùt: Hieruſalem eſt Eccleſia, nos ipſi templum Domini. Tropologia eſt moralitas, ut: Hieruſalem eſt anima quæque fidelis, in qua templum eſt cor mundum, habitator
C Spiritus Sanctus. Anagoge verò eſt Superior ſenſus ducens ad Deum, & ad futurum Sæculum, ut: Hieruſalem eſt Superna civitas, in qua ſancti Angelis conjuncti Deum habebunt præſentem. In hac domo ſapientia ad ſe venientibus convivium præparat, quos variis ac delitioſis ferculis ſatiat. Demum in cœleſtem Hieruſalem introducet, in qua Rex gloriæ in decore ſuo videbitur, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur. In hac novem ordines Angelorum non ceſſant Regem regum laudare, in quem inſatiabiliter deſiderant proſpicere. In hac pa-
D tria Chriſtum Patriarchæ figuris præſignant, Prophetæ ſcriptis prænuntiant: Apoſtoli ſignis & virtutibus mundo prædicant, Martyres ei ſanguinem ſuum immolant, virgines caſtitatem offerentes adorant. In hac patria quoque ſtudioſi in montem contemplationis aſcendunt, in quo Chriſtum inter Moyſen & Eliam in nivea veſte, ùt Sol, radiantem conſpiciunt: quia eum Judicem vivorum & mortuorum, Patri coæqualem per ſacram Scripturam, & viſibilem creaturam, quæ ſunt veſtes ejus, intelligunt.

CAP.

CAP. XIII.

Deus à Sanctis ſecundum ſingulorum virtutes videbitur.

TAlia nunc meditari eſt cœleſtia contemplari: carne verò exutâ hæc facie ad faciem videre, eſt in cœleſti regno gaudere. In quo ſunt multæ manſiones, hoc eſt, multiplices Divinæ apparationes: in quibus Sancti Deum Deorum in Sion id eſt, in Divina Speculatione videbunt, quando de virtute in virtutem ibunt, verbi gratia: boni Deum ſecundùm hoc, quod bonitas dicitur videbunt: juſti ſecùndum hoc, quod juſtitia; ſapientes ſecundùm hoc, quod ſapientia: pacifici ſecundùm hoc, quod Pax, & alii B. aliis virtutibus in infinitum viſuri ſunt.

CAP. XIV.

Deus à nemine comprehendi, niſi à ſeipſo poteſt. Beatos Dei viſio recreabit æternum; impios patratorum ſcelerum recordatio ſine fine torquebit.

SEcundùm hoc autem, quod exuperat omnem intellectum, Deum nemo C. vidit unquam, nec unquam videbit: Quia *nemo novit Patrem niſi ſolus Filius, nec* A. *Filium quis novit niſi ſolus Pater.* Quidquid enim olim Patribus de Deo oſtenſum eſt, Deus dicitur; ſicut de Jacob: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Et iterum de Moyſe: *Loquebatur Moyſes cum Domino facie ad faciem, quaſi amicus amico.* Et item Propheta: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, &c.* Mundicordes autem in futuro Deum in Sion, id eſt, in divina ſpeculatione videbunt, ſecundùm quod unicuique apparebit, quando ſuis dilectoribus ſeipſum manifeſtabit: quia unuſquiſque in ſe ipſo & in omni creatura Deum pro modulo ſuo videbit, quando Deus in omnibus omnia erit. Qui ad hanc patriam perveniunt, hoc modò Regem gloriæ in decore ſuo videbunt, qui erit gaudium eorum, ùt lux oculorum. Qui autem tranſitoriis oblectati in exilio permanſerint, exteriores tenebras ſubibunt, & ùt ſaucii oculi æternum lumen in æternum refugiunt. Sed eis variæ & multiplices vitiorum phantaſiæ, ùt truces beſtiæ, occurrunt, quas ſemper volunt effugere, ſed non valent evadere: quia aliæ præ aliis ſemper ſe ingerunt, & in immenſum barathrum triſtitiæ & deſperationis demergunt. In his te exerce, hæc alios doce: ut iſta evadas, ad illa pervenias,

Amen.

HONO-

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI
LIBELLUS
DE LIBERO ARBITRIO.

Ex Cod. MS. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria exſcriptus à Ven. D. P. Leopoldo Wydemann ejusd. Carthuſiæ Bibliothecario.

HONORIUS
DE LIBERO ARBITRIO.

PROLOGUS.

GOdſchalcô, fide & opere ſu- A. danti in Sanctô propoſito, verbô & exemplo gregi Chriſti præpoſito, Honorius, cùm apparuerit Princeps paſtorum, videre in Sion Deum Deorum. Quæſtionem nuper inter nos ortam de libero arbitrio, optimum duxi rudibus enodare ſtyli officio: quam æſtimans fratribus non eſſe ingratam, veſtro judicio miſi examinandam.

CAP. I.

Occaſio hujus opuſculi fuit vetus er- B. *ror eorum, qui omnia homini neceſſitate quadam evenire aſſeruerunt.*

QUi aliquam quæſtionem ſolvere laborat, inprimis oportet ut radicem, unde ſurgit agnoſcat, quò facilius implicitum quaſi de frondoſæ arboris ramis expediat. Radix ergò hujus quæſtionis eſt error talis. Fuerunt olim homines quidam vaniloqui, totius ve- C. ri ignari, qui mala ſua authori totius bonitatis imputantes, ſe verò excuſantes, dixerunt: quidquid in mundo contingeret vel quis quid faceret, aliter fieri non poſſet, quia ita à Deo diſpoſitum eſſet: videlicet imitantes Adam, qui increpatus à Deo, cur vetitum comediſſet, culpam ſuam retorſit in Deum dicens: *Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi, & comedi*; quaſi diceret: Non ego peccavi, ſed tu, qui hanc mihi ſociam dediſti, cujus inſtinctu interdictum vitare non potui. Quem errorem quidam decepti homines magis ſcriptis roborantes conſtellationes introduxerunt, aſſerentes, omnia immutabili fato & inevitabili neceſſitate ſubjacere, ſub bona ſtella natos, bonos neceſſariò futuros v. g. Si quis ſub ſtella Martis naſceretur, homicida eſſet futurus; & ſi quis ſub ſtella Veneris, adulter eſſet futurus: & ſi quis ſub ſtella Jovis, hic blandus, & bonus ex neceſſitate eſſet futurus; & in hunc modum omnia facta ſua fato, & omnia hominum merita neceſſitati adſcribentes: authorem Deum blaſphemabant.

CAP. II.

Confutatur relatus error, probaturque, rationalem creaturam naturaliter liberum arbitrium habere.

HOc errore uſquequaque per genus humanum ramos ſuos expandente, quidam viri ſagacis ingenii, & ob amorem Sapientiæ Philoſophi dicti, naturas rerum diligentiùs perſcrutantes deprehenderunt, per hunc errorem incaſſum preces fundi, nullum locum juſtitiæ Judicibus relinqui, præmia juſtis pro benefactis tolli, ſupplicia injuſtis pro malefactis injuſtè impingi. Et reverà ſumma eſſet injuſtitia, juſtos remunerari, injuſtos puniri: cùm hoc ex neceſſitate facerent fato dictante, quod nullô modô devitare poſſent; & inaniter quiſque oraret, cùm nil ſe orando, fatô obſtante, obtinere ſperaret. Hoc philoſophi conſiderantes validis argumentis probaverunt ratio-

rationalem creaturam naturaliter habere A. liberum arbitrium, id eſt, volendi nolendique animi judicium. Arbiter namque dicitur judex, & inde arbitrium dicitur judicium: cùm quis judicat in animo quid ſibi ſit faciendum, quidve devitandum. Et hoc arbitrium eſt liberum, id eſt, non neceſſarium, vel coactivum: quia unuſquiſque neque ſtellâ, neque fatô coactus, ſed propriâ & liberâ voluntate facit, quod vult. Hoc recepto deliramenta Mathemathicorum erunt irrita, ſcripta philoſophorum rata, ſcilicet Deum precibus placari, bonis præmia juſtè do- B. nari, malis ſupplicia juſtè irrogari.

CAP. III.

Exponitur, in quo libertas arbitrii conſiſtat?

POrrò Eccleſiaſtici viri, Spiritu illuſtrati, libertatem & poteſtatem arbitrii genus eſſe perpendentes, & in varias ſpecies dividentes, invenerunt aliam poteſtatem ambulandi vel ſtandi, aliam comedendi vel bibendi, & in hunc modum alias, quarum nulla ad ſalutem animæ pertinet: intellexeruntque libertatem ar- C. bitrii in ſola animæ ſalute conſiſtere, quam etiam ſic definierunt. *Libertas arbitrii eſt poteſtas ſervandi juſtitiam propter ipſam juſtitiam.* Auguſtino namque definiente hic non eſt liber, qui vel timore ſupplicii malum devitat, vel ſpe præmii bonum facit. Servit enim timore coactus vel ſpe illectus: & cum timor & ſpes ei dominentur, non liber eſſe jure convincitur. Hic ſolummodo liber judicatur qui ſolâ delectatione juſtitiæ bonum operatur. Ad juſtitiam ergo ſervandam tantùm datum comprobatur liberum ar- D. bitrium, & ideo ſoli juſti ſunt liberi, & hi nominantur filii, & his promittitur hæreditas Domini. Injuſti autem dicuntur ſervi, quia *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, & hi ſunt filii iræ & perditionis. Habent quippe & ipſi liberum arbitrium, ſed libertate abutuntur ad ſervitutem: ſicut quis gladio, quô ſe defendat, abutitur ad ſui perniciem.

CAP. IV.

Quanam ſit in Deo, Angelis, Hominibus juſtis, impiis, Dæmonibusve libertas arbitrii?

QUia verò Deus & Angeli non poſſunt facere peccatum, ſunt quidam qui putant, eos non habere liberum arbitrium: quod ſi non habent, liberi non ſunt. Si autem liberi non ſunt, ergo beſtiis ſimiles ſunt: quod de Deo vel Angelis dici abſurdiſſimum eſt. Porrò Deus ſolus per ſe eſt, ſummè liber, habens per ſe liberrimum ad omne, quod vult, faciendi arbitrium: quia omnia quæcunque voluit, fecit; & quod noluit, non fecit. Ipſe namque eſt ſumma libertas, cui ſubeſt poſſe omne quod voluerit: à quo habet libertatem omne, quod ratione & intellectu viget. Angeli quoque liberrimum habent arbitrium, per quod malum nolunt, & juſtitiam ſolam volunt: pro qua ſola ſervanda liberum arbitrium acceperunt. Homines etiam juſti liberum arbitrium habent, ſed abſque gratia infirmum: veluti ſi fortis vir diu ægrotans diceretur quidem habere fortitudinem, ſed valdè debilem; quia non poſſit eâ uti, niſi baculo ſuſtentatus. Poſt prævaricationem namque primi hominis ſic fragilitate humanæ conditionis debilitatum eſt in homine liberum arbitrium, ut ſine adjutrice gratiâ inefficax ſit ad omne bonum. Gratia enim eum prævenit, ut bonum velit: ſubſequitur eum, ut bonum poſſit. Ipſe autem homo per liberum arbitrium oblatam gratiam volendo recipit & hac ſe, ùt baculo, ſuſtentando bonum peragit. Suum ergò meritum eſt gratiæ baculum recipere, & acceptum non rejicere. Mali quoque homines, & Dæmones liberum arbitrium habent, quod aut accipere oblatum nolunt, aut acceptum rejiciunt: & ideo ſicut infirmus ſine baculo ſuo, vel ſicut habens viſum in tenebroſa domo poſitus ſine lumine.

CAP. V.

Quomodo liberum arbitrium à bono ad malum deficiat, vel quomodo libertas ſervitus fiat?

QUomodo autem liberum arbitrium à bono ad malum deficiat, vel quomodo libertas ſervitus fiat, breviter eſt dicendum. Deus condidit hominem ad beatitudinem, & dedit ei voluntatem, ut vellet eſſe beatus: dedit quoque ei juſti-

tiam, quâ ſervatâ ſemper eſſet beatus; dedit ei etiam voluntatem, ut vellet eſſe juſtus, quô meritô ſemper eſſet beatus. Ad ſervandam autem voluntatem juſtitiæ dedit ei liberum arbitrium, quô non coactè, ſed liberè eam ſervaret, & in remuneratione nunquam beatitudinem amitteret. Eſt autem juſtitia ſummum bonum, id eſt, Deum diligere, & ei obediendo adhærere: injuſtitia autem eſt infimum bonum, id eſt, hunc mundum diligere, & tranſitoriis concupiſcendo inhærere: & hoc eſt peccare, & hoc eſt à libertate deficere.

CAP. VI.

Quid ſit voluntas beatitudinis, quid voluntas juſtitiæ, quarum hanc homo peccando amiſit, illam retinuit?

Homo itaque habet duas voluntates, unam beatitudinis, alteram juſtitiæ: voluntas beatitudinis dicitur natura, & voluntas juſtitiæ dicitur gratia. Illa datum, iſta dicitur donum; homini quippe datur eſſe: donatur verò benè eſſe. Ex his duabus voluntatibus procedunt omnia hominum merita. Per voluntatem enim naturæ libidines & concupiſcentias carnis ſequimur: per voluntatem gratiæ vigilias, jejunia & alia juſtitiæ opera perficimus.

Sed homo per libertatem arbitrii voluntatem juſtitiæ deſeruit, moxque beatitudinem amiſit: ſed voluntatem beatitudinis retinuit. Nam omnis homo naturaliter vult beatus eſſe, ſicut naturaliter vult vivere. Nemo autem vult eſſe juſtus niſi gratiâ Dei præventus: nec poteſt eſſe juſtus, niſi gratiâ Dei adjutus. Et quia ſine juſtitia vult eſſe beatus, & nemo niſi per juſtitiam poteſt veram beatitudinem obtinere, falſam beatitudinem in caducis & tranſitoriis ſemper anxius quærit? & nuſquam inveniens nunquam requieſcit. Qui autem amiſſam juſtitiam, per gratuitam gratiam, redditam liberâ voluntate uſque in finem ſervabunt, hi in vera beatitudine ſine fine requieſcunt.

Nota.

Nota Ven. P. Leopol. Wydem.

Aliud opuſculum ab hoc diverſum edidit Honorius de libero arbitrio, quod, A *inevitabile*, inſcripſit: quod quia in Bibliotheca veterum Patrum Tomo 15. Colon. edit. reperitur typo excuſum, nunc ab ejus deſcriptione abſtineo. Sententias autem Patrum de libero arbitrio & gratia (quas inter opuſcula Honorii repertas ad verbum ſubnecto) videtur ipſe Honorius pro elucidatione ſui opuſculi collegiſſe.

ISIDORUS.

Arbitrium eſt voluntas liberæ poteſtatis, quæ per ſe ſponte vel bona vel mala appetere poteſt. Gratia autem di- B vinæ miſericordiæ gratuitum eſt donum, per quam & bonæ voluntatis initium & operis promeremur effectum: Divinâ quippe gratiâ prævenitur, homo, ut bonus ſit. Nec humanum arbitrium Dei gratiam antecedit, ſed ipſa gratia Dei nolentem hominem prævenit, ut etiam bene velit. Nam pondere homo ſic agitur, ut ſit ad peccandum facilis, ad pœnitendum tardus. Habet de ſe ut corruat, & non habet, unde ſurgat: niſi gratia conditoris, ut erigatur, manum jacenti extendat. Denique homini per Dei gra- C tiam liberum reſtauratur arbitrium, quod primus homo perdiderat. Nam ille habuit inchoandi bonum liberum arbitrium, quod tamen Dei adjutoriô perficeretur. Nos verò & inchoationem liberi arbitrii & perfectionem de Dei gratia ſumimus: quia incipere, & perficere bonum de ipſo habemus, à quo & gratiæ donum datum, & liberum arbitrium in nobis eſt reſtauratum. Dei eſt ergo bonum, quod agimus, propter gratiam prævenientem & ſubſequentem: noſtrum verò eſt propter obſequentem liberi arbitrii voluntatem. Nam ſi Dei non eſt, cur illi gratias agimus? & ſi noſtrum non eſt, D cur retributionem bonorum operum exſpectamus? proinde ergo in eo, quod gratiâ prævenimur, Dei eſt: in eo verò quòd ad bene operandum prævenientem gratiam ſequamur, noſtrum eſt. Nemo autem Domini gratiam meritis antecedit, ut tenere eum quaſi debitorem poſſit: ſed mirô modô æquus omnibus conditor alios prædeſtinando elegit, alios verò in ſuis pravis moribus juſtô judiciô derelinquit. Unde veriſſimum eſt, gratiæ munus non ex humana virtute vel ex merito arbitrii con-

conſequi, ſed ſolius divinæ pietatis boni- A. tate largiri. Quidam enim gratuitæ miſericordiæ ejus præveniente dono ſalvantur effecti vaſa miſericordiæ: quidam verò reprobati ad pœnam prædeſtinati damnantur effecti vaſa iræ. Quod exemplo de Eſau & de Jacob necdum natis intelligitur: qui dum eſſent unâ conceptione vel partu geniti, pariterque nexu peccati originalis aſtricti, alterum tamen eorum ad ſe miſericordiæ divinæ bonitas præveniens gratuitâ gratiâ traxit; alterum quadam ſeveritate juſtitiæ odio habitum, in B. maſſa perditionis relictum damnavit: ſicut per prophetam idem Dominus loquitur dicens: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Unde conſequens eſt nullis prævenientibus meritis conferri gratiam, ſed ſolâ vocatione divina, neque quenquam ſalvari ſive damnari, eligi vel reprobari, niſi ex propoſito prædeſtinantis Dei: qui juſtus eſt in reprobatis, miſericors in electis, ſicut per pſalmiſtam dicitur: *Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas.* Omne autem donum gratiæ non omnibus ad C. integrum datur, ſed ſingulis dona ſingula dividuntur; ſcilicet ut quaſi corporis membra ſingula officia habeant, & alter alterius indigeat: non quod habet alter, vel inde omnium fiant communia, dum fuerint ſibimet membra neceſſaria.

Idem.

SCiant liberi arbitrii defenſores, nihil poſſe in bonum ſuâ prævalere virtute, niſi divinæ gratiæ ſuſtentetur juvamine. Unde & per Prophetam Dominus dicit: *Perditio tua ex te Iſrael; tantum in me auxilium tuum;* quaſi diceret: ut pereas, tuô meritô? ut ſalveris, meô auxiliô. Quid D. enim ex ſe ille latro meruit, qui de faucibus inferni crucem aſcendit, de cruce paradiſum adiit? Reus quidem ille ex fraterno ſanguine venit cruentus, ſed divinâ gratiâ mutatus.

Liberum arbitrium eſt animæ rationalis voluntas ſine prohibitione cujuſquam mota ad quodcunque voluerit, ſive ad bonum ſive ad malum, ſic ab authore conceſſum. Rurſus: liberum arbitrium eſt intellectualis animæ motus ſui juris; prælectio verò eſt conſultum deſiderium eorum, quæ in nobis ſunt, aut conſilium deſiderabile: quod enim præjudicatum eſt, ex conſilio tenemus eligentes. Conſilium verò eſt intentio perquirens de his, quæ nobis ſunt facienda cum cautela.

ISIDORUS.

GEmina eſt prædeſtinatio ſive electorum ad requiem, ſive reproborum ad mortem: utraque divino agitur judicio, ut ſemper electos ſuperna, & interiora ſequi faciat; ſemperque reprobos, ut infima & exteriora ſectentur, deſerendo permittat. Quamvis juſtorum converſatio in hac vita probabilis ſit, incertum tamen hominibus eſſe ad quem ſunt finem prædeſtinati, ſed omnia reſervari futuro examini, mira diſpoſitio eſt ſupernæ diſtributionis, per quam hic juſtus amplius juſtificatur, impius amplius ſordidatur: malus aliquando ad bonum convertitur, bonus aliquando ab illo reflectitur. Vult quis eſſe bonus, & non valet: vult alter eſſe malus, & non permittitur interire; datur ei, qui vult eſſe bonus, alius nec vult, nec ei datur, ut ſit bonus. Iſte naſcitur in errore, & moritur; ille in bono, quo cæpit, uſque in finem perdurat. Tamdiu iſte ſtat, quouſque cadat; ille diu malè vivendo in fine ſalvatur deſpectuſque convertitur. Vult prodeſſe in bono juſtus, nec prævalet; vult nocere malus, & non valet. Iſte vult Deo vacare, & Sæculo impeditur; ille negotiis implicari cupit, nec proficit, dominatur malus homo, bonus damnatur pro impio, impius honoratur pro juſto. Et in hac tanta obſcuritate non valet homo perſcrutari diſpoſitionem Dei & occultum prædeſtinationis perpendere ordinem.

PETRUS.

LIberi arbitrii poteſtas eſt ſenſus animæ habens virtutem, qua poſſit, ad quos velit, actus inclinari.

FULGENTIUS.

PRædeſtinatio Dei non eſt alia, niſi futurorum operum ejus æterna præparatio. Sicut enim præſcientia neminem compellit ad peccatum (cùm utique ſingulorum præſcierit ante ſæcula æterna peccata) ita quoque & prædeſtinatio ejus neminem compellit ad pœnam: licet & antequam naſcatur aliquis, prædeſtinatus

ſit permanſurus in juſtitia ad coronam, vel in iniquitate ad pœnam.

AMBROSIUS.

Nullus ideo ad pœnam vadit, quia hoc in prædeſtinatione Dei ante fuerit. Ex eo autem quod præſcitus eſt in peccatis permanſurus, etiam ex eo deputatus eſt ad pœnam.

ISIDORUS.

Deus prædeſtinavit quoſdam ad gloriam; quoſdam ad pœnam; ſed quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam: quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. In Sanctis ergo coronat Deus juſtitiam, quam eis gratis ipſe tribuit, gratis ſervavit, & gratis perfecit: iniquos autem condemnabit pro iniquitate vel injuſtitia, quam ipſe non fecit. In illis enim opera ſua glorificat, in iſtis autem opera eorum condemnat.

AUGUSTINUS.

Prædeſtinationis nomine non aliqua voluntatis humanæ coactiva neceſſitas exprimitur, ſed miſericors & juſta divini operis ſempiterna diſpoſitio prædicatur. Dei namque prædeſtinatione aut peccatorum præparata eſt pia remiſſio, aut peccatorum juſta punitio. Deus prædeſtinavit bonos ad regnum, malos autem ad ignem æternum. Bonis etenim dicturus eſt: *Venite Benedicti, &c. &c.* Malis autem dicturus eſt: *Ite Maledicti, &c. &c.* Dominus iniquos & impios prædeſtinavit ad ſupplicium juſtum, non ad aliquod opus injuſtum: ad pœnam, non ad culpam.

Idem.

Liberum arbitrium eſt vias mandatorum Dei liberò eligere vel relinquere arbitriò: quas ſumpſimus fulti adjutorio, continuâ devotione ſequimur, in fine ſubjectam in nobis obedientiam coronabit. Liberum verò quod ab eo habemus arbitrium pronò ad nequitiam lapſu fluit: & cùm ad virtutis indolem Dei auxilio deferente nihil poſſit, ad genus omne peccati deficit, nec fultum virtute ſubſiſtit.

Idem.

Primus homo liberum habuit arbitrium, & poterat per naturam vires diligere & vitare vitia; neque enim habebat

A. in ſe bellum vitiorum. Sed poſtquam volens peccavit, amiſit liberum arbitrium in bono, ita ut jam nihil boni per ſe velle, nedum facere ſine Dei gratia poſſit: & ut non ſolùm volens, ſed etiam nolens peccet; unde malum quidem à nobis metipſis habemus, bonum autem tantummodo à Deo.

HIERONYMUS.

Homo per Dei gratiam ad agendum, quidquid voluerit, liberum habet arbitrium. Si enim aliquis invitus bonum faceret, nullum inde præmium acquirere poſſet: & ſi ullus à Deo coactus malum
B. ageret, nullum pro hoc ſupplicium pateretur. Deus autem aliquando hominem nolentem ad bene agendum miſericorditer cogit, ita tamen, ut illius bona voluntas poſtea ſequatur.

AUGUSTINUS.

Non eſt liber, qui timore ſupplicii devitat malum, & ſpe præmii facit bonum: ſervit enim timore coactus, & ſpe præmii illectus; timor autem & ſpes dominantur ei. Hic eſt liber, qui nec timore
C. ſupplicii, nec ſpe præmii, ſed ſolâ delectatione juſtitiæ juſtus eſt. Ad hoc habet liberum arbitrium.

GREGORIUS.

Mala ſolummodo liberò fiunt arbitrio: quia poſtquam primus homo peccavit ſponte, ad bonum quidem liberum amiſit arbitrium, ad malum tamen retinuit. Niſi ergo divina præveniat inſpiratio, nullus valet agere aliquid boni.

JOANN. CHRYSOSTOMUS.

D. Naturæ rationali Deus liberum arbitrium conceſſit, imò eam talem fecit, quæ haberet liberum arbitrium. Ergo & naturæ non tollit, quod dedit, & ipſe præterea errare penitus neſcit. Natura igitur rationalis ab ipſo ſuæ creationis exordio liberum habet arbitrium: ſed quia per ſemetipſam ſponte bonum deſeruit, non jam habet illud in bono, habet tamen illud in malo. Non jam ſufficiens, ſed prorſus deficiens, niſi præveniente, adjuvante, & ſubſequente gratia Dei.

ANSELMUS.

Libertas arbitrii eſt poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem.

HONO-

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI
SACRAMENTARIUM,

SEU

DE CAUSIS ET SIGNIFICATU MYSTICO RITUUM DIVINI IN ECCLESIA OFFICII

LIBER.

Prodit ex MS. Cod. Inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria, ſtudio Ven. D. P. Leopoldi Wydemann, ejusd. Cœnobii Presbyteri Bibliothecarii.

HONO-

HONORII SACRAMENTARIUM.

PROLOGUS.

HUnc libellum de Sacramentis collegi ex Sanctorum ſcriptis; ut quibus deeſt librorum copia, per hoc compendium illorum ſubleve- tur inopia. Hujus nomen Sacramentarium ſcribatur, eò quòd per illum omne Sacramentum Divini officii ignaris aperiatur.

CAP. I.

De Septuageſima.

SEptuageſima dicitur eò, quòd ab illa Dominica usque in Sabbathum paſchalis hebdumadæ ſunt ſeptuaginta dies. Die Dominica inchoatur, & in Sabbatho terminatur: tempus captivitatis populi Dei ſignificat, qui peccando à Deo receſſit, & per miſericordiam ejus ad requiem redit. Populus Dei in Babylonia detentus eſt captivus ſeptuaginta annis, in quibus ſuſpenderunt organa in ſalices: & ipſi ſederunt ſuper flumina flentes; quo numero completo reverſi ſunt in Jeruſalem.

Omne tempus ſæculi per ſeptem millia annorum extenditur; hos divide per centenarium numerum: & habebis ſeptuagies centenos annos; de ſingulis centenis da annum in decimatione, & erunt ſeptuaginta anni. De his ſingulis annis da unum diem, & habebis ſeptuaginta dies, in quibus nobis ad memoriam reducitur omne tempus peregrinationis noſtræ. Nabuchudonoſor Rex Babyloniæ captivum duxit populum de Hieruſalem in Babyloniam: Diabolus ſeduxit humanum genus de Paradiſo in hanc mundi peregrinationem. Septuaginta anni captivitatis, ſeptuagies centeni anni ſunt noſtræ peregrinationis; Judæi ſeptuaginta annis in captivitate poſiti jejunaverunt, nos omni tempore hujus vitæ, quod ſeptem diebus volvitur, corpus noſtrum caſtigemus, & ſervituti ſubjiciamus. Organa ſuſpenderunt: nos iſtis diebus *Alleluja* &: *Gloria in excelſis*, quæ ſunt cantica lætitiæ, non canimus. Significantes, quòd in hac vita ab Angelorum gaudio nos ſeparatos ingemiſcimus. Tractum in Miſſa canimus; quia cum labore & gemitu ad patriam tendimus. Super flumina ſedentes illi fleverunt. Nos humiliati fluxum noſtræ mortalitatis ſuſpiramus. In paſchali Sabbatho unum *Alleluja* cantatur: transactis enim 70 annis ad Hieruſalem viri tantùm revertebantur, mulieribus & parvulis adhuc in itinere tardantibus: quod ſignificat, quia poſt terminum hujus vitæ (quod eſt tempus captivitatis noſtræ) corpus noſtrum in requiem terræ revertitur, Spiritus ſolus Sanctis in gaudio ſociatur. Sabbathum enim requies dicitur. Ipſi ſcilicet viri pro uxoribus & parvulis ſolliciti erant, qnibus octavâ die venientibus geminam lætitiam habuerunt: & nos interim in paſchali hebdomada *Graduale* frequentamus, veniente octavâ die reſurrectionis Graduali depoſito *Alleluja* geminamus; quia Sancti quamvis in gaudio poſiti, diem Judicii, in quo Angeli contremiſcent, quaſi pro uxoribus, id eſt, corporibus; & filiis, id eſt, operibus ſolliciti ſuſtinent: quibus in ultima reſurrectione receptis gemino gaudio ſine fine in cœlis exultent.

Septuageſima incipitur in decima Luna ſecundi menſis. Status hujus mundi in tria tempora diſtinguitur: unum ante legem, aliud ſub lege, tertium ſub gratia, id eſt, ſub Evangelio. Primus menſis,

id

id eſt, Januarius, in quo *Alleluja* canitur, tempus ante legem demonſtrat: in quo quia homines ſecundùm libitum ſuum vivebant, quaſi canticum lætitiæ, id eſt, *Alleluja* canebant. In ſecundo menſe decimâ lunâ *Alleluja* deponitur, quia in ſecundo tempore decem præceptis legis populus à peccati licentia reprimitur. Tunc *Alleluja* dimiſit quando eum mœrore peccati conſuetudinem deſeruit. Poſt captivitatem templum renovatur; poſt reditum hujus exilii per Jeſum magnum ſacerdotem cœleſtis Hieruſalem ex vivis lapidibus, id eſt, ex nobis ædificatur.

CAP. II.

De Sexageſima.

Sexageſima infra Septuageſimam currit: quæ ideo Sexageſima dicitur, quòd ab illa Dominica in feriam quartam paſchalis hebdomadæ ſint ſexaginta dies. Sex ſunt opera Evangelii, id eſt, eſurientes alere, ſitientes potare, nudos veſtire, hoſpites colligere, infirmos viſitare, incarceratos redimere. Et decem præcepta legis, quæ ſunt: unum Deum adora, non facies tibi ſculptile, non perjurabis, ſanctifica diem Sabbathi, honora Patrem tuum & Matrem, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui. Sexies decem ſunt ſexaginta. Qui per ſex opera miſericordiæ decalogum impleverit, ad feriam quartam paſchæ pertinebit, in qua, *venite Benedicti*, officium erit. Hæc quarta feria habet convenientiam cum quarta ætate mundi, in qua David & Salomon regnaverunt. In quarta ætate gens illa cœleſti fide inclyta, regno Davidis & Salomonis glorioſa, templi etiam Sanctiſſimi altitudine totum nobilitatur in orbem. In noſtra quarta feria, id eſt, in quarto tempore, de quibus unum fuit ſub Patriarchis, aliud ſub judicibus, tertium ſub Regibus & Prophetis; quartum ſub Apoſtolis triumphat; David, id eſt, manu fortis qui vicit leonem, id eſt diabolum: & Salomon æternus, pacificus regnat. qui templum nobiliſſimum Deo Patri ædificat, cùm dicit, *venite benedicti Patris mei*: ad quod per ſexageſimam oportet nos currere. Senarius numerus ad laborem, denarius pertinet ad mercedem: omnis labor ſex diebus peragitur, denarius in vinea operariis porrigitur.

CAP. III.

De Quinquageſima.

Quinquageſima ideo dicitur, quod ab illa dominica quinquaginta dies ad diem paſchæ numerantur, & ſunt ſeptem hebdomadæ. Quinque ſunt ſenſus corporis, viſus, auditus odoratus, guſtus & tactus: decem verò præcepta legis ſunt, ùt diximus; quinquies decem ſunt quinquaginta. Si quis decalogum legis, quinque ſenſibus per ſeptiformem Spiritum impleverit, ad reſurrectionis diem pertinebit.

In Septuageſimali officio lapſum primi hominis ad memoriam reducimus, qui in exilium veniens dixit: *Circumdederunt me gemitus mortis &c.* quem ad pugnam hortatur Epiſtola: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, ſcilicet à fornicatione & immunditia & avaritia, & cæteris vitiis. In pugna poſitus clamat: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, &c. de profundis*, & in Evangelio inducitur operarius ad vineam excolendam. In Sexageſima dubitamus, an Dominus nobiſcum ſit, & ideo clamamus: *Exurge, quare obdormis Domine, &c.* Epiſtola nos confortat evadere de captivitate: *libenter ſuſfertis, ſi quis vos in ſervitutem redigit.* Nos captivi obedientes ſecundum gradum arripimus, id eſt, de tribulatione: qui in ſeptuageſima anxiati ſumus: ad requirendum proprium Dominum cohſcendimus & dicimus; *Sciant gentes, &c.* in *tractu commoviſti Domine, &c*, oſtenditur terra commota conſcientiâ peccatorum. In Evangelio ſemen inducitur; in ſeptuageſima vineam colimus: in ſexageſima ſemen jacimus. In quinquageſima tenemus proprium Domiuum & dicimus: *Eſto mihi in Deum &c.* In expeditione poſitos inſtruit Epiſtola per quindecim gradus ſcalam charitatis dicens: *Charitas patiens eſt &c.* Tunc triumphatori Deo militiæ noſtræ dicemus: *Tu es Deus, &c*, Tractus nos ſervire Deo præcipit, qui fecit nos & non ipſi nos. In Evangelio fructum colligimus, quem in ſexageſima ſeminavimus. Hunc ſcilicet fructum lucis cæcus, qui præfigurabatur à Domino quæſivit & invenit: hoc etiam *poſt communio: manducaverunt*, demonſtrat, quæ nos ſatiatos corpore Domini indicat.

Tres Gradus trium ſunt officiorum; pri-

primus continet planctum captivorum, qui eſſe nolunt ſub dominio vitiorum: ſecundus voluntatem fugæ demonſtrat, dummodo ſi proprius Dominus velit eos ſuſcipere, ac non à ſe repellere. Tertius conſilium agit quomodo fugiat præſumens jam de ſuſceptione. Primus tractus: *de profundis*, & ſecundus: *commoviſti* ſonant triſtitiam; tertius verò: *jubilate* lætitiam: quia ante legem & ſub lege triſtitiam habuimus perditionis; ſub gratia autem venit nobis lætitia ſalvationis. Similiter: *qui habitat*, &: *ad te levavi* triſtitiam: *qui confidunt*, denuntiat lætitiam. Item: *ſæpe expugnaverunt*, &: *Deus Deus meus* triſtitiam, *laudate* clamat lætitiam. Tres reverſiones populi Dei leguntur: una ſub Zorobabel duce, & Jeſu ſacerdote magno in quinquaginta millibus hominum: ſecunda ſub Eſdra qui legem renovavit; tertia ſub Nehemia qui templum reædificavit. Nos à confuſione peccatorum pœnitendo & confitendo revertimur, deinde lex Dei in nobis bene operando reparatur: poſtremò benedicendo, proximum ædificando, templum Deo conſtruitur.

CAP. IV.
De Die Cinerum.

Feriâ quartâ cineres imponimus capitibus noſtris, ut memores ſimus ſententiæ primo homini dictæ: *Cinis es, & in cinerem ibis*; ut qui priùs fuimus immortales, per pœnitentiam & humilitatem redeamus ad immortalitatem. Ideo quartâ feriâ hoc fit, ut ſicut ſol & luna hac die creatus eſt, & mundus illuſtratus, ita nos à tenebris peccatorum ad ſolem Chriſtum & ad lunam Eccleſiam convertamur. Uſque ad iſtum diem à ſeptuageſima in expeditione fuimus, hodie pugnam inimus. Unde oratio Miſſæ hoc indicat dicens: *Concede nobis Domine præſidia militiæ Chriſt.* Similiter & lectio, quibus armis pugnare debeamus oſtendit dicens: *in jejunio & fletu & planctu; egrediatur ſponſus de cubili ſuo &c.* Et Evangelium: *tu autem cùm jejunas, unge caput, tuum, & faciem tuam lava.* Horâ nonâ Miſſam celebramus, quia hora nona de paradiſo homo ejectus exulavit: quem Chriſtus hora nona in cruce expirans ad vitam revocavit.

Ab hac die uſque in paſcha ſunt quadraginta & ſex dies: tot annis ædificatum eſt templum in Hieruſalem. Templum hoc corpus Domini ſignificat, cujus nos membra ſumus: ut compaginemur corpori noſtro Chriſto, tot diebus abſtinentes ſumus, dicitur, quòd Maria duodecim annorum fuerit quando Chriſtum peperit. Quando Chriſtus paſſus eſt, extitit triginta & trium annorum & dimidii, quod pro integro accipitur: & fiunt quadraginta & ſex anni. Et ita templum hoc, id eſt, corpus Chriſti quadraginta & ſex annis ædificatum eſt: quod Judæi ſolverunt occidendo, ſed triduo reædificatum eſt reſurgendo.

Aliter, Per humanum genus Adam intelligitur, qui quaſi fractus, & per totum orbem ſparſus colligitur. Sic græcè *Anatole* dicitur oriens, *Dyſis* occidens, *Arctos* ſeptentrio, *Meſembria* meridies. Capita horum verborum habent Adam. A. ſignificat unum, D. ſignificat quatuor, & iterum A. ſignificat unum, M. quadraginta ſignificat. Per hunc numerum deſcendit caro Chriſti de Adam. Quadraginta enim & ſex diebus formatur infans in matre. Senarius numerus ſignificat ſex ætates mundi vel ſex dies, quibus hic laboramus: vel ſex opera miſericordiæ, quæ ſuperiùs commemoravimus. Quadrageſimus numerus ſignificat decalogum legis & quatuor Evangelia: quibus cum capite noſtro, id eſt, Chriſto in die Reſurrectionis triumphamus.

Secundus Adam ideo venit in carne, ut per pœnitentiam & baptiſmum reformetur ad ſuam imaginem primus Adam, qui eſt in quatuor partibus mundi; quia Adam ſparſus eſt per quatuor partes mundi, illo numero ad colligentem Adam recurramus, quem continet totus orbis primis literis ſuis.

Feria quinta & Sabbathum poſt caput jejunii proprio officio carent: quia antiqui Quadrageſimam à Septuageſima inchoabant, & feriâ quintâ ut Dominica vacabant, & Sabbatho non jejunabant. Poſtquam autem Quadrageſima à capite jejunii incepta eſt, in hebdomada duo dies à Dominica inofficiati ſunt. Sabbatho in duodecim lectionibus. Oratio ſuper populum ideo non dicitur, quia ad hanc olim *flectamus genua* dicebatur: & hoc in Dominica fieri non licet; ad quam conſecratio pertinet: & quia qui conſecrati ſunt, in virtutibus debent erecti ſtare.

CAP-

CAP. V.

De Quadrageſima.

Quadrageſima ideo vocatur, quia ab hac dominica ſunt 40. dies usque in Cœnam Domini. Populus Dei in Ægypto affligebatur à Pharaone, & per Moyſen liberatus mare rubrum ſiccô veſtigiô tranſivit: ſed hoſtiliter eos in ſequens in undis interiit. Poſt hoc Deus legem populo dedit, quadraginta annis cœleſti Manna pavit, aquam de petra produxit, deinde in terram fluentem lac & mel introduxit. Ægyptus eſt iſte mundus, B. Pharao diabolus, hæbraicus populus eſt Chriſtianus populus: quem Moyſes, id eſt, Chriſtus de poteſtate Pharaonis, id eſt, diaboli liberavit. Per mare rubrum, id eſt, per baptiſmum ſanguine Chriſti rubicundum duxit; hoſtes, id eſt, peccata ſubmerſit. Legem dat; quia peccata vetat: 40. annis per deſertum ducit, quia quatuor Evangelia per decem præcepta legis implere præcipit. Manna, id eſt, corpore ſuo paſcit: fontem de petra, id eſt, ſanguinem latere ſuo tribuit, in terram repromiſſionis, id eſt, in paradiſum inducit. C. In quadrageſima aliqua pars pugnæ peracta eſt; hoc dicit nobis, quem in miſſa *Protectorem* invocamus: *Invocavit me &c.* Et in Epiſtola: *Tempore accepto exaudivi te &c.* Et in reſponſorio: *Angeli Domini nos cuſtodiant.* In tractu: *Scuto veritatis circumdati* ſumus. In Evangelio ad triumphum tendimus, ut inimico dicamus? Vade Sathanas in interitum.

Moyſes jejunavit 40. diebus, Elias totidem, Chriſtus ſimiliter. Lex per Moyſen, prophetia per Eliam, Evangelium per Chriſtum deſignatur: hoc eſt: lex, D. & prophetiæ, & Evangelium nos hortantur ad jejunium quadraginta dierum, ut videlicet quatuor qualitates corporis maceremus decem præceptis legis: ſcientes quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.

Ab iſta Dominica ſunt quadraginta dies & duo usque ad baptiſmum: tot manſiones habuerunt filii Iſrael, quando baptizati ſunt in mari & in nube: quando exierunt de terra Ægypti de dura ſervitute, & pervenerunt ad terram repromiſſionis, Tot etiam generationes ſunt in Genealo- A. gia Chriſti. Qui ad cœleſtem patriam tendunt 40. manſionibus ùt filii Iſrael, illuc 40. diebus iſtis perveniunt, qui ad Chriſtum per baptiſmum tranſeunt, eodem numero ad eum perveniunt, quô Chriſtus ad nos pervenit. Chriſtus à primo patriarcha Abraham per 42. generationes ad virginem deſcendit: nos per Chriſtum, qui eſt Princeps Patriarcharum, implendo quatuor Evangelia per Decalogum legis ad regnum cœlorum aſcendimus. Quater decies ſiunt quadraginta. Mundus iſte quatuor climata habet, Orientem, Occidentem, Meridiem, Septentrionem: annus quatuor tempora habet, ver, æſtatem, autumnum, hyemem; homo conſtat quatuor elementis, terrâ, aquâ, igne, aëre. Porrò ab uno usque ad quatuor Arithmeticè decem numerantur, hoc ſignificat: quod homo in quatuor mundi partibus per quatuor tempora anni Decalogum legis & quatuor Evangelia erat impleturus. Luna ſecunda tertii menſis, id eſt: Martii inchoatur quadrageſima, quia in tertio tempore, id eſt, ſub gratia data ſunt duo præcepta charitatis: quibus homo quaſi duabus alis volaret ad cœlum.

A Septuageſima ſunt 60. dies usque in feriam quartam ante cœnam Domini: ſexaginta hi dies peregrinationem noſtram ad memoriam nobis reducunt, quâ peregrinamur à Domino. Tres dies, qui ſuperſunt, triduanum jejunium Ninivitarum ſignificant. Ut peccata noſtra, quibus affligimur, in reſurrectione Domini aboleantur, neceſſe eſt, triduo nos compati morti Chriſti: ut non irretiamur per concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ. Per ſex dies, qui ſuperſunt usque ad Sabbathum, bona opera recoluntur: in Sabbatho, id eſt, in requie animarum perfectæ libertati reddimur.

Quadrageſima ideo ante paſſionem Domini celebratur, quia hæc laborioſa vita per 40. figuratur, qua ab amicitia hujus mundi jejunare debemus; quia ſi compatimur, & conregnabimus. Vela in Eccleſiis ſuſpenduntur, quia in hac vita ſecreta cœlorum nobis abſconduntur.

CAP. VI.

De feria quarta hebdomada quarta.

FEriâ quartâ fit ſcrutinium; aures Catechumenis A. tanguntur, ut verbum Dei aure cordis percipiant, & ei obediant. Nares tanguntur, ut fœtorem vitiorum reſpuant. Initia quatuor Evangeliorum leguntur, ut quatuor vitiis, id eſt, ſtultitiâ, inconſtantiâ, libidine, exuantur, & quatuor virtutibus, id eſt, prudentiâ, fortitudine, juſtitiâ, temporantiâ imbuantur. Dominica oratio & Symbolum eis traditur, ut ſicut Hæbræi ab Ægyptiis, ita ipſi diſcedant à vitiis. Duæ lectiones leguntur, una eos ab errore revocat, altera mores inſtruit. Quia duo B. populi, Judæi & Gentiles ad fidem convertuntur. Reſponſorium: *Venite Filii* ad fidem vocat: Beata gēns bene operantes laudat. Evangelium in Siloë lotos, id eſt, in Chriſto baptizatos probat. Quòd quartâ feriâ quartæ hebdomadæ quadrageſimæ hoc fit, iſtud ſignificat. Per quadrageſimam omne tempus ſæculi ſignificatur; ſex dies primi ſex ætates uniuscujusque hominis demonſtrant: quarta feria & quarta ſeptimana quadrageſimæ compaginantur quartæ ætati Sæculi & Ævo unius hominis. Quarta ætas eſt à David usque ad transmigrationem Babylonis; à qua velut juvenili ætate in populo Dei Regum tempora cœperunt. Hæc ætas apta eſt regno. Hac ætate Chriſtianum imperium ſumpſit exordium, jurante Domino David: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Ideo in feria quarta hebdomadæ quartæ Catechumeni ad nomen Chriſtianum accedunt, quæ præfigurata eſt quartâ ætate Sæculi, quâ promiſſum eſt regnum Chriſti; de quo Angelus: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Patris ejus*, ad quod regnum ipſi per fidem & operatio- D. nem veniant.

Sabbatho ante paſſionem Domini leguntur duæ lectiones, quibus Catechumeni, mares ſcilicet & fæminæ, inſtruuntur: quia in hoc Sabbatho quoque ſcrutinium agebatur.

CAP. VII.

De Sabbatho ante Palmas.

SAbbathum ante Palmas ideo officio vacat, quia Apoſtolicus eleëmoſynam dat. Hac die venit Jeſus Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus: & fecerunt ei cœnam ibi. Et Maria accipiens libram unguenti, & unxit pedes Jeſu, & terſit capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti. Hoc eâ die Apoſtolicus facit membris Chriſti, quod ipſa fecit capiti. Pedes Chriſti ſunt pauperes, libra unguenti eſt juſtitia, capilli bona noſtra nobis ſuperflua, pauperibus neceſſaria. Odor in domo, bona fama in mundo.

CAP. VIII.

De die Palmarum.

DIes Palmarum eſt quando Dominus de Bethania deſcendit Jeroſolymam, & ei turba obviam venit cum ramis Palmarum. In memoriam illius rei nos per Eccleſias noſtras ſolemus portare ramos & clamare: *O Sanna Filio David, benedictus qui venit in Nomine Domine Rex Iſrael.* Appropinquante paſſione appropinquavit Dominus loco paſſionis, quia ſponte pro nobis voluit mori. Decimâ C. die menſis primi agnus, qui in paſcha immolaretur, domum introduci juſſus eſt in lege: & Dominus decimâ die ejusdem menſis, hoc eſt, ante quinque dies Paſchæ in civitatem, in qua pateretur, ingreſſus eſt. Palma dicitur Victoria: Dominus ſuperato diabolo & mundo cum ramis Palmarum ingreſſus eſt in civitatem; nos devictis vitiis & peccatis cum palmis Victoriæ intrabimus cœleſtem Jeruſalem. Major hæc hebdomada vocatur propter majora officia, & paſſiones, quæ in hac hebdomada leguntur. Fetiâ ſecundâ, & feriâ tertiâ duplex lectio legitur; quia Chriſtus pro duobus populis patitur.

CAP. IX.

De Feria quarta hebdomada Majoris.

FEriâ quartâ ad memoriam noſtri reducitur crudele conſilium Judæorum, & manſuetudo Chriſti. In introitu: *in nomine* reticetur: *Et omnis lingua confiteatur*: quia Judæi non confitebantur, ſed perdebant Dominum. Unus homo duas mortes paſſus eſt, mortem corporis, & mortem animæ: in prima lectione & in primo Reſponſorio recolitur mors animæ; in ſecunda lectione & in ſecundo Reſponſorio mors corporis. Pro utraque mortuus eſt Chriſtus; caro Salvatoris pro

pro ſalute corporum; ſanguis verò pro animabus effuſus eſt. Unus homo unam habuit animam, ideo primum reſponſorium unus verſus ſequitur. Secundum Reſpoſorium quinque verſus habet, ſicut homo per quinque ſenſus mortuus eſt. Ipſâ die vela deponuntur; quia in paſſione Chriſti cuncta Myſteria Scripturæ nobis reſerantur. Paſſio, quæ legitur facit nos recolere mortem noſtram.

CAP. X.

De Die Cœna Domini.

Feriâ quintâ oleum conſecratur tribus modis; in ea reſervatur corpus Domini usque in craſtinum: reficitur quoque in commemorationem Cœnæ Domini, lavantur pedes Fratrum & pavimenta Eccleſiæ, nudantur altaria usque in Sabbathum Sanctum. In ea die pœnitentes veniunt ad abſolutionem, & *Gloria Patri* cantatur in officio Miſſæ. Quintâ die produxit Dominus aves & piſces de aquis; quintâ ætate, quæ fuit à transmigratione Babylonis, venit Dominus in mundum: & aves, id eſt, ſapientes, & piſces, id eſt, inſipientes de pelago erroris produxit. Hodie unctio olei conficitur; quiâ quintâ ætate Chriſtus venit, qui nos in regnum & ſacerdotium ungeret. Oleum viſibile in ſigno eſt, oleum inviſibile in Sacramento; oleum ſpirituale intus eſt: Oleum pro infirmis in ipſo officio conſecrationis corporis Domini conſecratur, quia Chriſtus pro infirmis moritur. Chriſma in loco pacis conſecratur, quô uncti, Chriſto æquivoci, id eſt, Chriſtiani nominemur, ut ejus pace fruamur. Oleum Sanctum ibi conſecratur, quô Reges & Sacerdotes Domini ungamur. Ipſâ die finitur lex veteris teſtamenti: Moyſe enim mortuo Joſuë dux ordinatur; quia lege traditionibus Phariſæorum corruptâ Chriſtus incarnatur. Qui hodie paſcha cum Diſcipulis ſuis manducans veteri legi finem impoſuit, & novæ gratiæ initium dedit: tradens eis corporis & ſanguinis ſui myſterium. Quod in craſtinum reſervatur, quia in judicio vulneratum repræſentatur.

Cœna Domini in fine diei agitur, quia juſti in fine mundi epulabuntur in conſpe-
A. ctu Domini. Pedes Fratrum & pavimentum Eccleſiæ lavantur, quia nobis, qui ſumus pedes Domini, & qui ſumus Eccleſia, id eſt, convocatio, per Chriſtum peccata remittuntur. Unde & pœnitentes abſolvuntur. Et quintâ ætate venit Dominus & ſolvit legem, qui peccata puniebat: & gratiam inſtituit, qui crimina relaxabat. Altaria nudantur veſtimentis. Altare eſt Chriſtus, veſtimenta ſunt Sancti, qui eô relictô fugerunt. Tribus diebus, id eſt, feriâ quintâ, ſextâ & Sabbatho paſſionem & ſepulturam Domini
B. celebramus: ideo *Gloria Patri* & campanarum ſigna omittimus. Hodie mandatum fit, quod Dominus cum diſcipulis ſuis fecit: *Pax* ad miſſam non datur, eò quòd Judas Dominum oſculo prodiderit. Chriſma hodie conficitur, quia hodie nova lex in datione Corporis Domini incipitur. Ignis etiam hodie novus, de Chryſtallo, acceptus benedicitur: quia fumo legis extinctô lumen gratiæ Chriſtô largiente accenditur. Pœnitentes ideo hodie abſolvuntur; quia hodie Dominus per novam legem peccata dimiſit dicens: *Corpus meum pro vobis tradetur, & ſanguis*
C. *meus pro vobis effundetur, in remiſſionem peccatorum.* Gloria Patri reticetur; quia Filius Dei occidetur. Lumina extinguuntur; quia verum lumen, id eſt, Chriſtus extinguitur. Corpus Domini in craſtinum retinetur (quod tamen Romæ non fit) ut in feria ſexta paſſioni Domini communicetur. Ampulla cum Chriſmate, antequam benedicatur, Syndone albâ de ſerico involvatur, ita ut dimidia videatur: benedicta autem cooperiatur, ut à nemine nuda videatur, & omnes ſalutent eam. Ampulla cum Chryſmate eſt corpus Chriſti ſumptum de virgine. Pontifex flat in
D. ampullam ter, per hoc Spiritum Sanctum in Chriſto corporaliter habitare denuntians. Antequam tranſiret ad altare crucis, aliquo tempore coopertus, & aliquo erat nudus. Coopertus erat, cùm fugeret in Ægyptum, & humanas neceſſitates pateretur: nudus erat, cùm miracula faceret. Syndon alba eſt ejus mundiſſima converſatio; poſtea cooperitur, ut non videatur: quia Chriſtus poſtquam poſt reſurrectionem in cœlum aſcendit, inviſibilis apparuit. Quem adhuc ſalutamus; quia quotidie eum adoramus. Statio fit

Laterani: Lateranis dicta eſt à Laterano, A. qui quondam Cæſarianô truncatus eſt gladio.

CAP. XI.

De Die Paraſceves.

PAraſceve dicitur præparatio, eò quòd illâ die parabant Judæi, quæ in Sabbatho neceſſaria erant: ſicut quondam de Manna faciebant. Sextâ Feriâ terra impletur animalibus, & primus homo ad imaginem Dei formatus eſt: moxque ex latere ejus dormientis ſumptâ coſtâ fœmina formatur. Sextâ ætate Sæculi Chriſtus incarnatur, & ſextâ die crucifigitur: B. de cujus latere quaſi dormientis in cruce ſanguis & aqua fluxit, unde Eccleſiam fabricavit. Dicit lectio: *Decima die menſis tollat unuſquiſque agnum per familias & domos, & ſervabit eum uſque ad quartam decimam diem menſis hujus, immolabitque eum omnis filiorum Iſrael ad veſperam.* Dominus noſter eſt agnus, qui decimâ die ingreſſus eſt Jeruſalem, quartâ decimâ traditus, quintâ decimâ die pro nobis immolatus eſt. Sequitur Reſponſum cum quatuor verſibus: Chriſtus quando naturam hominis aſſumpſit, ex quatuor elementis compoſitum C. corpus ſumpſit. Ille pendebat in cruce quaſi Judex in tribunali ſedens: latronem converſum ad gloriam, non converſum ad pœnam judicabat. Pendebat in cruce medius inter duos latrones, unde unus verſus: *in medio*, inquit, *duorum animalium cognoſceris.* Duo genera ſunt afflictorum: afflicti, qui corriguntur, ad latronem converſum pertinent; qui non corriguntur, pertinent ad Judam, & ad latronem non converſum.

Hodie ad memoriam reducitur paſſio Domini, ad imitationem ſcilicet noſtram: ipſe enim paſſus eſt, ut ſequamur D. veſtigia ejus. Unde ſonat lectio: *Erit agnus abſque macula. Tolletis etiam & hædum & ſervabitis eum &c.* Agnus abſque macula eſt corpus Chriſti immaculatum: hædus corpus ſuum eſt, quod ſumus nos, qui peccatores ſumus. Utrumque animal memoratur in religione paſchæ; paſchalis agnus immolatio Chriſti: hædus eſt mortificatio noſtra. De reſurrectione etiam noſtra ſequitur lectio dicens: vivificabit nos poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos; quia ſi compatimur, & conregnabimus. Tractus: *Qui habitat* ſecundùm Romanos poſt multos labores vitam nobis promittit: ubi dicit: *Longitudine dierum adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum*, id eſt, Chriſtum.

Deinde ſequitur paſſio: in ea velut ipſum Chriſtum in cruce videmus. Duo Diaconi denudant altare, auferentes more furantis, quiâ traditô Chriſtô in manus iniquorum Apoſtoli in more furum fugerunt, & latuerunt. Miſſa non cantatur in ſexta & in ſeptima feria, quia Apoſtoli biduo in mœrore fuerunt, & in triſtitia ipſi biduo jejunaverunt: idcirco Sacramenta biduo penitùs non celebrantur: orationes pro omnibus gradibus recitantur, ut in adverſitatibus ad patientiam paſſionis Chriſti, & orationes confugiamus. Pro Judæis: *Flectamus genua* non dicimus, quia illi illudendo genu flectebant. Pacis oſculum intermittimus, ut quod Judas fecit in Domino, nos vitemus in fratribus. Deinde crux ſalutatur, Chriſtus verò adoratur, quia in cruce redempti ſumus. Crux non ſolùm nobis, ſed & Angelis cunctiſque in cœlo virtutibus profuit, & Sacramentum, quod antea neſciebant, illis aperuit. Proſternimur corpore ante crucem, mente ante Deum. Sicut Deus humanum genus per hominem redemit, quod per hominem periit: ita per lignum eum reparavit, qui per lignum cecidit. Adam perditus per quatuor partes mundi diſperſus erat: Adam ſalvatio quatuor partes mundi comprehendit ſtatu corporis ſui in ligno. Corpus Domini cum calice, vinô non conſecratô, profertur: Calix feriâ quintâ conſumptus, eſt finis veteris legis. Vinum non conſecratum per ſanctificatum panem ſanctificatur.

CAP. XII.

De Sabbatho Sancto.

SAbbathô Sanctô vigiliæ aguntur, quia mediâ nocte ſurrexit Dominus: mediâ etiam nocte eſt venturus in ſimilitudinem Ægiptii temporis, quando paſcha celebratum eſt, exterminator venit, & Dominus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni poſtes frontium noſtrarum conſecrati ſunt.

Romani ceram oleo mixtam benedicunt, agnos inde faciunt: in octava populo

Pulo ad incenſum & ad ſuffumigandum A. domos dabunt. Cera eſt Chriſti humanitas, oleum eſt miſericordia: agnus de cera factus eſt Chriſtus in paſcha immolatus. Cereus ſignificat columnam ignis quæ præceſſit filios Iſrael: Diaconus, qui eum benedicit, ſignificat Angelum, qui eam ferebat. Poſt eſum agni prima die egreſſi ſunt de Rameſſe, ſecundâ die de Socot, tertia die de Ethan, in qua die apparuit columna. Prima dies eſt paſſio Chriſti, ſecunda deſcenſio ad infernum: tertia eſt reſurrectio Chriſti; qui eſt columna ignis in nocte, id eſt, terribilis peccatoribus; columna nubis in die, id B. eſt, blandus juſtis. Columna præceſſit baptizatos in mari & in nube: cereus præcedit catechumenos noſtros. Lumen eſt Chriſtus, & gratia reſurrectionis, quô præſens nox & catechumeni illuſtrantur. Qui cùm baptizantur, trina merſione Chriſto conſepeliuntur: & cum eo reſurgent à morte vitiorum. Cereus à Diacono benedicitur more Romano, qui conficit agnos. Qui cereus per octo dies Neophytorum præcedit Pontificem, qui C. caput eſt populi: quia columna ignis præceſſit populum uſque ad terram repromiſſionis. Cereus novo igne accenditur; ut deſignet Chriſti doctrinam novam in novo teſtamento: vel novam gratiam, quâ illuſtrata eſt nox, ſcilicet Dominicæ reſurrectionis. Duo cerei minores ab eo illuminati, ſunt chorus Apoſtolorum à Chriſto illuminatus. Uterque præcedunt catechumenos ad Baptiſmum; uterque præcedant nos ad terram repromiſſionis: per ſe Chriſtus illuminat Eccleſiam, D. illuminat & per Apoſtolos.

Quòd catechumeni feria quarta poſt mediam quadrageſimam & Sabbato catechizantur, ſignificat, quòd fide & operatione ſint imbuendi catechumeni. In Eccleſia ſunt duo ordines, ſapientes ſcilicet & inſipientes. Per lectiones, quæ ad miſſam in die leguntur, ſapientes inſtruuntur: quæ in nocte ad matutinas leguntur, inſipientes imbuuntur, unde & exponuntur. Ideo hoc die lectiones toto nocturnali leguntur, quia convenit inſipientibus videlicet catechumenis adhuc in ignorantia poſitis. Quod autem abſque titulo leguntur, hæc eſt cauſa: Eis qui cognoſcuntur cives cœleſtis Jeruſalem, ſcilicet ſapientibus, pronuntiandi ſunt authores librorum: ut amore dulcedinis nominis concivis ſuis avidiùs lectiones imbibantur. Catechumeni verò quia nondum cognoverunt cives Jeruſalem, fruſtra eis profertur author incognitus: quibus vileſceret authoritas per ignorantiam. Quatuor lectiones leguntur, quibus catechumeni inſtruuntur.

Menſa tabernaculi habet quatuor pedes: tabernaculum eſt Eccleſia, menſa eſt Sacra Scriptura; quatuor pedes ſunt hi: Hiſtoricus intellectus, allegoricus, tropologicus id eſt moralis, anagogicus id eſt Superior. Hiſtoria eſt, cùm res ita, ut facta eſt, profertur ùt hæc hiſtoria: in principio creavit Deus cœlum & terram, in qua creatio mundi, & formatio hominis refertur. Catechumenus in hac lectione diſcit, qualiter homo ſit formatus, qualiter ſit lapſus: ne ipſe conſentiat carni ſicut Adam Evæ. Secunda lectio: *factum eſt in vigilia matutina &c.* in qua refertur ſalvatio Hebræorum & ſubmerſio Ægyptiorum: in quo facto hiſtoriæ catechumenus inſtruitur, poſſe liberari de manu diaboli per aquam baptiſmi. Allegoria eſt, cùm verbis ſive rebus myſticis præſentia Chriſti & Eccleſiæ Sacramenta ſignantur; ut tertia lectio: *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum*, id eſt, ſeptem gratiæ Spiritûs Sancti Jeſum; quem multo tempore deſideraverunt, quia nullum alium invenire potuerunt, in qua æterna ſtatione requieſcerent. Item: *Cum abluerit Dominus ſordes aqua filiarum Syon Spiritu judicii & Spiritu ardoris*; hoc eſt: ſacerdos lavat ſordes aqua, Deus peccata Spiritu Sancto. Demonſtratur catechumenis in hac lectione, quid debeant amare, ſcilicet virum, quem apprehenderunt ſeptem mulieres: & quid eis proficiat baptiſmus, id eſt, ut per Spiritum judicii, & Spiritum ardoris minora & maxima peccata purgentur. Tropologia eſt moralis locutio ad inſtitutionem morum ſive apertis ſive figuratis prolata ſermonibus; ut lectio quarta: *omnes ſitientes venite ad aquas, &, audite audientes me.* Et iterum: *Derelinquat impius viam ſuam, &c.* Docetur catechumenus in hac lectione declinare à malo & facere bonum. Sicut primæ duæ lectiones propter hiſtoricam narrationem concluduntur in cantico, ſic

illa

iſta locutio duobus canticis dilatatur propter duas ſe circumjungentes, mores ſcilicet bonos & cœleſtem patriam. Anagoge, id eſt, ſenſus ad ſuperiores ducens locutio eſt, quæ de præteritis, futuris, & ea, quæ in cœlis eſt vita futura, ſive myſticis ſive apertis ſermonibus diſputat; unde catechumenis dicitur in cantico: *ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum.* Canticum ideo cantatur, quia ipſi ſunt futuri in baptiſmo de centum quadraginta quatuor millium cœtu, qui cantant canticum novum, quod nemo poterat dicere niſi illi. Cantare ſolius eſt in conſpectu Domini gaudere præ cæteris de innocentia, qua procul dubio veſtiuntur infantes in baptiſmo.

Sacerdos tangit de oleo Sancto ſcapulas, & pectus catechumenorum. Oleum pertinet ad donum gratiæ Dei, ut dicitur: *Alteri fides in eodem Spiritu.* Ad tutamen mentis & corporis imponitur oleum in ſcapulis & pectore; per cogitationes malas & opera diabolus nos corrumpit: oleo Sancto, id eſt, ſcuto fidei munimur in ſcapulis, ut portemus onera Chriſti, id eſt, bona opera: in pectore pro munimine cogitationum dicit ſacerdos, *abrenuntias Sathanæ*, id eſt, diabolo, quem in ore tenebas per immolationem idolorum? Et omnibus operibus ejus, id eſt, voluptatibus carnis, ſuperfluis cibis, & potibus, & omni luxuriæ? & omnibus pompis ejus, id eſt, omnibus vanis & ſuperfluis honoribus? Per abrenuntiationem expellitur prior hoſpes, id eſt, diabolus; per confeſſionem intrat ſecundus. Credis in Deum Patrem omnipotentem? credo. Ecce aditus hoſpiti per fidem patet. Credis in Filium ejus? Credo. Ecce aditus divinorum operum Credis in Spiritum Sanctum? credo. En dantur baptizandis dona Spiritus Sancti.

Diabolus jure poſſidet infantes per peccatum primi hominis, qui nunc per exorciſmum expellitur. Parvuli ſalvantur propter fidem parentum & patrinorum, ſicut filia dæmoniaca liberata eſt in Evangelio fide matris. Qui adulti ſunt & poſſunt loqui, proprio ore proferant ſuam profeſſionem: pro parvulis reſpondeant patrini; quia ipſi non poſſunt loqui. Sicut enim alienô peccatô obnoxii, rei tenemur; ita propria peccata fide laxantur.

In prima oratione mundatur habitaculum A hoſpitis, qui debet Deum ſuſcipere, & deprecatur ejus adventus: *Omnipotens ſempiterne Deus adeſto m. pietat. t. m.* deinde gratias agit quòd tam magnus hoſpes ad tam humile hoſpitium deſcendit; deinde recolit miraculum ſuper aquam divinitus factum, ubi dicit: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* & quod factum eſt in ſalvatione arcæ, id quoque factum eſſe in figura baptiſmi. Deinde expulsô diabolo ſignat eum ſignaculô crucis ut non habeat locum redeundi diabolus, Per invocationem ſanctæ Trinitatis exemplo baptiſmi B Trinitas adeſt in noſtro baptiſterio. Pater ſignificatur ubi dicitur: *Benedico te per Deum verum*: Filius ubi dicitur: *Benedico te per Jeſum Chriſtum.* Spiritus Sanctus in ultimis. Quod vox mutatur, ſignificat diſceſſum vitiorum ob præſentiam Spiritus Sancti venientis jam in aquam ubi dicitur: *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti.* Tunc ponuntur cerei Neophytorum in aquam, quia ſignificatur per cereum Spiritus Sanctus. Filios C Iſrael præceſſit columna ignis in nocte & columna nubis in die, columna ignis eſt Chriſtus, à quo illuminati ſunt Apoſtoli; columna nubis eſt Spiritus Sanctus, à quo illuminatur Eccleſia. Cerei Neophytorum cum cereis Eccleſiæ illuminantur: quia poſtquam ſacerdos introduxit eos in ſocietatem Eccleſiæ, tunc illuminabuntur corda illorum. Levatum de aqua infantem linit eum presbyter chriſmate in cerebro propter occaſionem tranſitûs mortis, ibi curat plagas mortis & ſoluit vincula ut Samaritanus ſemivivum.

Si ſine confirmatione moritur, ſalvabitur D quidem; ſed plenam gratiam non conſequitur, Epiſcopus per impoſitionem manûs dat Spiritum Sanctum, id eſt nuptialem veſtem. Per oleum recta converſatio, per Balſamum ſancta intelligitur doctrina: ſapientia ad vitam, ſcientia pertinet ad doctrinam. Chryſmalis unctio pertinet ad duo dona Spiritûs Sancti, ad ſapientiam ſcilicet & ſcientiam. Oleum ad ſapientiam; balſamum odorem ſuum longe lateque ſpargens ad ſcientiam pertinet. Hæc duo, id eſt, doctrina & operatio ſunt in ſeptem donis Spiritûs Sancti. Sapientia ad vitam, intellectus ad doctrinam: conſilium ad doctri-

ctrinam, fortitudo ad vitam: ſcientia ad doctrinam, pietas ad vitam: timor ad utrumque. Hæc ſunt ornamenta veſtis, quæ tribuit Deus menti noſtræ per impoſitionem manûs Epiſcopi; ſine quibus periculoſum eſt aliquem inveniri in convivio Regis. Hoc ſolis Pontificibus licet ſicut Apoſtolis. Sine iſto ſignaculo non oportet nos præſentari ante Deum: quod ſignum videns exterminator in frontibus noſtris tranſit domos noſtras, quia non ſui ſumus, ſed ejus, cujus ſignum portamus. Ipſa crux nullo in loco figitur meliùs, quàm in eo, ubi ſummus Pontifex laminam auream, in qua ſculptum erat nomen Dei ineffabile, figebat. Crux cum chriſmate fit quod conficitur ex oleo & balſamo. Per oleum nitor charitatis, per balſamum odor bonæ notitiæ acquiritur.

Litaniæ, quæ fiunt circa baptiſmum, ſignificant interceſſiones Sanctorum pro renaſcentibus. Litaniæ græcè, latinè ſupplicationes dicuntur: litaniæ ante & poſt baptiſmum aguntur; quia in circuitu ſedis iris legitur. Sedes eſt Eccleſia, ſuper quam Dominus ſedet. Color Jaſpidis aquæ judicium, color Sardii judicium ignis. Septem lampades ſunt ſeptem Spiritus Dei. Baptiſmus eſt mare vitreum, in quo non aliud videtur exterius quàm quod geſtat interius. Chryſtallus de aqua in glaciem & lapidem vertitur pretioſum, & baptiſmi gratia figuratur Iris ſole nubes irradiante fit, & poſt diluvium primum propitiationis ſignum interceſſio eſt Sanctorum, quô Dominus illuſtrat Eccleſiam & munit. Deſignat Smaragdus viridi lapidi ſimilis hos, qui immarceſcibili fide cæteros orando protegunt. Trina merſio ſignificat tres dies mortis Domini, cui conſepelimur; elevatio de aqua, quod cum eo reſurgimus. Albas veſtes octo diebus portant cereis accenſis. Veſtes animæ ſunt corpora noſtra, quæ debent eſſe munda & candida à malis actibus. Cerei accenſi eſt charitas in bonis operibus, per octo dies, id eſt; in nova lege. In Sabbato exuuntur ipſa veſtimenta, quia in die exitûs animæ Sabbatum, id eſt, requiem inveniunt: & veſtimenta ſua, id eſt, corpora hìc dimittunt, ut recipiant illa iterum in noviſſimo die. Veſtimenta al-

A. batorum ab ipſis portanda ſunt donec penitùs conſumantur. Duplicia ſunt veſtimenta; quia duplex remuneratio Sanctis promittitur in vita æterna: id eſt, gaudium animæ, & gloria incorruptibilis corporis. Poſt baptiſmum ſi polluimus corpora noſtra, id eſt, veſtes animæ, illico feſtinemus ad ſecundum baptiſma, id eſt, pœnitentiam: ubi mundamur per gratiam ſeptiformis Spiritûs. Septem ad novam legem, decem ad veterem pertinent. Si decem præcepta per ſeptiformem Spiritum cuſtodiamus, Deo per obedientiam conjungimur, à quo per
B. inobedientiam receſſimus: & ipſum Regem, Dominum noſtrum in decore ſuo videbimus. Unde illô Sabbato finitur: in ſeptuageſimo numero ſeptenarius ſeptemplicìter decuplatur.

Septuageſima ſignificat tempus illud, quando filii Iſrael in Ægypto ſame & operibus duris opprimebantur à Pharaone, & pro liberatione ſua Dominum Deum ſuum invocabant. Feria quarta in capite jejunii quando Moyſes ivit liberare eos. Quadrageſima illud quando plagæ factæ
C. ſunt in Ægypto. Paſcha quando pervenerunt ad mare rubrum quod ſignificat baptiſmum. Tranſierunt per deſertum ſub ducibus Neophyti noſtri per 40. dies, ſub Presbyteris & Patrinis deducuntur. Columna præceſſit Judæos, cereus baptizatos. In Sabbato ad terram repromiſſionis perveniunt. Quadraginta duæ manſiones filiorum Iſrael ſunt quadraginta duo dies, ut qui in captivitate peccatorum fuimus, per exempla Patriarcharum revertamur per baptiſmum ad terram re-
D. promiſſionis. Qui baptizant, ſunt Patres baptizatorum; Patrini Vicarii eorum quibus commendantur: ut quia non vacat presbyteris, ab ipſis doceantur.

Cùm *Agnus Dei* ad litaniam incipitur, cerei Neophytorum incipiuntur ſive incenduntur: quia per illum lumen accipiunt, qui tollit peccata mundi. *Gloria in Excelſis* dicitur ob gloriam Dominicæ reſurrectionis: & quia, in quibus habitat diabolus, jam inhabitat Spiritus Sanctus; hoc ſonat oratio: *Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem &c.* ſimiliter & lectio: *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto &c.* & infra: *mortui enim eſtis &c.* Ad baptizatos pertinet in *Alleluja: Miſericordia Domini*, in tractu: veritas

ritas ejus prædicatur. Unde & *Alleluja* præponitur, quomodo hìc miſericordia, poſtea veritas in judicio.

Hebræa lingua eſt mater cæterarum linguarum & nobilior, latina inferior & quaſi filia: unde & *Alleluja*, quod hebræum eſt, præponitur hìc, quod in cæteris officiis non fit. Evangelium reſurrectionem Chriſti ad memoriam reducit, & Angelorum ad fœminas allocutionem. Ante Evangelium non portatur lumen, ſed thymiama, quia hoc tantummodo obtulerunt mulieres. Quod *offertorium* non cantatur, ſignificat ſilentium mulierum. *Sanctus* cantatur, quod eſt cantus Angelorum: quia reſurrectionem ejus Angeli nunciaverunt. *Agnus Dei*, reticetur, quia peccata mundi tollere non credebatur. Sacerdos, qui eſt Vicarius Chriſti, peragit officium, quia Chriſtus apparuit, cui voluit.

CAP. XIII.

De Paſchali tempore.

PAſcha & Pentecoſte de Scripturis ſanctis firmiſſimè tenentur, & quadrageſimæ dies ante paſcha ut obſerventur, Eccleſiæ conſenſio roboravit. Per octo dies paſchæ octo officia in commemoratione Neophytorum fiunt. Primum habet duas laudes, id eſt, *Alleluja confitemini*, & tractum *laudate*: octavum habet duo alleluja: *Hæc eſt dies*, & *laudate pueri*. quod non fit in ullo Sabbato uſque ad Pentecoſten. Sex media habent *Reſponſoria* & *Alleluja*. Prima vita non fuit ſempiterna peccanti, requies ultima ſempiterna eſt pœnitenti. Octavus dies eſt qui primus, ita prima vita, ſed æterna vita redditur. Quia Adam primò vitam habuit, *Alleluja* canitur; & quia non fuit ſempiterna, *tractus* ſequitur; ut in lingua humiliori humilitas poſterioris vitæ recordetur. Adhuc Neophyti in peregrinatione ſunt, in qua tamen Deum laudare debent, quia redempti ſunt. Requies ultima, quæ redditur in ſeptima die, & perficitur in octava, ipſa habet ſempiternam beatitudinem: propterea in ſeptima die, & octava die duo *Alleluja* cantantur; primum quia vita redditur, ſecundum quia ſempiterna eſt. *Alleluja* ideo, quia omnium linguarum glorioſior eſt lingua hebraica. Dominicis duobus duo *Alleluja* cantantur. Duo ſunt, unde anima in ſeptima die, id eſt, in requie laudat Deum; unum de percepta lætitia vitæ perennis: alterum de percipienda reſurrectione; ſive quia in reſurrectione mens & corpus laudabit Dominum. Per ſingulos dies unum Alleluja celebratur, quia interim ſine corpore anima laudat Deum. In feſtivitatibus Sanctorum duo *Alleluja* ſunt, quia jam de Domini aſpectu potiùs lætantur, quàm hæ, quæ tantùm ſunt in reſurrectione, animæ. Unum quia quieſcunt: alterum quia vident Deum. Medii ſex dies paſchæ *reſponſoria* tenent & *Alleluja*. Septenarius numerus requiem, ſenarius ſignificat opera. Animæ Sanctorum ante reſurrectionem corporis ſunt quidem in requie, ſed non ſunt in ea actione, quâ corpora recepta vegetantur. Ineſt quippe futuris corporibus quædam ineffabilis tranquillitas otioſæ actionis. Per *Reſponſoria* intelligitur actio Sanctorum in corpore, quæ erit cum omni lætitia; ut Reſponſorium ſonat: *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus &c.* Et quia hæc lætitia exitum habet in glorificatione, ſequitur *Alleluja*. Et ut demonſtretur, eandem actionem non eſſe aliud niſi laudem Dei, per ſex dies continuatim *Alleluja* canitur. *Reſponſoria* cum verſibus de Pſalmo ſunt *confitemini*, qui ſonat laudem. Quæ tamen laus per Alleluja concluditur propter nobiliorem linguam. Verſus: *Benedictus qui venit* feriâ quintâ: *Lapidem, quem reprobaverunt* feriâ ſextâ cantatur. propter paſſionem Domini, quam idem verſus ſonat.

CAP. XIV.

De octo diebus Neophytorum.

SIcut iter filiorum Iſrael à mari rubro uſque ad terram repromiſſionis ſignificat omnem curſum præſentis vitæ, ita octo dies Neophytorum curſum præſentis vitæ deſignant: in quo nos oportet ſecundum reſurrectionem Chriſti vivere. Mare rubrum ſignificat baptiſmum ſanguine Chriſti rubricatum, hoſtes morientes peccata præterita. Ducitur populus per deſertum baptizati ducuntur ad Eccleſiam quotidie. Illi Manna, iſti corpus Chri-

A Chriſti, ne deficiant in via hujus vitæ ſumunt. Illos columna, iſtos præcedit cereus in figura Spiritus Sancti, qui illuminat membra Chriſti. Status etiam curſus noſtri tali modo ſignantur. Prima dies quando baptizantur eſt Sabbatum, id eſt, requies, & ſtatus eſt Adæ, antequam peccaret. Adam ita factus fuit, ut abſque labore viveret, & tamen delectabiliter operaretur. Hæc requies data eſt baptizatis in Sabbato: ut deinceps operentur bona usque ad alteram Sabbati, ſicut & Adam operi deditus fuit abſque labore. B Requies & innocens vita, quam habuit Adam in ſeptima die: quando requievit Deus ab omnibus operibus ſuis; hanc recipiunt modò baptizati in Sabbatho. Deinde quia reſtat via baptizatis per deſertum, poſt *Alleluja tractum* cantamus, id eſt, patientia, per quam exſpectare debent terram repromiſſionis. Sequuntur ſeptem dies, qui pertinent ad opus bo- C num, ne vacua domus invadatur. Poſt illos ſex dies ſequitur baptiſmus: qui eos introducit ad patriam repromiſſionis, ubi eſt requies ſempiterna; non revertentes ad aliquem laborem, ſed de lætitia gloriæ animarum ad lætitiam incorruptibilis corporis: ac ideo non ſequitur *Alleluja: hæc dies quam fecit &c.* tractus, ſed Alleluja: *laudate pueri.*

Sex dies, qui inter duo Sabbatha ſunt, utrumque tempus nobis ad memoriam reducunt, ſcilicet illud Adæ, quô fuit deditus deſiderantiſſimo operi in paradiſo; & illud, quô filii Iſrael tranſierunt per deſertum ſub ducibus. In quo tempore non ſunt attrita veſtimenta eorum, & ſic tandem pervenerunt ad libertatem in terra repromiſſionis. Quæ ſignificat pa- D triam, in qua recipiuntur ſanctæ animæ poſt ſæculum tranſactum.

CAP. XV.

De ipſa Die Paſchæ & ſex ſequentibus.

IN die Paſchæ erit reſurrectiô mortuorum eâ horâ & eô tempore, quô Dominus ſurrexit. In Introitu præſentat ſe Chriſtus in Eccleſia Patri dicens: *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum* Oratio: *Deus, qui æternitatis nobis aditum &c.* regni cœleſtis ſanctis Eccleſiæ apertum demonſtrat per capitis ſui reſurrectionem. *Epiſtola* nos admonet, ut ſeparati ſimus à vitiis, contra quæ certavimus per dies quadrageſimales. *Reſponſorium* monſtrat, quantum lætari oporteat eos, qui purgantur à vitiis. *Alleluja* docet, in quo ſit lætandum: quia paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. *Evangelium* exponit cauſam totius lætitiæ.

Illi ſex dies paſcales, in quibus *Reſponſorium* cantamus & *Alleluja*, informant omnes dominicales ſive feſtos dies, quos celebramus ab octava Pentecoſtes usque in Septuageſimam. *Reſponſorium* & *Alleluja* actum eorum & lætitiam, ſive laudem ſive gratiarum actionem, qui perſeverant in ſanctitate, quam acceperunt in baptiſmo. Ita enim in ſpe habent regnum futurum, ut etiam hîc operando ad beatitudinem perſeveranter perveniant. Aliter: per *Reſponſorium* activa vita, per *Alleluja* contemplativa intelligitur. Actus neceſſe eſt, ut hîc celebremus, ut id, quod ſperamus, & per patientiam exſpectamus, adipiſci valeamus. Reſponſoria, quæ per ſeptem dies cantamus, ſive dominicales dies vel feſtos Sanctorum dies, qui ſequuntur, tales actus ſignificant, qualis eſt prædicatio, lectio, Eleemoſyna, viſitatio viduarum, pupillorum & infirmorum. Alleluja, quod ſequitur, ſignificat laudem Dei, in quem transfertur anima ſanctificata ab omni peccato.

CAP. XVI.

De 50. Diebus ab octava paſchæ ad octav. Penthec.

ILli quinquaginta dies, qui ſequuntur à Sabbato paſchæ usque ad octavam penthecoſtes, alteram vitam informant, quam nondum percepimus: ubi non erit *Reſponſorium*, quia nemo ibi prædicabit, ſed erunt omnes docibiles Dei. *Alleluja* tamen ibi celebrabitur, id eſt, lætitia animarum de percepta immortalitate & receptione corporum & gratiarum actione Deo in æternum. Eandem lætitiam numerus quinquagenarius ſignificat, qui apud Hebræos *Jubilæus* appellatur; id eſt, jubilatione plenus.

Quotidiani dies informant eos, qui Presbytero confitentur peccata ſua, ut ab ipſo corripiantur, & conſilium accipiant poeni-

pœnitendi. Ipſe dies ſine Alleluja tranſi- A. gunt, quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris.

CAP. XVII.

De Dominicis à Septuageſima uſque ad Paſcha.

DOminici dies à Septuageſima uſque in Paſcha eos informant, qui his tentationibus tunduntur, ſine quibus vita præſens non poteſt tranſigi. Tunc *Alleluja* non cantatur, ſed *tractus*: quia quamvis pertineant ad contemplationem prop- B. ter ſuam dulcedinem, & unionem, tamen non eſt in tanta lætitia, in quanta eſt ille, qui non offendit verbo; quia hic perfectus eſt.

Per dies Quadrageſimæ informat eos ſancta Eccleſia, qui propriè pœnitentes vocantur: excepto quòd non excommunicantur, & ad manus reconciliationis Epiſcoporum non redeunt. In fine Quadrageſimæ informat eos in jejunio, in abſtinentia, in luctu, in vigiliis, in obedientia bonorum operum quibus reconciliamur Deo in pœnitentia.

CAP. XVIII.

De Pentecoſtali tempore.

TEmpus Pentecoſtes inchoatur à prima die Reſurrectionis, & currit uſque in diem Quinquageſimam poſt Paſcha. Dominus quadraginta dies poſt reſurrectionem ſuam in hac terra & in hac vita cum diſcipulis ſuis converſatus eſt: poſtquam cœlos aſcendit, poſt decem dies Spiritum Sanctum miſit fidelibus. Per 40. dies continentia, per decem merces laboris accipitur. Septies ſeptem ſunt quagraginta novem; additur unum, id D. eſt, Dominica dies: & fiunt quinquaginta. Per ſeptiformem Spiritum dabitur nobis in Chriſto requies. Iſti 50. dies poſt reſurrectionem Domini non ſunt in figura laboris, ſed lætitiæ & quietis: propter hoc iejunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis. Hoc etiam omnibus Dominicis diebus obſervatur, & *Alleluja* canitur: quod ſignificat actionem noſtram non eſſe niſi in laude Dei; ſicut ſcriptum eſt: *Beati qui habit ant in domo tua Domine.*

CAP. XIX.

De Diebus Rogationum & Litaniis.

LItania major inſtituta eſt à Romanis propter bella; quæ inimici tunc commovebant adverſùs vicina regna. Dicit *Epiſtola*: *multùm valet deprecatio juſti aſſidua.* *Evangelium* ponit tria, panem, piſcem, ovum. Per panem omnia bona, quæ de terris naſcuntur; per piſcem, quæ de aquis: per ovum animalia, quæ ſimul coëunt, intelliguntur. Hæc omnia in illo tempore in aliquo profectu ſunt. Germina meſſis pullulant, arborum fructus ex flore prodeunt, vineæ atque olei liquor ſuis erroribus erumpunt, pullorum animantia campos tondent. Quando hæc neceſſaria ſunt noſtris uſibus, petenda ſunt à Domino: ut conſerventur ad ſpiritualia. Ita per panem charitatem, per piſcem fidem, per ovum ſpem intelligere poſſumus: quibus tribus à nobis colitur Divinitas. Hæc præcipuè illo tempore petenda ſunt, quando reſurrectio Chriſti ab Eccleſia celebratur.

C. Litaniæ ante aſcenſionem Domini taliter inſtitutæ ſunt. In Vienna urbe Galliæ terræ motus maximus multas Eccleſias & domos multorum ſubvertit: Beſtiæ multæ, lupi, urſi, ac cervi ingreſſi civitatem devorabant plurimos; & hoc per totum annum faciebant. In vigilia verò paſchæ palatium regale in eadem civitate divinô igne ſuccenſum eſt. Tunc Mamertus Epiſcopus indixit triduanum jejunium in populo Dei, & ceſſavit tribulatio. Hoc exemplo adhuc Eccleſiæ Dei litanias triduanas ubique celebrè colunt.

CAP. XX.

De Vigilia Pentecoſtes.

IN vigilia Pentecoſtes leguntur quatuor lectiones, & canuntur quatuor cantica ante baptiſmi conſecrationem, ſicut in vigilia paſchæ. Ibi legimus: *In principio creavit Deus &c.* In iſta tentavit Deus Abraham, in illa non ſequitur canticum, in iſta ſequitur. Hæ duæ lectiones ad memoriam nobis adducunt duos Patres: unum ſecundum carnem, alterum ſecundum Spiritum. Adam, qui in prima lectione memoratur, carnalis eſt Pater: à quo

quo omnes originem ducimus. Qui pec- A. cavit non obediendo præcepto Dei: ideo non ſequitur canticum Victoriæ. Abraham verò Pater eſt ſpiritualis, cujus fidem imitando filii Dei efficimur & populus Dei vocamur. Iſte reſtituit obediendo, quod primus offendit non obediendo: unde meritò ſequitur canticum victoriæ; quia occidit vitium inobedientiæ. Hæc lectio pertinet ad victoriam.

Sequitur canticum: *Vinea facta eſt &c.* ſcilicet Sacramentum Chriſti & Eccleſiæ; quod pertinet ad allegoriam: quia non his veniſſent boni mores, ad univerſum B. orbem non tranſiſſent. Secunda lectio: *Scripſit Moyſes canticum*; & canticum: *attende cœlum* pertinent ad tropologiam: mores enim inſtruunt. Tertia lectio: *Apprehendent ſeptem mulieres*; in qua ſeptem dona Spiritûs Sancti de obedientibus virum unum faciunt. Quarta lectio: *Audi Iſrael*; in qua dicitur: *Diſce ubi ſit longiturna vita & lumen Angelorum & pax*: quod pertinet ad Anagogen.

In prima lectione paſchæ Adam de terra formatur, & Eva de Adam: id eſt Chriſtus de virgine naſcitur, de quo Eccleſia. In ſecunda occiſus eſt diabolus in C. mari rubro, id eſt in Chriſti ſanguine. Poſtea per dilectionem ſeptem mulierum conjunctum eſt Chriſto genus humanum. Deinde ad bona opera directum eſt in lectione: *Hæc eſt hereditas.* Iſte ordo ſervatur in vigilia paſchæ; aliter eſt in vigilia Pentecoſten. In iſto recolitur, quomodo Abraham Deo placuit per obedientiam, & ſua progenies in bonis operibus delectata ſit: cui tamen neceſſe eſt in novo teſtamento, ut adjungatur Chriſto per baptiſmum, & ſic in eo maneat, uſque D. dum perducatur ad regnum cœlorum. Alleluja in commemoratione primæ innocentis vitæ Adæ canitur: ſed quia non fuit eadem innocentia ſempiterna, *Alleluja* in *tractum* convertitur.

Unctio chryſmalis ab Epiſcopo data in capite ſeptem diebus obſervetur, quibus diebus Adventus Spiritûs Sancti ſuper Apoſtolos ab Eccleſia celebretur. Cumque Spiritus in ſeptem mulieribus ad ſuum venerit hoſpitium, unicuique mulieri per ſingulos dies paretur convivium. Hoſpes Spiritûs Sancti eſt mens hominis, ſinguli dies profectûs mentis, convivia hæ ſint virtutes. In fide virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Oleum ſolet feſſorum membra fovere, balſamum verò ſolet redolere. Oleò ungit Spiritus Sanctus, cùm confeſſæ animæ per pœnitentiam peccata laxat: balſamo ungit, cùm cor per ſcientiam doctrinæ illuſtrat. Oleum fuit Spiritus, quando datus eſt Apoſtolis in terra, ut peccata relaxarent: Balſamum, quando de cœlis datus eſt, ut omnes verbo illuſtrarent. Oleo & balſamo ungimur, ut fide & operatione ſalvemur.

CAP. XXI.

De tempore Sacros ordines conferendi.

Sabbatum duodecim lectionum non propter tot lectiones, ſed propter 12. lectores dicebatur. Sex enim ſunt lectiones, quæ ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur. In temporibus, quando agimus duodecim lectiones, ſolemus jejunare, etiamſi pervenerint in octava Pentecoſtes: quando celebratur feſtivitas ſeptiformis Spiritûs & Neophytorum, duodecim lectiones oportet nos inchoare. A tempore primi menſis in 12. lection. conſecratio ſacrorum ordinum celebratur; ipſâ enim conſecratione hoc agitur, ut homo Deo conjungatur.

Primi Apoſtolici ſemper in Decembri menſe, in quo nativitas Domini celebratur, conſecrationes miniſtrabant; quò conſecratos propinquiùs Chriſti corpori conjungebant. Per tres enim teſſera decades annuales fiunt hebdomadæ quadraginta duæ: tot generationes ſecundum Matthæum Chriſti cum eo ſunt: tot etiam hebdomadæ inveniuntur à prima Sabbati primi menſis uſque ad quartam Sabbati decimi menſis.

Conſecratio prima celebratur primâ Sabbati primi menſis: quæ quaſi in loco Abrahæ generat Chriſtum, per quem benedicuntur omnes gentes. Ipſa conſecratio tempore verni celebratur, quod tempus habile eſt pro creationibus. Nam & Abraham tertiâ ætate hujus mundi factus fuit; quæ ætas adoleſcentiæ comparatur

ratur quæ habilis eſt generationi filiorum.

Secunda conſecratio eſt in quarto menſe ſecundâ Sabbati, quod eſt initium ſecundi Catalogi quatuordecim hebdomadarum. Hæc deputatur in loco David, qui proſtravit Goliam, id eſt, humilitas ſuperbiam. Qui conſecrantur: manufortes ſint per humilitiam, ut ſuperbiam dejiciant. Ipſa celebratur in Junio, quod tempus aptum eſt bello.

Tertia conſecratio celebratur in Septembri tertiâ Sabbati, quod eſt initium tertii Catalogi. Hæc deputatur Jechoniæ generationi, qui dicitur *præparatio Domini*: conſecrati enim debent ſe præparare in adventum Chriſti. Quæ conſecratio habet finem in ipſa nativitate Chriſti; quæ aliquando in tertia hebdomada finitur, & habet hebdomadas tredecim: aliquando in quarta, & habet quatuordecim. Neque hoc ſine ratione eſt, quia ſi computetur Catalogus noviſſimæ teſſeræ decadis, & ſemel computetur Jechonias, non amplius inveniuntur cum ipſo Chriſto quàm tredecim generationes. Si ipſe computetur, quatuordecim inveniuntur.

CAP. XXII.

De jejuniis quatuor temporum.

Quatuor jejunia initium ſunt quadrageſimalis temporis: denarius numerus totam diſciplinam noſtram continet, quæ talis eſt, ut creatura creatori ſerviat. Creator Deus colitur in tribus perſonis: colitur ab animo, qui eum diligit ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute: cui corpus ſubjicitur ad regendum, ex quatuor elementis compoſitum, id eſt, calido, ſicco, frigido, humido. Quod ſi benè rexerit tria animæ, quatuor corporis (quæ ſiunt ſeptem) ſubditur homo creatori, & ſunt decem. Quatuor temporibus annus voluitur, vere, æſtate, autumno, hyeme: hæc quatuor tempora ſolent per delectamenta ſua nos revocare ab amore creatoris. Qua de re jejunandum eſt in unoquoque tempore, ut noſtra quatuor elementa caſtigentur: ne à dilectione mundi ſubripiantur. Ipſa enim quatuor elementa conjuncta ſunt in ſua natura quatuor temporibus anni. Ver eſt calidus & humidus. In eo facimus A. unum jejunium, ut elementum humoris caſtigetur in nobis: ne conſentiat falſæ pulchritudini veris. Ex humore & calore naſcitur pulchritudo terræ. Æſtas ſicca eſt & calida, in quo alterum jejunium facimus, ut caſtigetur elementum caloris in nobis: ne conſentiat incendio carnali. Autumnus eſt frigidus & ſiccus, in quo tertium ſit jejunium, ne aliquo languore animi areſcamus, ac defluamus: & inveniamur ſine pinguedine olei in æterno tabernaculo. Etenim illo tempore congregamus, quò in futuro fruamur. Quartum jejunium ſit in hyeme, B. quæ eſt frigida & humida: ne membra noſtra fluxu ſolvantur atque luxu in comeſſationibus, & potationibus, atque per hoc amor Dei negligatur. Quia ergò quatuor tempora nos impediunt ab amore cœleſtium, ſcilicet matutinum, meridianum, veſpertinum, nocturnum: per hæc enim quotidie ab amore æternorum retrahimur: unde in unoquoque jejunio tres dies ſunt; quia unum quodque tempus tres menſes habet, pro unoquoque menſe ſinguli dies jejunio conſecrantur. Quia verò quotidiana peccata nos C. aggravant, non ſufficit unum jejunium per unum quodque tempus: ac propterea quadrageſimæ tempus inducimus, quò quotidiana peccata affliguntur. Denarius: qui pertinet ad diſciplinam noſtram, quater ductus quadraginta facit: in ipſo denario præſidet ſancta Dei Trinitas, & regit creaturam ſuam: ut aliena ſit à deceptione primi parentis. Eadem jejunia quartâ & ſextâ feriis & Sabbato ideo celebrantur: quartâ quia in ea die Judæi fecerunt concilium, ut occiderent Chriſtum; ſextâ feriâ eum occiderunt: D. Sabbato more Romanorum jejunium concluditur propter triſtitiam Apoſtolorum.

CAP. XXIII.

De Ordinatione.

In quo potiſſimùm conſecratio celebratur, quia Deus ſanctificavit diem ſeptimum. Quia ergò charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſeptiformem Spiritum, qui datus eſt nobis, ideo ſanctificatio in ſeptima die commemoratur, ubi requies commendatur. Epiſcopi conſecratio tranſit ad Dominicum diem: ipſe

ipſe eſt Vicarius Apoſtolorum, imo Chriſti; eô die accipit donum Spiritus Sancti, quâ die illuſtrabat corda Apoſtolorum.

Quartâ feriâ leguntur duæ lectiones; quartâ ætate mundi lex & prophetia viguerunt: qui conſecrantur, habeant notitiam legis & Prophetarum. Sextâ feriâ una lectio legatur, quia lex & prophetia in uno Evangelio recapitulatur, quod legitur in ſexta mundi ætate. In Sabbato, quando benedictio datur, quatuor lectiones leguntur; quia quatuor ſunt ordines benedicentium Dominum: domus Iſrael, domus Jacob, domus Levi, B. & qui timent Dominum. Quinta lectio eſt de camino ignis, quia conſecrandi debent eſſe probati per fornacem, id eſt per multas tribulationes. Ad quam genua non flectemus, ne ſtatuam Nabuchodonoſor adoremus, ideo ut affatio ſit ſeparata ab errore gentilium. In ſexta lectione perſeverantia bonorum operum inſtruitur, in *tractu* humilitas docetur: in *Benedictus* benedictio, id eſt, laus conſecratorum tenetur.

Hieronymo Cleros dicitur *ſors*, Clericus dicitur *ſors Dei*: quia accipit decimas, id eſt, partem Domini. Tonſu- C. ra incepit in lege à Nazareis, in Evangelio à Petro. Sacerdotes legis Cydarim, Reges verò coronam portabant. Chriſtus Rex & Sacerdos fecit nos Reges & Sacerdotes: Reges quò mores regamus; ſacerdotes quò deſiderium carnis mortificamus. Nuditas capitis Cydarim, capilli ſignificant coronam. Per caput mens intelligitur, in qua eſt agnitio Dei; quæ eſt radenda à capillis, id eſt, ſuperfluis cogitationibus. Corona, quam in inferio- D. re parte capitis portamus, eſt ratio, cum qua mundana gubernamus.

CAP. XXIV.

De ordinandis eorumque dignitate ac Officiis.

Qui ordinantur, Chriſto incorporantur. Ipſe fuit oſtiarius, ſicut dicit: *Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, huic oſtiarius aperit.* Exorciſta extitit, quando dæmonia expulit. Lector erat, quando Iſaiam legerat. Accolythus fuerat quando lumen cœcis reddebat, & dixit: *Ego ſum lux mundi.* Subdiaconus, quando aquas convertit in vinum; Diaconus, quando lavit pedes Diſcipulorum. Presbyter quando dedit corpus ſuum. Epiſcopus, quando benedixit eis.

Oſtiarius cùm ordinatur ſuſcipit claves Eccleſiæ, & ipſe aperit oſtium Eccleſiæ: ſi quis per fidem aliquem introduxerit in Eccleſiam, ipſe eſt oſtiarius. Lector dicitur à legendo; lectores ſumus quando inſtruimus aliquem de moribus intrantem ad Chriſtianum populum. Exorciſta dicitur adjurator: ſi quis per orationes ſuas vitium diaboli poterit de homine expellere, exorciſta eſt. Acolythus eſt ceroferarius. Lumen quod fertur ante Evangelium ſive ſacrificium, ſignificat lætitiam: hujus benedictio pertinet ad prophetiam. Qui ignem verbi cœleſtis (quô & Fratres ad agnoſcendum illuminentur, & ad diligendum Deum inflammentur) prædicando miniſtrat, acolythus eſt. Subdiaconus dicitur ſubminiſter. Hic accipit ab Epiſcopo calicem & patenam, quæ vaſa corporis & ſanguinis Domini ferat Diaconus ad altare. Non eſt ejus officii legere Epiſtolam, ſed lectoris. Diaconus dicitur Miniſter ſcilicet ſacerdotis, quia in menſa Domini cœleſte convivium diſponunt. Huic manus impoſitio fit, per quam operatio Spiritûs Sancti intelligitur: in aliquo ſapientia, in aliquo fides, in aliquo caſtitas. Accipit ſtolam in ſiniſtro humero, id eſt, onus Domini leve in activa vita: legit Evangelium, quia quamdiu Chriſtus illud prædicavit, miniſter nobis factus eſt Presbyter dicitur ſenior, ut ſit canus non capite, ſed mente. Hujus manus unguntur oleo, ut ſint mundæ ad offerendum Deo hoſtias; & largæ ad cætera pietatis opera. Olim erat idem Presbyter, qui & Epiſcopus, Sacerdos à ſacro ducatu dicitur. Opus Presbyteri ad donum Spiritus ſapientiæ pertinet. Pontifex dicitur quaſi pontem faciens populo ad cœlum. Antiſtes quaſi ante ſtans, ſive contra ſtans ſcilicet hæreticis. Epiſcopus ſuper intendens verbo & exemplo. Hic eſt ſponſus Eccleſiæ. Sicut in nuptiis multi conveniunt, ita hic multi in conſecratione Epiſcopi quaſi ad nuptias Eccleſiæ confluunt: ut in perfectum ordinato congaudeant, & Deo pariter preces fundant. Vicarius eſt Chriſti, ideo oleô in capite ungitur; caput

caput Eccleſiæ eſt Chriſtus, oleum in capite charitas in mente. Vice Chriſti regit Eccleſiam. Benedictio omnium electorum erit communis, ſed pro qualitate operum diverſæ manſiones.

CAP. XXV.

De Veſtibus Sacerdotum ſive Epiſcoporum.

VEſtes Sacerdotum pertinent ad converſationem Chriſtianorum. In divinis induantur lineis, in quotidianis negotiis utantur laneis. Lineæ veſtes ſunt ſubtiles orationes ad Deum: laneæ verò groſſa locutio ad populum; amictus dicitur, qui circumvincitur, quò collum undique cingitur. In iſto veſtimento admonetur caſtigatio vocis. Poſtea poderis, id eſt, talaris veſtis, quæ alba vocatur: quæ totum corpus ab iniquis operibus & à pravis mentem cogitationibus compeſcat. Cingulum ſignificat caſtitatem. Sandalia ſubtus pedem cooperiunt, deſuper nudum relinquunt. Per ſandalia ſeu *cambagas* perſectus ad prædicandum Evangelium, quod nec terrenis commodis occultatur, inuitatur. Caſula quia pertinet ad omnes clericos, ſignificat etiam opera, quæ ad omnes pertinent: fames, vigiliæ, lectio, oratio &c. Caſula eſt duplex inter humeros & inter pectus poſt tergum. Per humeros opera exprimuntur: duplex veſtimentum in humeris ſunt bona opera coram proximis & coram Deo. In pectore ſit duplex, id eſt, doctrina & veritas: veritas interiùs, doctrina ad homines. Per ſtolam intelligitur jugum Domini ſuave, id eſt, Evangelium.

CAP. XXVI.

De Dalmatica.

DAlmatica Religio ſancta & immaculata eſt viſitare pupillos & viduas. Dalmatica habet duas coccineas lineas retro, ſimiliter & in anteriori parte: quia vetus & novum teſtamentum tutilant dilectione Dei & proximi. Immaculatum eſſe pertinet ad Deum, viſitare fratres ad proximum. Color coccineus opera miſericordiæ, quæ ex charitate fiunt in pupillis & viduis. Per candorem Dalmaticæ viſitatorum munditia deſignatur. Fimbriæ, quæ procedunt de Dalmatica, verba ſunt prædicationis. Triginta fimbrias habet Dalmatica retro & ante; ſingulæ lineæ altrinſecus quindecim: quia charitas in veteri & in novo teſtamento quindecim ramos producit. Per humerum dextrum & ſiniſtrum proſperitas intelligitur & adverſitas, in quibus prodeſt fratribus charitas. Quindecim rami charitatis ſunt; *Patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit per param, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt; non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Linea, quæ in medio eſt, quaſi ſtipes eſt charitatis: lineæ ſive fimbriæ in dextro ſive ſiniſtro ſcilicet retrò ad præcepta veteris teſtamenti pertinent, quæ verò in anteriori parte ſunt, ad novum teſtamentum pertinent. Siniſtrum latus habet fimbrias; quia actualis vita ſollicita eſt & turbatur erga plurima. Dextrum latus non habet; quia contemplativa vita quieta eſt. Largitas brachiorum ſive manicarum eſt hilaritas datoris. Diaconus, qui legit caſulam, circumcinctus eſt latere ſiniſtro pertuſus, quia vult Chriſtum imitari; qui lanceâ eſt perſoſſus in latere. Subucula quâ induitur Pontifex poſt Camiſiam, ſignificas virtutes intimas & orationem ſublimium: quæ non patet omnibus, ſed perfectis atque majoribus; ùt eſt fides, ſpes, charitas.

CAP. XXVII.

De Pallio Archiepiſcopi.

PAllium Archiepiſcoporum ſuper omnia indumenta eſt: ùt lamina in fronte ſolius Pontificis, ſic illô diſtinguitùr Archiepiſcopus à cæteris Epiſcopis. Pallium ſignificat torquem, quem ſolebant legitimè certantes accipere. Quod habeat duas lineas à ſummo uſque deorſum, retro & ante, ſignificat: quòd mandata veteris teſtamenti à principio Geneſis uſque in finem, in humerali linea operando & docendo portet Pontifex in pectorali novo à primitiva Eccleſia uſque in finem, Circa collum circulus, eſt diſciplina Domini. Sermonem antiqui cantantes coronam in capite, torquem in collo accipie-

piebant. Corona in capite eſt charitas in mente, torques in collo eſt operatio in prædicatione: ut operibus impleat quod verbis docet. Corona gratia novi teſtamenti: torques, ſpes regni cœleſtis; cujus ſplendor eximius ad exemplum coronæ vel torquis nullo unquam fine claudetur. Sudarium portatur in manu ſiniſtra, quô oculorum & narium tergantur ſuperflua. Hoc ſunt piæ & mundæ cogitationes, quibus detergimus moleſtias animi ex infirmitate corporis & vitæ præſentis.

CAP. XXVIII.
De Sandaliis.

Epiſcopus habet ligaturam in ſuis Sandaliis, quam non habet Presbyter. Epiſcopi eſt huc & illuc diſcurrere per parochiam ad regendam plebem, & ideo ligata ſunt, ne de pedibus cadant. Hæc ſignificant firmare mentis greſſus, qui in turbis populorum verſantur. Presbyter verò, qui domi hoſtias immolat, ſecuriùs incedit. Diaconus etiam habet in Sandaliis ligaturam, quia ſuum eſt ire ad comitatum. Subdiaconus habet diſſimilia, ne Diaconus æſtimetur. Sandalia curſum prædicatoris ſignificant; ſolea quæ ſubtus eſt, ne prædicator ſe terrenis negotiis implicet. Lingua de albo corio ſubtus calcaneum, ut ſit innocens & ſine dolo: lingua exinde ſurgit ſeparata à corio Sandaliorum, lingua eſt eorum, qui foris ſunt, & teſtimonium dant bonum prædicatori: hi ſunt in inferiori parte, & quodammodo à converſatione ſpiritualium ſeparati. Lingua ſuperior ſpiritualium lingua eſt, qui prædicatorem in opus prædicationis introducunt; hæc in exteriori vita prædicatoris requirunt. Intrinſecus ſunt circumdata Sandalia de albo corio, ita intentio prædicatoris ſit candida coram Deo & pura conſcientiâ. Extrinſecus verò integrum apparet, quoniam videtur prædicatorum vita deſpecta ſæcularibus. Superior pars Sandaliorum, per quam pes intrat, multis filis eſt conſuta, ut duo coria non diſſolvantur: in initio debet ſtudere prædicator pluribus virtutibus atque ſcripturarum ſententiis, ut opera forinſecus cum his, quæ intrinſecus intenta ſunt, coram Deo, non disjungantur. Lingua Sandaliorum, quæ ſuper pedes eſt, linguam prædicatoris ſignificat: linea ope ſutoris facta procedens à lingua Sandalii usque ad finem ejus, eſt Evangelica perfectio. Lineæ ex utraque parte procedentes, lex ſunt & prophetæ, quæ in Evangelio recapitulantur. Etenim ipſæ replicatæ ſunt ad medianam lineam, quæ usque in finem currit. Ligatura myſterium incarnationis Chriſti, corrigiæ ſupererogatio eſt proprio ſumptu prædicare.

CAP. XXIX.
De Veſtibus Presbyteri.

Panthera beſtia habet colores ſeptem: nigrum, album, griſeum, croceum, viridem, aërium, rubeum. Quæ panthera varias herbas comedit conſtans in petra, languentes, ad ſe venientes flatu ſuô à morbo ſanat. Per pantheram Presbyter intelligitur, qui habet ſeptem veſtes & ſeptem virtutes. Niger color humilitas, albus caſtitas, griſeus diſcretio, croceus ſapientia, viridis fides, aërius ſpes, rubeus charitas. Diverſæ herbæ diverſæ ſententiæ ſcripturarum: Petra Chriſtus, languidæ beſtiæ homines peccatis ægri. Quos Sacerdos ſanat, ſi eis ſententias de ſcripturis proferat. Presbyter dum ſe præparat, quaſi duellum cum diabolo pro Eccleſia inchoat. Humerale ponit in capite, id eſt, ſpem pro galea; albam, id eſt, fidem pro lorica, cingulum, id eſt, caſtitatem, pro baltheo; ſubcingulum, id eſt, teſtimonia ſcripturarum aut exempla Sanctorum pro pharetra & ſagittis; ſtolam, id eſt, obedientiam vel juſtitiam pro lancea vel funda: Fanonem in manu id eſt operationem, pro clava; caſulam, id eſt, charitatem pro ſcuto; Evangelii librum, id eſt, verbum Dei pro gladio; ſandalia, id eſt, prædicationem pro calceamentis pugilum.

CAP. XXX.
De Campanis.

In lege tubis, apud nos campanis populus convocatur. Campana fit ex metallo æris, quod eſt durabile & ſonorum, habens interius plectrum ferreum; campanæ, ſunt ora prædicatorum novi teſtamenti, quæ plus durant, quam tubæ veteris

ris teſtamenti, atque altius reſonant. Ora prædicatorum durabunt usque ad finem, & audietur longè ſonus eorum usque in fines terræ. Ferrum interius eſt lingua eorum, funis eſt menſura vitæ noſtræ: qui funis habet initium à ligno, ſcripturam ſacram quod ſignificat novi teſtamenti deſcendentem à ligno Dominicæ Crucis. Quod lignum à ſuperioribus continetur, quia Dominica Crux à Prophetis & antiquis patribus retinetur. Qui funis usque ad manum ſacerdotis pertranſit, id eſt, ſcriptura ad opera ſacerdotum debet tranſire. Presbyter moveat ſignum, ut ſciat ſe ſignificari per ipſum. Quando funem ſequitur ſurſum, recogitet, quantùm ad bona opera ſe erigat: quando trahit deorſum, conſideret, quantùm adhuc in pravis jaceat. Vinculum, quô plectrum ligatur, quædam eſt moderatio: quæ ſcit ad tempus movere plectrum linguæ, ut labia feriantur. Vinculum attractum funis plectrum movet. Quando modeſtia ad authoritatem ſacræ ſcripturæ linguam prædicatoris movet.

CAP. XXXI.

De Eccleſia.

Eccleſia eſt convocatus populus per miniſtros Eccleſiæ; ipſa etiam domus vocatur Eccleſia quia continet Eccleſiam. Synagoga dicitur congregatio, quod pertinet ad pecora, quæ ad paſtum congregantur: vel Eccleſia dicitur convocatio, quod pertinet ad rationabilia. Ipſa vocatur Kyrica, id eſt, Dominicalis: Kyriòs, græcè, latinè Dominus: ipſa etiam appellatur Baſilica, id eſt, regalis domus: Baſileos Rex dicitur quaſi baſilans, id eſt, baſis populi, hoc eſt, laus populi. Ad quam conveniunt, ut audiant judicia Dei, & manducent corpus Domini. Maſculi ſtant in parte auſtrali, & fœminæ in boreali: ut oſtendatur per fortiorem ſexum, firmiores ſanctos conſtitui in majoribus tentationibus hujus mundi; & per fragiliorem ſexum, infirmiores in aptiori loco.

CAP. XXXII.

De velo Mulierum.

Linus Papa ex præcepto beati Petri conſtituit, ut mulier velato capite in Eccleſiam intret propter reverentiam ſacerdotis: ut quaſi ante Judicem, ſic ante ſacerdotem, qui Vicarius eſt Domini, prop-
A. ter reatûs originem ſubjecta debet videri: & ne viri incitentur ad libidinem.

CAP. XXXIII.

De Choro.

Chorus eſt conſenſio cantantium: dicitur chorus quod initiô in modum coronæ circum aras ſtarent & pſallerent. Cantores ſunt Dei laudatores & ad laudem cæteros excitantes. Veſtes cantorum ſunt lineæ, candidæ & longæ: lineæ, ut ſint ſubtiles ingenio; candidæ, ut ſint mundi & caſti: longæ, ut ſint perſeve-
B. rantes in bono usque in finem. Laxitas capparum eſt latitudo charitatis, fimbriæ bona opera.

CAP. XXXIV.

De Cæremoniis in Miſſa Epiſcopi.

Miſſa olim à lectione & Evangelio inchoabatur, qui mos in vigilia & paſchæ & pentecoſtes adhuc retineatur. Introitum verò & orationem inſtituit
C. Cœleſtinus Papa. Introitus Epiſcopi ad miſſam, qui Vicarius eſt Chriſti, ſignificat adventum Chriſti in mundum, & populi adunationem ad eum ſive per ſuam prædicationem ſeu ſuorum prædicatorum. Introitus Epiſcopi celebratur, ad ſeſſionem ſuam tangitur officium ex parte, quod Chriſtus corporaliter geſſit in terra, ſive diſcipuli ejus: usque quo aſcendit ad paternam ſedem. Unde mos inolevit, ut non ſedeatur in Eccleſia, quamdiu præſens officium agitur: quia labori Chriſti
D. deputantur, qui ad cultum Dei vocantur.

Præconibus pſallentibus Chriſtus currum ſuum aſcendit, & in mundum venit; unde dicitur: *Currus Dei decem millibus multiplex.* Currus decem millium, multitudo eſt Sanctorum in ordinibus Eccleſiaſticorum & in auditoribus eorum. Septem gradus ſunt ordinatorum: oſtiarii, lectores, exorciſtæ, acolythi, ſubdiaconi, diaconi, presbyteri. Octavus auditorum, nonus & decimus cantorum, virorum & mulierum: *millium* additur propter perfectionem. Veniente Domino, ducit ſecum prophetas, ſapientes & ſcribas; Diaconi ſunt in loco Prophetarum, qui añuntiant ex Evangelio vitam futuram; Subdiaconi ſunt in loco ſapientium, qui ſciunt vaſa

vaſa diſponere, & nova & vetera proferre. A Aeolythi in loco ſcribarum, qui accendunt corda fidelium ex ſacra ſcriptura.

Præcedit in thuribulo thymiama, quod ſignificat corpus Chriſti plenum odore bono: quòd primùm debet prædicari in omnibus gentibus. Deinde candelabra ferantur, ut ſuper fundamentum jam poſitum luceat lux prædicatorum coram hominibus. Jam illuminatos ſubdiaconi ſequantur, quia ſapientia debet loqui inter perfectos. Evangelium illis jungatur, in quo declarata eſt perfectio. Epiſcopus & ſibi juncti Evangelium ſequan- B tur, ut dicitur: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.*

Septem Diaconi ſunt in miniſterio Epiſcopi in loco prophetarum, quia ſcriptura ſeptempliciter dividitur inter novum & vetus teſtamentum: quæ in Evangelio miniſtrant. Epiſcopus & ſibi juncti poſt Evangelium in medio; quia Vicarius eſt Chriſti, ſequitur Evangelium. In novo teſtamento in quatuor, id eſt, actus Apoſtolorum, canonicæ Epiſtolæ ſeptem, Epiſtolæ Pauli quatuordecim, Apocalypſis: in veteri in tria; in legem, in pro- C phetas, in pſalmos. Si quinque Diaconi fuerint, quinque miniſtros librorum demonſtrant Evangelio miniſtrare. Epiſcopus in medio quaſi Evangelium habet in novo teſtamento primum ordinem prædicatorum hiſtoriæ, ſecundum Epiſtolæ, tertium prophetiæ, ùt eſt apocalypſis: in veteri unum legis, & alterum prophetiæ. Si tres fuerint, tres miniſtrationes trium librorum; fons omnis ſapientiæ Evangelium in medio, in novo teſtamento duo Epiſtolæ & prophetiæ; in veteri unum, id eſt, legem; novò teſtamentò enim omnis ſcriptura apud vete- D res lex vocatur. Si unus fuerit, unum dilectionis præceptum oſtendit, ùt dicitur: *Omnis lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Miniſterium prophetæ eſt ex memoratis libris Evangelicam veritatem approbare, & habeant ante ſe ſubdiaconorum ſapientiam, ut congruo tempore prophetent: & acolythorum lux doctorum opus expleat exponendo libros.

Sapientia, id eſt, ſubdiaconi vadunt in medio tympaniſtriarum juvenculárum, ut doceant, quæ tympaniſtriæ laudare debeant. Tympaniſtriæ ſunt cantores, miniſterium cantorum laudes reſonat. Adoleſcentulæ ſunt novæ Eccleſiæ, carne edomitâ Deum laudantes. Epiſcopus veniens ſtat inclinatus, & pacem dat miniſtris qui à dextra lævaque ſunt: Chriſtus Eccleſiæ præſentatus, quæ priùs optavit: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, dedit ei pacem, & his, qui de Judæis, & his, qui de gentibus. Pacem etiam offert cantoribus, qui retrò ſtant; quia tam his, qui in lege, quàm his, qui in novo teſtamento erant, pacem tribuit. Tunc cantores de adventu ſubdiaconorum, id eſt, ſapientia Dei intelligunt Trinitatem Deum laudare & dicunt: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Diaconi quaſi chorus prophetarum ſtant eum eo humilitati, & dicunt: *Domine doce nos orare*; quia unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, docet orare. Laudatores adventûs Domini ſive cantores tempus eſſe annuntiant, ut corda Patrum convertantur in filios: ſicut Abraham tres Angelos vidit, & unum Deum adoravit; ſic modò filios Abrahæ oporteat credere & dicere: *Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in Sæc. Sæc.* Duo Diaconi vadunt viciſſim altrinſecus oſculari latera altaris, quia Chriſtus miſit binos Apoſtolos ante faciem ſuam. Oſculum eorum ſignificat, ubi intrantes dicunt: *Pax huic Domui*: Altare corda electorum ſignat. Poſtea revertuntur ad Epiſcopum, ut in Evangelio legitur: *Quia reverſi Apoſtoli nunciaverunt illi, quæ fecerunt.* Sunt diſcipuli eum Chriſto, Chriſtus ſolus orat.

Deinde cantores tempus Dominicæ paſſionis memorantes dicunt verſum de pſalterio. Pſalterium ex inferiori parte percutitur, & in ſuperiori habet, in quo reboat. Sic & opus paſſionis Domini ab inferiori habet percuſſuram, à ſuperiori parte dulcedinem reſurrectionis. Deinde aſcendit Epiſcopus ad altare, & oſculatur illud, & Evangelium: hoc eſt, Chriſtus tempore paſſionis aſcendit Hieruſalem ad crucem. Oſculum Evangelii pax duorum Evangeliorum: oſculum altaris pax Chriſti cum hominibus ejus paſſionem imitantibus. Evangelium remanet in altari usque ad legendum, ita Evangelica doctrina initio ſonuit in Hieruſalem;

lem; inde exivit in publicum. Deinde A. tranſit Epiſcopus ad dexteram altaris; Chriſtus elegit dexteram vitam poſt reſurrectionem ſuam. Diaconi poſt eum ſtant in ordine: qui poſt Chriſtum ſtant, firmati ſunt, ut eum ſequantur usque ad mortem, & cum eo tranſeant ad æternam vitam. Major pars ſtat in parte dextra, minor in ſiniſtra: dextra pars ſunt æterna, ſiniſtra verò temporalia. Petimus à Deo æterna, id eſt, juſtitiam, ſapientiam, & charitatem; petimus & temporalia, fructus terræ, & pacem in terra noſtra. Inter hæc omnia acolythi ſtant, B. & tenent cereos in manibus: luceant doctores & verbis & operibus.

CAP. XXXV.

De Kyrie eleiſon.

KYrie eleiſon propter tres cauſas cantatur; una, ut ſerenetur mens ſacerdotis ad ea attendenda, quæ ore dicit: altera, ut dignus ſit loqui cum Deo, quantùm ad humanam naturam pertinet: tertia, quòd ſi tædio aliquo corporali Spiritus affectus ſine mente oraverit, Dominus non in furore ſuo reſpiciat ſuper illud, C. ſed in judicio miſericordiæ. Ideò etiam in omnibus officiis ante orationem Dominicam *Kyrie eleiſon* dicitur: id eſt, Domine miſerere. Tunc deponunt acolythi cereos, id eſt poſt bona opera humiliantur: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

CAP. XXXVI.

De Cereis.

CEreus in medio ſtans, ſignificat Chriſtum, qui dixit: *Ubi duo vel tres con-* D. *gregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum.* Septem cerei, ſeptem dona Spiritus Sancti. Epiſcopo aſcendente ad ſedem cereoſtata mutantur de locis ſuis in ordine unius lineæ exceptô primô usque ad altare. Cereoſtata varia dona Spiritus Sancti: linea una unitas Spiritus Sancti in ſingulis donis. Quod incipit à primo, indicat Chriſtum, à quo procedit, Spiritus Sanctus usque ad altare, id eſt, corda electorum. Quod poſtea in officio miſſæ agitur illud tempus ſignificat, quô Apoſtoli & eorum ſucceſſores negotia Domini exercent, quod finitur perlecto Evangelio.

CAP. XXXVII.

De Gloria in excelſis.

TElesphorus Papa inſtituit, ut *Gloria in excelſis* ad miſſam cantetur: Hilarius Pictavienſis Eccleſiæ Epiſcopus *Gloria in exc.* compoſuit. Symmachus Papa conſtituit, ut in Dominicis diebus & in natalitiis Martyrum idem hymnus canatur. Sacerdos dum *Gloria in excelſis* incipit, ad orientem ſe vertit: quia hunc Angeli in oriente, id eſt, in Bethleem, ubi Chriſtus natus eſt, cecinerunt. Tranſitus Epiſcopi ad altare ſignificat Chriſti tranſitum, ùt diximus de paſſione ad æternam vitam: & ideo in hoc loco *Gloria in excelſis* dicitur; quoniam gloria ineffabilis in excelſis facta eſt, quando Chriſtus tranſitu ſuo animas Sanctorum copulavit conſortio Angelorum. Hoc gaudium annuntiavit Angelus in nativitate ejus. Poſt reſurrectionem data eſt hominibus pax, quando ſub uno Domino copulantur cœleſtia, terrena.

CAP. XXXVIII.

De Dominus vobiſcum.

P*Ax vobiſcum* ſumptum eſt de Evangelio: *Dominus vobiſcum* de libro Ruth; *& cum Spiritu tuo* de Epiſtola Pauli. Cùm ſacerdos dicit: *Dominus vobiſcum*; ad populum faciem vertit: quia quos ſalutamus, eis faciem præſentamus. Salutatio presbyteri ſive Epiſcopi, & reſponſio populi ſignificant unum affectum eſſe debere Epiſcopi & populi, ſicut hoſpites unius Domini.

CAP. XXXIX.

De Collectis.

ORationem verſus orientem dicit, ubi cœlum ſurgit: quia major cognitio Dei in cœlis eſt & eſſentiæ in Angelis vel in animabus Sanctorum, quàm in terra habitantibus ſanctis. Oratio ſacerdotis eſt benedictio Chriſti ſuper diſcipulos quando cœlum aſcendit. Hac expletâ aſcendit Epiſcopus ad ſedem, & ſedet, Chriſtus curſu ſuo diſpoſito pro convenientia locat presbyteros in ſuo ordine, diaconos

ſonos in ſuo, ſubdiaconos in ſuo, cæte- A. roſque gradus in ſuis; nec non & auditores, unumquemque in ſuo. Aſcendit in cœlum, ut ſedeat ad dexteram Patris: ſedebunt cum eo, quibus dicitur: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, judicabitis duodecim tribus Iſrael.* Aliqui ſedent cum eo, aliqui ſtant. Qui ſedent, ſunt membra Chriſti in pace quieſcentia; qui ſtant, in certamine poſita. Caput & membra unum corpus ſumus. In aliquibus ſedet Chriſtus, in aliquibus ſtat. Altior locus poſitus eſt Epiſcopis, ut ipſi ſuperintendant, & populum cuſtodiant: & tanquam vinitori altior locus ſit ad cuſtodien- B. dum vineam ſuam, id eſt civitatem ſuam, ſanctam ſcilicet Eccleſiam.

Lectio dicitur à legendo, quia non cantatur: cùm hæc legitur, ſolemus ſedere. Lectio eſt prædicatio, ſeſſio obauditio, Reſponſum credentium confeſſio. Aliter. Per lectionem, veteris teſtamenti, quæ humilior eſt, prædicatio; per reſponſum prædicatio novi teſtamenti, quæ excellentior eſt.

CAP. XL.

De Anniverſariis.

Corpus noſtrum conſtat ex quatuor elementis, id eſt, calido, ſicco, frigido, humido: ut peccata, quæ per corpus geſſimus, purgentur in quarta die. Poſt tertium diem, id eſt, ſeptimo poſt mortem alicujus offerimus pro eo ſacrificium. Aliter. Septem dies ſunt in hebdomada, ut quidquid in toto tempore, quod ſeptem diebus voluitur, deliquit, abluatur: agimus ſeptimum diem. Triginta diebus menſis expletur, unaquæque actio per diem, finis autem actionum per menſem exprimetur: ideo trigeſimus dies agetur, ut quod in fide ſanctæ Trinitatis per decalogum legis peccavit, purgetur. In anno peragit ſol curſum ſuum; per ſolem Chriſtus, per lunam ſignificatur Eccleſia. Anniverſarius dies ideo agetur, ut quidquid deliquimus in Chriſtum vel in Eccleſiam, relaxetur. Sicut Sanctorum anniverſaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur ſuper utilitatem noſtram, ita defunctorum ad utilitatem illorum. Omni tempore bonum eſt orare pro defunctis, etiamſi defuncti dies per oblivionem, neſciatur, ſeu per ignorantiam. Pro baptizatis omnibus defunctis cùm ſacrificia vel eleemoſynæ offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt; pro valde malis etſi nulla ſint adjumenta mortuorum, qualeſcunque ſunt conſolationes vivorum. Quibus autem proſunt, ad hoc proſunt: ut ſit plena remiſſio, aut certè ut eò tolerabilior fiat ipſa damnatio. Sed nullis ibi proſunt niſi hìc bonis operibus cooperentur.

CAP. XLI.

De Quadrageſimali tempore.

Septuageſima ſignificat captivitatem noſtram de paradiſo in mundum: Quadrageſima reverſionem noſtram in terram repromiſſionis, id eſt, ad Paradiſum. Tunc *tractus* qui à trahendo dicitur, cantatur: quia cum labore & anguſtia iter hujus vitæ gradimur. Vela ſuſpendantur, quia nunc cœleſtia nobis occultantur. Tres dies ante paſcha tres ſe- C. mis annos ſignificant quibus Antichriſtus regnabit. Qui naſcetur in Babylonia, nutrietur in Corozaim & Bethſaida, à maleficis, plenus diabolo: qui mundum ſibi ſubjugabit quatuor modis. Potentes pecuniâ: omnis enim occultus theſaurus erit ei manifeſtus. Plebes terrore: omnia enim genera tormentorum exercebit. Clerum ſapientiâ: omnem enim ſcripturam perfectè ſciet, & convenienter de ſe interpretabitur, Monachos & Sanctos miraculis: omnia enim ſancta ſigna potenter faciet, ut etiam mortuos ſuſcitet. Ideo *Gloria Patri* non canetur, quia tunc D. ab omni laude Dei ſiletur. Campanæ non ſonantur; quia prædicatio ceſſabit, Lumina extinguuntur quia omnia oracula Eccleſiæ auferuntur. Pœnitentes introducuntur, quia Judæi ad fidem Chriſti convertuntur. Chriſma conficitur, quia Chriſtiani efficiuntur. Pedes & Eccleſia lavantur, quia Judæi baptizantur, Paſſio Domini recolitur, quia corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia gravem paſſionem patitur. Altaria nudantur, quia omnia ſancta à gentibus calcantur. Crux ſalutatur, quæ tunc ad irriſionem erige-

tur. Baptiſmus agitur, quia tunc ſan- A. guine baptizantur. Cereus vel novus ignis conſecratur; quia gratia vel amor Spiritus Sancti eos conſolatur. Percuſſio tabulæ eſt terror Antichriſti; ſonitus magnus qui ad *Benedictus* fit, eſt ingens timor & ſtupor infidelium de morte infidelium Antichriſti.

CAP. XLII.

De Paſchali tempore.

OSterum dicitur ab oriente: quia ſicut ibi ſol ſurgit, in occaſu quaſi mori- B. tur; ita hic ſol juſtitiæ, qui eſt Chriſtus, qui in morte occaſum ſubiit, hic reſurrexit. Eodem ſcilicet tempore paſchæ & eâdem horâ, quâ Chriſtus ſurrexit, erit noſtra reſurrectio. Paſcha celebratur quartâ decimâ lunâ, id eſt, Aprilis, quando eſt plena. Luna ſignificat Eccleſiam, quando numerus electorum imple- C. tus fuerit, tunc quaſi Eccleſia plena erit: mox in quarto tempore reſurrectio erit. Unum tempus ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia, quartum ſub æterna lætitia. Primâ die eſt reſurrectio Eccleſiæ quæ dicit ad ſponſum: *Reſurrexi.* Secundâ die dicit Spiritus Sanctus conſolator ejus: *Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac & mel*, id eſt, omni ſuavitate & dulcedine plenam. Tertiâ die: *Aqua ſapientiæ potavit eos*, id eſt, plenitudine ſcientiæ replevit eos. Quartâ dicit ſponſus ad ſponſam: *Venite Benedicti Patris mei.* Non dicit, benedico vos; ſed quia eſtis benedicti Patris per fidem & operationem: Quintâ die: *victricem manum*, id eſt, Chriſtum *laudaverunt*: cujus auxilio & mundum & diabolum vicerunt. D. Sextâ die; *Eduxit eos Dominus in ſpe & inimicos eorum operuit mare* quod ſemper ſperaverunt, jam habent. Inimici, id eſt, perſecutores & dæmones abſorpti ſunt in mari & in inferno. Septimâ die: *Eduxit Dominus populum ſuum in exultatione & electos ſuos in lætitia.* Obtinebunt tunc gaudium & lætitiam & fugiet dolor & gemitus: tunc duo *Alleluja* cantantur quia anima & corpus in æternum lætantur. Ideo in octava die cantatur: *Quaſi modò geniti infantes*, quia ut infans naſcitur de matre in mundum, ita ipſi naſcuntur de morte in vitam. Quinquaginta dies poſtea ſempiternam lætitiam ſignificant. Aſcenſio Domini, noſtra exaltatio in cœlis. In Pentecoſte data eſt populo Hebræo lex timoris uti ſervis in igne terroris. Poſt decem dies aſcenſionis, id eſt, poſt decem præcepta Dei ſubjectionis data eſt lex amoris in igne Spiritûs Sancti populo Chriſtiano, ut filiis.

CAP. XLIII.

De Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

IN nativitate S. Joannis Baptiſtæ cantatur miſſa manè, quia Angelus prædixit gaudium dicens: *Multi in nativitate ejus gaudebunt.*

CAP. XLIV.

De Feſto S. Petri ad Vincula.

DIes Kalendarum Auguſti olim celebris habebatur ob victoriam Cæſaris Auguſti. Quâ die poſtea vincula S. Petri collata ſunt Romæ: ut ſicut priùs in honore Principis orbis, ita nunc in honore Principis Apoſtolorum celebretur.

CAP. XLV.

De Nativitate B. V. Mariæ.

QUidam ſolitarius audiebat quadam nocte ſingulis annis harmoniam in cœlo. Qui cùm miraretur, dictum eſt ei: quod ſancta Maria nata ſit hac nocte. Quæ cùm ab hominibus neſciatur, ab Angelis venerabiliter celebratur. Hoc ille referens Eccleſiæ, inſtituta eſt coli.

CAP. XLVI.

De Decollatione S. Joannis Baptiſtæ.

QUando agitur decollatio S. Joannis Baptiſtæ, tunc eſt inventio capitis ejus. Nam circa paſcha, id eſt, in annuntiatione S. Mariæ eſt decollatus: hic autem recolitur. Ad miſſam *Gloria Patri* & *Gloria in excelſis* & *Alleluja* non canitur more paſſionis Chriſti, & quia ante Chriſti reſurrectionem contigit.

CAP. XLVII.

De matutinis Canonicis.

IN matutinis inprimis: *Domine labia mea aperies* dicitur: ut qui ad completorium

pletorium cum verſu: *Cuſtodi nos Domine* A. *ut pupillam oculi*, & cum ultima benedictione quaſi ſub ſignaculo claudebantur, nunc ad laudem Dei aperiantur. Deinde per verſum: *Deus in adjutorium meum intende* auxilium divinum invocatur: exinde per *Gloria Patri* ſancta Trinitas glorificatur, & de præteritis & de præſentibus & de futuris. Poſtea tuba cantoris dat ſignum per antiphonam invitatorii, ut excitentur Chriſtiani circumquaque: & concurrant ad ſcholam Doctorum & Paſtorum Eccleſiæ. Deinde canuntur duodecim pſalmi, per quos ſignantur Patres, qui ante legem excoluerunt vineam Domini. B. His inſtruuntur, qui ad officium concurrunt nocturnale de eo, quòd Dominus ab initio mundi habuit prædicatores in ſua Eccleſia; qui populum Dei coluerunt ſuis laboribus: ut reditum quærerent ad propriam patriam poſt Chriſti reſurrectionem. Primus pſalmus: *Beatus vir:* concinit quodammodo Abel juſto homini, cujus ſanguis effuſus, eſt in typo ſanguinis Jeſu Chriſti. Et pſalmus: *Domine Deus meus in te ſperavi*, convenit Noë & filiis ejus & uxoribus, quæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. C. Et pſalmus: *Salvum me fac quoniam defecit Sanctus*, Abrahæ congruit, qui ſolus reſtitit: ne adoraret idola, cæteris corruentibus in ea. Dehinc ſequitur verſus, per quem vertitur intentio ad alia: ſcilicet de pſalmodia ad lectionem, vel ad hymnum Evangelicum, id eſt, *magnificat* vel *benedictus*; ſive ad orationem Dominicam, cujus prologus eſt *Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon*: ſeu ad orationem, quam ſolus ſacerdos dicit. Tunc vertunt ſe ad altare D. quia mentes noſtræ debent converti ad Chriſtum. Romani tamen non cantant Dominicam orationem ante lectionem. Tunc lectiones ſequuntur, & reſponſoria, quæ ſignificant tempus Abrahæ, qui ſextâ horâ ingreſſus eſt vineam: nos verò mediâ nocte admonemur procedere ante Deum, ùt dicitur: *Præveni in maturitate* hoc eſt, mediâ nocte. Omne tempus ante Chriſtum pro nocte ponitur, memoria mortuorum in Chriſto per noctem recolitur: quoniam eorum tranſitus & quies nocti comparatur,

Per pſalmos opus prædicatorum, per lectiones doctrina monſtratur eorum. *Reſponſorium* ideo dicitur quia reſpondet lectioni. Cantor ſurgit ad reſponſorium, ut excitet mentes, quæ audierunt doctrinam in lectione, ſurgant ad actiones bonas in operatione. Mens exhortatoris verſu ſtringitur, in quo ſolus laborat, ne per arrogantiam elevetur. Olim non cantabatur *Gloria Patri* poſt verſum in tertio reſponſorio, ſed illud repetebatur: à modernis autem inſtitutum eſt, ut cantetur, ut in omnibus Trinitas laudetur. Quod novem lectiones legantur, & totidem reſponſoria canantur, ſignificat, quòd per Chriſti reſurrectionem tendamus ad cœleſtem Hieruſalem, & ad novem ordines Angelorum. Quæ dividuntur ternariô numerô per interſtitia pſalmorum trium vigiliarum: in quibus recoluntur, tria tempora nominata in Evangelio, id eſt, prima vigilia, ſecunda vigilia, tertia vigilia. Nam in prima vigilia recolitur eorum reſurrectio in Chriſto futura, qui ante legem coluerunt vineam Domini; in ſecunda eorum, qui per legem datam uſque in adventum Chriſti: in tertia Chriſti Diſcipulorum, unde & hic canitur *Alleluja*.

Conſerva me Domine memorat quieſcentes in Chriſto de Levitico genere; *Exaudi Domine* requiem Judicum: *Diligam te Domine* Regum veteris teſtamenti palmam; *Exaudiat te Dominus in die tribulationis* Martyrum Chriſti triumphum: *Domine in virtute tua lætabitur rex* regnum manens ſpiritualium regum.

Hæ perſonæ membra ſunt illius capitis, cujus regnum memoratur in pſalmo: *Dominus regnavit, decorem indutus eſt.* Tres nocturnæ in Dominicis diebus ſignificant reſurrectionem corporum; tres autem, quæ in feſtivitatibus Sanctorum canuntur, recolunt beatitudinem animarum: quam tunc percipiunt: quando fiunt cives ſpirituum, cœleſtium & bonorum. Nox pro ignorantia ponitur; ab Adam uſque ad Chriſtum quaſi nox erat, quia lux ſcientiæ deerat: quæ nox dividitur in tria tempora, ante legem, ſub lege, ſub gratia; quæ tempora per tres nocturnos ſignificantur, qui in nocte cantantur. Tres pſalmi in primo nocturno pſalluntur, quia Patriarchæ ante legem Trinitatem adorabant; ut legitur: *Tres vidit, & unum adoravit.* Tres in ſecundo, quia Prophetæ ſub legé Trinitatem invocabant

bant, ut ſcriptum eſt: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* In tertio tres, quia Apoſtoli ſub gratia Trinitatem per orbem prædicabant: unde tunc Evangelium legitur & *Alleluja* canitur.

Lectio doctrinam, *reſponſorium* ſignificat vitam eorum. Cum *te Deum laudamus* illud tempus oſtenditur, quô Chriſtus natus eſt, & Angeli Deo gloriam cecinerunt: ſive quando mundus fide acceptâ cœpit laudare Deum. *Verſus*, qui ante matutinas dicitur, ſignificat Chriſti reſurrectionem.

CAP. XLVIII.

De Laudibus Canonicis.

MAtutinales laudes ſignificant tempus à Chriſti reſurrectione usque in finem mundi. Tunc quaſi dies oriri cœpit, quia lux ſcientiæ claruit. Primus pſalmus: *Dominus regnavit* ſignificat Chriſtum per orbem regnâſſe poſt reſurrectionem: *qui firmavit orbem terræ*, id eſt, Apoſtolos ſuâ reſurrectione, aſcenſione & Spiritûs Sancti effuſione. Secundus pſalmus: *Jubilate* docet Eccleſiam ex Judæa ad fidem Dei converſa. Tertius pſalmus: *Deus Deus meus* pertinet ad Eccleſiam ex gentibus collectam: cui pſalmus: *Deus miſereatur* conjungitur, & judaica plebs per prædicationem Henoch & Eliæ ad fidem Chriſti convertitur; ideo ſub uno *Gloria* canuutur quia una Eccleſia ex duobus populis laudabit Deum. In quinto loco canitur *Benedicite Domino*: in quinta ætate mundi miſit Nabuchodonoſor tres pueros in caminum ignis, in quo hunc hymnum cecinerunt. Nabuchodonoſor ſignificat Antichriſtum, qui illo tempore tres filios Noë, id eſt, totum genus humanum de tribus mundi partibus, Aſia, Africa & Europa in caminum mittet tribulationis. Ipſi perſeverantes in fide Catholica erunt patientes in tribulatione; & per patientiam probati, probatione inveniuntur ſpe beati. Tres pſalmi, qui ſequuntur: *Laudate Dominum de cælis, cantate Domino, laudate Dominum in Sanctis ejus* ſub uno *Gloria* canuntur; Sanctos victuros docent poſt interfectionem Antichriſti in firmitate fidei & beatitudine ſpei, & lætitia, dilectionis in unanimitate inſeparabili. *Lectio*, quæ ſequitur, eſt cibus ſpiritualis tunc in Eccleſia, qui augeat lætitiam. Sequitur verſus: *Dominus regnavit*: ut ſicut diſcipuli in morte Chriſti triſtes poſt reſurrectionem læti canebant: *Dominus regnavit*; ita ſub Antichriſto triſtes, poſt interfectionem ejus læti triumphum Chriſti recitant dicentes: *Dominus regnavit.* Sequitur hymnus: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit, redemptionem plebis ſuæ*; ut ſicut tunc in proximo erat Chriſti adventus primus, quando hunc cantavit Zacharias: ita in noviſſimo tempore in proximo erit adventus Chriſti ſecundus, in quo Sancti ſervient Deo ſine timore, de manu inimicorum liberati, in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Dies habet duodecim horas. Dies eſt Chriſtus, horæ ſunt juſti, qui bonis operibus adhærent diei, id eſt Chriſto. Nox æquinoctialis ſimiliter habet duodecim horas. Nox eſt vita peccatorum, horæ ſunt peccatores. Nos qui dies vocamur, à nocte, id eſt, ab Eleemoſynis pro peccatis oblatis ſuſtentamur. Ideo duodecim pſalmos in privatis noctibus pſallimus, ut memores ſimus, nos debitores eſſe pro peccatis noſtris, & pro eorum, quorum oblationibus ſuſtentamur, intercedere.

Sex Antiphonæ eſt intentio ad perfectionem bonorum operum; ut quum pro aliis intercedimus, nos ipſi mala devitemus.

Armiductores conſtituerunt in militia ſua dormientibus militibus caſtra tueri per tres vigilias in nocte, quarta eſt autem in matutinali tempore. Tres lectiones & tria reſponſoria inſinuant vigilias Cleri; ad plebem Dei per lectiones doctrina, per reſponſoria clamor mentis exhortans populum Dei ad vigilias, ſi Dominus venerit ſerò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane; ne inveniat eum dormientem. Prima vigilia pueritia, ſecunda juventus, tertia ſenectus. Qui in pueritia deſidiæ deditus ad opus Dei non evigilaverit, in juventute reſipiſcat: ſi tunc neglexerit, ſaltem in ſenectute à ſomno pigritiæ ad bonum conſurgat.

Sicut fidelis anima exuta à corpore ſeptimam Sabbati recipit, & reſurrectio mortuorum, Sanctorum corporum octavam diem exſpectat; ita quæcunque anima

ma evigilaverit à gravi ſomno negligentiæ per curam Eccleſiaſticam, ſive in prima vigilia ſive in ſecunda ſive in tertia, ſtatim attingat matutinum tempus in quarta vigilia. Romani in quacunque lectione cùm viderint auroram procedere, nocturnale officium dimittunt, & matutinale incipiunt.

CAP. XLIX.

De Matutino & Sole.

MAtutinum eſt deceſſus tenebrarum & adventus auroræ. Sol appropinquat ad ſuperiora expellens tenebras & tempus ſignificat pœnitentiæ eorum, qui priùs in nocte, id eſt, in peccatis fuerunt. His appropinquat ſol juſtitiæ expellens tenebras, id eſt, peccata. Ideo cantatur pſalmus: *Dominus regnavit* in libera nocte, & eos ſignificat, qui poſt baptiſmum in incepto curſu perſeverant. *Miſerere mei Deus* in ſervilibus noctibus cantatur, eosque ſignificat, qui poſt baptiſmum de curſu ſuo corruerunt & poſtea per orationes fidelium corriguntur.

CAP. L.

De Homine qualiter minor mundus dicatur.

HOmo dicitur Græcè microcoſmus, id eſt minor mundus: caput ejus in modum ſpheræ cœli rotundum, in quo duo oculi lucent, ut ſol in cœlo & luna. Pectus in forma aëris, in quo tuſſis & anhelitus, ſicut in aëre venti & pluviæ. Venter inſtar maris, qui recipit cibos & potus, ùt mare flumina. Pedes ſimilitudinem habent terræ, qui totum corpus ſuſtentant ùt terra omnes res. Ex terra habet carnem, ex aqua ſanguinem, ex aëre Spiritum, ex igne animam; ex terra habet frigus, ex aqua humorem, ex aëre ſiccitatem, ex igne calorem. Quatuor tempora anni habet, ver pueritiam, æſtatem juventutem, autumnum, ſenectutem, hyemem ætatem decrepitam. Scientia in eo lucet ùt dies, ignorantia tenebreſcit, ut nox. Viſum habet ex igne, auditum ex æthere, odoratum ex aëre, guſtum ex aqua, tactum de terra, oſſa ex lapidibus, ungues ex arboribus, crines ex herbis, ſudorem ex rore, cogitationes

A. ex nubibus. In cerebro habet ſenſum & ibi eſt ſedes ſapientiæ, inde diſponens omnia ùt de tribunali; in fronte verecundiam vel potiùs confuſionem, in ſuperciliis ſuperbiam, in temporibus ſomnum, in genis verecundiæ ruborem, in corde cogitationes & voluntatem, in jecore cupiditatem, in pulmone elationem, in ſtomacho fortitudinem, in ſplene riſum, in felle iram, in renibus delectationem, in lumbis titillationem, in genitalibus procreationem. Cum volatilibus, cum piſcibus, cum beſtiis habet quinque ſenſus, cum quibus eſt animal mortale: cum

B. Angelis rationem, cum quibus eſt immortalis. Ex his omnibus eſt *minor mundus* homo: ideo non immeritò ſtatui temporum rota humanæ nativitatis comparatur.

CAP. LI.

De Nocte & ſeptem ejus temporibus.

NOx dicta eſt, quòd noceat aſpectibus & negotiis humanis. Ignorantia mentis, quæ evenit ex tenebris peccatorum, nocti comparatur. Hora matutina

C. pœnitentiam ſignificat, unde cantatur in matutinis: *pſalmus miſerere mei*, qui eſt pœnitentialis.

Poſt matutinum ſequitur diluculum. Septem ſunt enim tempora noctis. Veſpertinum, crepuſculum, conticinium, intempeſtum, gallicinium, matutinum, diluculum, quod eſt incipiens parva lux diei, Eadem hora vocatur & mane; unde omnes feriales pſalmi aliquid mane reſonant.

D.

CAP. LII.

De pſalmis ad laudes feriales.

PRimus dicit: *Manè exaudies vocem meam, manè aſtabo tibi.* Secundus: *Emitte lucem tuam.* Tertius: *Exitus matutini & veſperi delectabis.* Quartus: *manè ſicut herba tranſeat, manè floreat & tranſeat.* Quintus: *Auditam, fac mihi mane.* Sextus: *Ad annunciandum manè.* In primo pſalmo mala vetantur; in ſecundo bona per ſpem appetuntur; in duobus ſequentibus celebramus duo præcepta charitatis. In *Deus Deus* meus dilectio Dei, in *Deus miſereatur* dilectio proximi: ſub uno *gloria* pſalluntur quia hæc præcepta non disjunguntur.

CAP. LIII.

De Canticis ad Laudes feriales.

DEinde tentatio ſequitur, tentationem victoria: unde ſequuntur eantica, quæ cantaverunt poſtquam tentati fuerunt: & Deus triumphum illis præſtitit. Primum eanticum dicit: *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi*; ecee flagellum, audi triumphum: *Converſus eſt furor tuus & conſolatus es me*; exulta & lauda. Secundum cantieum cantatum eſt ab Ezechia poſtquam de infirmitate convaluit. Tertium ab Anna, poſtquam æmula ejus eſt humiliata & ipſa exaltata. Quartum, B. pro quo Ægyptii ſunt proſtrati & filii Iſrael liberati. Quintum ab Habacuch Propheta pro liberatione Judæorum à Chaldæis. Sextum à Moyſe, poſtquam vexatus eſt propter Judæos; & ita concluditur: *Laudate gentes populum ejus, quia ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur.*

Tres pſalmi, qui ſequuntur ſub uno *Gloria*, ſignificant laudem ſanctæ Trinitatis in una ſubſtantia. Iſti pſalmi ſunt finis pſalterii, quia pœnitentes tendunt ad finem perfectionis id eſt laudem Dei.

Sequitur lectio eapituli quia alios inſtruunt, quod ipſi faciunt; verſus in matutinis. *Dominus regnavit*, vel *repleti ſumus manè*, precatur converſus & præſentia & futura bona. Unde aſcendit ad Dominum, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ. De converſo homine per pœnitentiam eonvertitur ad Evangelicum virum, qui pro beneficiis converſo præſtitis exhortatus eſt laudare ſanctam Trinitatem in *laudate Dominum de cælis*: & dixit: *Benedictus Dominus*, quia viſitavit D. miſeriam humanam & fecit redemptionem ejus. Omnes partes noctis, quibus obſcuratus eſt mundus, iſtæ repulſæ ſunt; ideo agamus *Deo gratias*.

CAP. LIV.

De Die & duodecim ejus Horis ac pſalmo beati immaculati.

DIes eſt Chriſtus, qui habet duodecim horas, hoc eſt, fideles: qui poſt baptiſma ſeu pœnitentiam ad ipſum currunt per viam Domini usque ad veſperum, id eſt, usque ad finem vitæ ſuæ homo incipiens ambulare in lege Domini habet ex una parte leonem, ex altera draconem: leonem in perſecutionibus apertis, draconem in inſidiis occultis. Ut perſecutiones & A. inſidias diaboli poſſimus vitare, & toto itinere die ſalvi manere, canimus in *Primis* pſalmum: *Deus in nomine tuo.* In prima parte pſalmi: *Beati immaculati*, intramus in viam Domini; hæc pars pro prima hora diei canitur. Secunda pars pro ſecunda hora, in qua fit iterum mentio legis Dei, ut ibi: *Conſiderabo mirabilia de lege tua.* Verſus: *Exurge Domine* rogat, ut Deus ſit gregis ſui adjutor & liberator per totum curſum diurni itineris. Tertia pars pſalmi pro tertia hora dieitur ſcilicet: *Legem pone.* Quarta pars pro quarta hora, ubi lex nominatur ut ibi: *Dixi cuſtodire legem tuam.* B. Quinta pars pro quinta hora dicitur, in qua item lex memoratur, ut: *Ego legem tuam meditatus ſum &c. bonum mihi lex oris tui.* Sexta pars pro ſexta hora, ùt dicitur: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes ſed non ut lex tua.* Septima pro ſeptima hora: *Quomodo dilexi legem tuam domine.* Octava pro octava hora: *Iniquos odio habui & legem tuam dilexi.* Nona pars pro nona hora, ubi dicitur: *Juſtitia tua, juſtitia in æternum, & lex tua veritas.* Decima pars pro decima hora, ubi iterum lex memoratur, ùt ibi: *Vide humil. meam, &c. quia legem tuam* C. *non ſum oblitus.* Undecima pro undecima hora, ubi ſimiliter mentio fit legis, ùt ibi: *Iniquitatem odio habui &c. legem autem tuam dilexi.* In duodecima hora diei reddit Dominus operariis ſuis denarium promiſſum. Lectio per ſingulos curſus legitur, quia ſancti paſſim divino eolloquio reficiuntur.

CAP. LV.

De Veſperis.

VEſpera hora eſt duodecima, quæ finis eſt diei, & eſt finis uniuscujusque hominis. Quinque pſalmi ſunt quinque ſenſus hominis. Sicut in fine mundi quinque virgines cum lampadibus obviam Chriſto veniunt, ita homo in fine vitæ cum bonis operibus per quinque ſenſus peractis per totum diem, quibus in lege Dei ambulavit, Chriſto ſponſo obviam feſtinare eontendit. Et hoc fit per gradus aſcenſionis virtutum: ideo quindecim gradus in veſpertinali offieio includuntur. Lectio, quæ ſequitur, eſt compoſitio & ornatus eorum, qui intrant in præſentiam Regis. Verſus: *Veſpertina oratio*, vel *dirigatur Domine oratio mea*, eſt compulſatio oſtii conclavis, ubi Rex ſedet. Hymnus Evangelicus, id eſt, *magnificat*, quem cantavit ſancta Ma-

Maria, monet virgines ſapientes, id eſt, fideles illuc contendere, quò præceſſit virgo virginum, hoc eſt, in præſentiam ſalvatoris.

CAP. LVI.

De Completorio.

COmpletorium eſt perfectio cæterorum officiorum, & ad noctem pertinet. In hoc finitur commune opus, omnia membra relinquuntur à ſuffugio humano: ſoli Deo, qui non dormit, neque dormitat, committimur. Somnus eſt imago mortis, ideo aliquos pſalmos in iſto officio recitamus, quos etiam in Sabbato ſancto paſchæ cantamus: quando Dominus in ſepulchro requievit; ùt ille eſt: *Cum invocarem*, propter illum verſum: *in pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Et iſte: *In te Domine ſperavi*, quam cantavit in cruce; & nos finimus ubi ipſe finivit: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Poſt jejunium Domini tentavit eum diabolus ùt draco in inſidiis; ideo tunc cantatur tractus: *qui habitat.* In Paraſceve verò tentavit eum ut leo publicè perſequens in paſſione; ideo tunc etiam ſecundum Romanos idem *tractus*: *qui habitat* cantatur. Sed idcirco eundem pſalmum in completorio cantamus; ut nos Deus cuſtodiat à diaboli tentationibus & à nocturnis illuſionibus. *Ecce nunc &c.* propter verſum: *in noctibus extollite &c.* canimus. His quatuor pſalmis quatuor elementa noſtris poſtulantur, ſive quia quatuor vigiliæ in nocte celebrantur. Cum verſu: *Cuſtodi nos &c.* membra noſtra ſigillamus, & cùm Evangelico hymno: *Nunc dimittis &c.* cum Simeone pacem flagitamus & requiem ſempiternam.

CAP. LVII.

De prima Canonica.

MOs eſt in Eccleſia, ut poſt primam & ante completorium fratres conveniant ad lectionem, quæ eſt mentis refectio. In prima dirigitur grex Domini in via, ut veniat ad paſcua. Operetur primò, & poſteà impleatur refectione in hora tertiâ: hîc omnia conſumantur. In Dominicis diebus ad primam ſeptem pſalmi propter dona ſeptiformis Spiritûs canuntur: quibus pſalmis duo *capitula* de pſalmo: *Beati immaculati*, ſubjunguntur propter gemina præcepta dilectionis, per quæ lex Dei impletur. Quibus fides adjungitur Catholica, id eſt, *quicunque vult ſalvus eſſe*, quia per cultum unius Dei ſalvabimur. Aliter. Novem pſalmi ad primam pſalluntur per quos novem Angelorum ordines intelliguntur. Per *quicunque vult &c.* qui eſt Chriſtianus homo intelligitur: qui per reſurrectionem Chriſti, quæ in dominica die recolitur, Angelis aſſociabitur. Per legem Domini, id eſt, per dilectionem ad patriam revertimur: per pſalmum: *Deus in nomine tuo* ad iter præcingimur. Per pſalmum: *Beati immaculati* dilectionem Dei; per: *Retribue*, dilectionem proximi accipimus: in his duobus mandatis univerſa lex impletur. *Quicunque vult &c.* ſignificat curſum noſtrum: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Capitulum *pretioſa in conſpectu Domini* ſignificat, quòd ibi grex Domini ejicitur in paſcua, ut ambulet in via Domini.

CAP. LVIII.

De Myſterio Horarum.

DOminus Jeſus Chriſtus in nocte propter nos eſt captus, ut nos à captivitate diaboli & ab æterna eriperet nocte inferni: ideo *nocturnos* cantamus in nocte. Manè ante Pontifices falſò accuſatur, ut nos ab accuſatione inimici ſecuros faceret: ideo canimus *matutinas laudes.* Horâ primâ ducitur ligatus ad Præſidem, ut nos à vinculis peccatorum ſolveret: ideo *primam* recitamus. Horâ tertiâ damnatur, illuditur, flagellatur, ut nos ab æterna damnatione liberaret: ideo *tertiam* cantamus Sextâ horâ crucifigitur, ut nos à cruciatu perpetuo redimeret: ideo cantamus *ſextam.* Horâ nonâ moritur, ut nos ab æterna morte erueret: ideo pſallimus *nonam.* Veſpere de cruce ponitur, ut nos pœnis auferamur; ideo canimus *veſperam.* Completorio ſepelitur, ut nos à ſepulchro tartari emergeremus, ideò canimus *completorium.*

CAP. LIX.

Aliter de Myſterio Horarum.

MEdiâ nocte ſurrexit Dominus, ideo *nocturnos* cantamus. Manè apparuit matri ſuæ, ùt ſedulius dicit, ſive Mariæ Magdalenæ, ùt Evangeliſta affirmat: ideo *matutinas laudes* recitamus. *Primâ* apparuit mulieribus à ſepulchro euntibus,

Tertiâ viſus eſt Jacobo, ùt putatur. *Sextâ* Petro, ùt creditur. *Nonâ* in Emmaus ambulantibus. *Veſpere* cum illo manducantibus. *Completoriô* omnibus.

CAP. LX.

Item de Myſterio Horarum.

INprimis fuit Chaos, & omnia coopérta erant tenebris; ideo in nocte nocturnale officium agimus. Mane primo creavit Deus lucem, ideo matutinæ laudes tunc canantur: ad quas etiam novem pſalmi cum *Benedictus* cantantur, quia novem ordines Angelorum tunc creati exiſtimantur. Quaſi primâ horâ intravit Adam in vineam Domini, quando poſitus eſt in paradiſum, ut operaretur: ideo ad primam canimus tres pſalmos laudantes Trinitatem; quæ & hominem formavit, & poſt lapſum reparavit. In quarto, id eſt, *quicunque vult ſalvus &c.* fides noſtra declaratur. In hora tertia intravit Noë in vineam, qui etiam primus plantavit eam: de qua inebriatus eſt. Sextâ Abraham intravit, qui filium obtulit. Nonâ autem David, & Prophetæ. Ad has horas tres pſalmos recitamus, unicuique horæ pſalmum diſtribuentes vel propter ſanctam Trinitatem, vel propter ſanctæ Trinitatis fidem. In veſpera intraverunt Apoſtoli & eorum ſucceſſores, in qua quinque pſalmi canuntur propter quinque partitam paſſionem Domini, quâ ab actibus quinque ſenſuum ſumus redempti. In completorio, id eſt, in fine mundi redditur denarius, id eſt, æterna requies: ideo quatuor pſalmi canentur, ut quatuor partes mundi ſalventur, ſeu quatuor elementa in homine, qui eſt minor mundus, indicentur.

CAP. LXI.

De ſeptem Sæculi diebus, & mundi Sæculis.

PRima dies Sæculi ſignificat primum mundi Sæculum: cujus mane Adam fuit, veſpera diluvium. Secunda dies Sæculi, ſecundum ſæculum: cujus mane fuit Noë, ejus veſpera ſubmerſio Sodomæ. Tertia dies Sæculi, tertium erat ſæculum: cujus mane Abrahæ origo, veſpera fuit Saulis occiſio. Quarta dies ſæculi quartum fuit ſæculum: cujus mane David Regum ſplendor, veſpera transmigratio Babylonis & ejus terror. Quinta dies ſæculi quintum ſæculum: cujus mane fuit reditus Iſraelis in Hieruſalem, veſpera contemptus Chriſti ibidem. Sexta dies fuit ſextum ſæculum; cujus mane adventus Chriſti: quod hodie durat, & circa cujus finem jam ſumus; cujus veſpera adventus erit Antichriſti. Septima dies ſæculi requiem ſignificat tam eam, quam animæ à primo ſæculo poſt mortem habuêre, quàm eam, quam poſt judicium ſunt habituræ. Quæ dies veſperam non habebit, quia ejus requiei finis non erit.

CAP. LXII.

De Judicio extremo.

IN valle Joſaphat erit judicium, hoc eſt, in hoc mundo. Joſaphat dicitur *judicium*, vallis eſt mundus iſte, mons eſt cœlum: Chriſtus apparebit in aëre ùt ſol in cœlo. Cui obviam rapientur juſti in aëra: impii remanebunt in terra, igne flagrante ſuper omnes montes quindecim cubitos. Duæ partes bonorum, & duæ erunt impiorum. Una pars juſtorum ſunt: Martyres, Virgines, & omnia pro Chriſto relinquentes. Hæc tria non ſunt præcepta, ſed conſilia data: quia igitur ſupra præceptum fecerunt, Judices cum Deo erunt. Altera pars juſtorum ſunt veræ viduæ, & boni conjugati, & pœnitentes, quibus dicitur: *Venite Benedicti &c.* Una pars malorum ſunt infideles ſive gentiles ſive Judæi, qui ſine judicio peribunt: altera pars malorum ſunt mali Chriſtiani ſeu olim Judæi, quibus dicitur: *diſcedite à me maledicti, &c.*

CAP. LXIII.

De Dominicis in Adventu.

IN primo reſponſorio: *Aſpiciens longè*: introducit cantor dicta ſeu facta Joannis Baptiſtæ. Ex perſona ejus dicit: *Aſpiciens*, ſcilicet, quantùm diſtet cœlum à terra; de Joanne dicitur: *qui de terra eſt, de terra loquitur*; de Chriſto autem legitur: *qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Ecce video Dei potentiam*, id eſt divinitatem in carne: *& nebulam totam terram tegentem*, hoc eſt: video caliginem ignorantiæ tegentem

corda

corda terrena Judæorum, qui præſentem Deum non cognoſcunt in homine Chriſto. *Ite ei obviam* per fidem, & operationem. *Et dicite: nuntia nobis ſi tu es ipſe, qui regnaturus es in populo Iſrael.* Mittit Joannes diſcipulos ad Chriſtum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus?* hoc eſt, ſi velis mori, & infernum viſitare; inſinua, & ſuper fideles regnare.

Tres verſus ei occurrere ſignificant Patriarchas ante legem, Prophetas ſub lege, Chriſtianos ſub gratia. Sive tres verſus docent legem, prophetiam, pſalmodiam Chriſti adventum prænunciâſſe. *Gloria Patri*, quod ſequitur, ſignat ſanctam Trinitatem his omnibus venerari. Iſtud enim Reſponſorium divinam naturam in Chriſto recolit: in ſecundo verò id eſt, in *aſpiciebam* humana natura manifeſtatur, dicendo: *Et ecce in nubibus cæli Filius hominis venit.* In priori interrogatur, ſi debeat regnare in populo Iſrael? hìc reſpondetur: *& datum eſt ei regnum.* Non ſolùm Iſrael ſed & omnis populus, tribus & linguæ ſervient ei. Hæc verò reſponſoria monſtrant Chriſtum Deum & hominem regem eſſe omnium.

Feriâ quartâ & ſextâ poſitæ ſunt *antiphonæ* de Prophetis in adventu Domini, quoniam ipſæ feriæ in prophetia Chriſti & Eccleſiæ exſtiterunt ab initio. Feriâ quartâ ſol & luna in cœlo collocata ſunt, quæ ſunt Chriſtus & Eccleſia. Sextâ feriâ homo, qui fuit forma futuri Adam, creatus eſt.

Eccleſiaſticus chorus vel propheticus ſermo fit internuncius ad Hieruſalem; quæ quondam erat metropolis & civitas Regis magni: & per Hieruſalem ad primates totius Dei famoſæ congregationis, Abſentia enim Chriſti nequaquam ſine triſtitia poteſt recordari. Ideo iſta reſponſoria ſolantur populum Dei de adventu Regis & defenſoris ſui. *Hieruſalem citò veniet ſalus tua*; civitas Jeruſalem; *ecce veniet Dominus.* Hic nuncius Dei ad pauperes & ad plebem loquitur, quæ facilè à potentibus opprimitur. In priori conſolatus eſt poteſtatis dignitatem, in iſta conſolatur ſubjectam plebem. *Ecce apparebit*, configit in capite Regem Regum, qui venturus eſt liberare pauperes, & afflictos de manu potentiæ ſæcularis: & eundem proximo tempore venturum di-
A. cit Reſponſ. *propè eſt, ut veniat.* Et *qui venturus eſt.* Et *Ægypte noli flere.* Hujus Dominicæ reſponſoria & ſequentis hebdomadæ certant multitudinem congregare populorum, ut præſto ſint & parati ad ſuſcipiendum Dominum Dominorum. Idcirco plurima *Ecce*, in ſe continent; ut in canite tuba. *Ecce Deus*; & in clama: *Ecce Deus noſter, quem expecta*: & *ecce jam veniet.* Reſponſorium *canite tuba* commonet cives, ut ſciant Regis adventum, & annuntient illum vicinis. *Intuemini quantus ſit*, monet cives, quòd ultra reges ſit iſte, qui ingreditur ad ſalvandas gen-
B. tes. *Non auferetur* docet regem Judæorum ſuo tempore expectatum in foribus eſſe.

CAP. LXIV.

De Antiphonis ad Laudes.

ANtiphonæ per ſeptem matutinas, & per ſeptem ferias diſpoſitæ ſignificant gratiam ſeptiformis Spiritûs: cujus opus eſt conceptio & partus Beatæ Mariæ Virginis. Unde in eadem hebdomada legitur lectio Iſaiæ, qui numerat ſeptem do-
C. na Spiritus Sancti, in ſexta feria: quando primus homo creatus eſt, quem modo venit ſecundus homo reformare.

CAP. LXV.

De Antiphonis O ad Magnificat.

ANtiphonæ quæ habent in capite O, ſignificant quoddam admirabile, & celebrari his diebus oſtendunt nobis altquod inveſtigabile: de quo dicitur: *Dabit Dominus vobis ſignum, ecce virgo concipiet.* O interjectio eſt admirantis, & pertinet ad aliquam mirabilem viſionem mentis. Et quoniam per conceptionem & partum
D. Sanctæ Mariæ facta eſt hæc admiratio, ideo hæ antiphonæ magis congruunt hymno *magnificat* quam *benedictus.* Prima Antiphona: *O Sapientia* congruit primo gradui, ſcilicet Spiritui Sapientiæ. Secunda: *O clavis David, qui aperis & nemo claudis*, aptatur Spiritui intellectus. Tertia: *O Emmanuel Rex & legifer*, gradui Spiritûs conſilii convenit. Quarta: *O Radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum*, id eſt, in crucem, quando ſol obſcuratus, & petræ ſciſſæ ſunt, *ſuper quem continebunt reges os ſuum*, id eſt, principes hujus Sæculi, qui

cum Rhetorica & dialectica ſua ſilebunt A. adveniente prædicatione Sanctæ crucis & ſancti Evangelii: hæc gradui Spiritûs fortitudinis aptatur. Quinta: *O oriens ſplendor* gradui Spiritûs ſcientiæ datur. Sexta: *O Adonai & dux domûs Iſrael* gradui Spiritûs pietatis convenit. Septima: *O Rex gentium & deſideratus earum*, gradui Spiritûs timoris aptatur. Octava: *O Virgo Virginum*, inſinuat mirabilem partum mirari Eccleſiam. *Filiæ Hieruſalem quid me admiramini*, hæc antiphona monſtrat illum hominem, qui ex Maria carnem aſſumpſit, ſolum perfectum eſſe inter cæteros B. homines: quia in ipſo ſolo habitat ſeptiformis Spiritus. Si duodecim O cantantur, ſignificant quod gratia ſanctæ Trinitatis à quatuor mundi plagis deſideretur: ter enim quatuor ſunt duodecim.

CAP. LXVI.

De Vigilia Nativitatis Domini.

IN Vigilia Domini Reſponſorium: *ſanctificamini hodie*, & alia docent nos lavare debere veſtimenta, quæ in baptiſmate accepimus, lachrymis & pœnitentia: C. ut ſicut filii Iſrael Domino occurrerunt in monte Synai ſanctificati, ſcilicet, abſtinendo à mulieribus, ita nos ſine offenſione occurramus deſcenſui Domini.

CAP. LXVII.

De Nativitate Domini.

IN ſancta nocte nativitatis Domini tria nocturna tria ſignificant totius mundi tempora, id eſt, tempus legis naturalis, D. tempus datæ legis per Moyſen, tempus gratiæ. Tertia nocturna quæ recolit gratiam novi teſtamenti, habet antiphonam cum Alleluja, ut ipſe invocatur, ut eo tempore cantatur, cùm reſurrectio Domini à fidelibus frequentatur, id eſt, circa tempus matutinale. In primo nocturno lectiones, quæ leguntur de Propheta, ſignificant tempus ante legem, quô Patriarchæ figuris præfiguraverunt Chriſti nativitatem. In ſecundo leguntur ſermones, & eſt illud tempus ſub lege, quô ſanctæ Scripturæ prænuntiaverunt Chriſtum naſciturum. In tertio Evangelia leguntur, & eſt tempus gratiæ, quô ejus nativitas eſt ſuſcepta ab Eccleſia. Ad tria prima reſponſoria canitur *Gloria Patri*, quia Trinitas à lege & prophetis & pſalmis prænunciata eſt hodie mundo manifeſtata, Reſponſoria morem illum ſequuntur, quem frequentant domeſtici regales & imperiales: quando conveniunt in Regis præſentiam, unusquisque quod valet, offert Regi. Diverſa dona offerunt, ſed animo Regis æqualiter placere cupiunt: ita reſponſoria nunc Chriſtum, nunc matrem ejus, laudes & gratias agunt. Novem lectiones & reſponſoria monent nos Deum benedicere, qui ad ſocietatem novem ordinum Angelorum venit perditum hominem recolligere.

Sicut in nativitate per novem lectiones gratias agimus de Dei deſcenſione usque ad noſtram humiliationem: ita per eundem numerum in feſtivitatibus Sanctorum gratias referimus, quoniam illi digni ſunt aſcendere usque ad altitudinem cœli, in quo habitant Angeli.

Miſſa: *Dominus dixit*, & Evangelium: *Liber generationis*, eſt illa hora quando natus eſt Chriſtus. *Te Deum laudamus*, & matutinæ laudes, quæ ſequuntur, eſt laus Angelorum, qui eô natô *Gloria in excelſis* cecinerunt. Neuma dicitur mixtus: illa neuma in mundi fabrica monſtrat, quod non poteſt verbis explicari: quô modô qui hodie natus eſt de virgine fabricâſſet mundum, & ornâſſet; & quomodo ipſe ſit lux & decus univerſæ mundi fabricæ. Neuma in verſu: *tanquam ſponſus*, ſignat, quòd proceſſio Chriſti de utero Virginis nequit verbis enarrari: quæ comparatur ſponſo procedenti de thalamo. Hoc neuma etiam in reſponſorio S. Joannis Evangeliſtæ canitur: *in verbo intellectus*, propter excellentem intellectum ſancti Joannis. Unde & in *Gloria Patri* cantatur, in qua Trinitas laudatur: quæ ſolo intellectu conſpiciatur.

Veſpera: *tecum principium* magis pertinet ad feſtum nativitatis Domini quàm præcedens. Similiter in omnibus feſtis Sanctorum ſecunda veſpera magis pertinet ad feſtum diem quàm prior. Octavæ Domini & aliorum Sanctorum ideo celebrantur, quia in octava, id eſt, in reſurrectione gloria eorum per Chriſtum duplicatur.

CAP. LXVIII.

De Epiphania Domini.

IN Epiphania Domini invitatorium non canratur propter fraudem Herodis, quia callidè quærebat Dominum. In ſexto loco pſalmus canitur, quia in ſexta mundi ætate gentes quæſierunt Dominum per fidem. Sex antiphonæ per duas nocturnas magorum obſequia circa nativitatem recolunt. Iidem tres magi legati exſtiterunt myſticis ſuis muneribus gentilis populi, qui in terra inſuliſque habitat. Tria munera eorum triplicem perſonam Chriſti præfigurabanr; id eſt Regis, ſacerdotis, & mortalis hominis; necnon & tres functiones Chriſti membrorum id eſt, ſapientiam, virtutem orationis, & mortificationem carnis. Harum trium functionum legationem munera magorum portaverunt. Ex munere thuris dicunt primam Antiph. *Afferte Domino*, virtutem orationis, qui eſt ſacerdos verus. Ex munere auri: *Pſallite Deo noſtro*, hoc eſt, O ſapientes ferte ſapientiam veſtram Deo Regi. Ex munere Myrrhæ dicirur de omni populo morrali & ſtudium habenti ad meliora: *Omnis terra adoret te*, id eſt, per mortificationem carnis propter nos mortalem.

Prima vigilia mentionem facit de gentibus, qui habirant in terra: ſecunda vigilia de eis dicit, qui habitant in inſulis.

Prima antiph. de ſapientibus: *Reges tharſis & Inſulæ munera offerent.* Reges dicuntur, qui ſe ipſos regunt; ſapientes, qui alios. Secunda ant. de omni populo: *Omnes gentes &c.* per tertiam antip. hortantur ſe ſacerdotes & dicunt: *Venite adoremus.* Aſt tertia vigilia de baptiſmo Chriſti & de novo teſtamento memorat. Novum teſtamentum fundatur per baptiſmum: unde hic omnis terra cantat *Alleluja.* Er iterum inſulæ multæ dicunr: *Adorate Deum.* Antiphona *Fluminis impetus.* In tertia vigilia propter baptiſmum canitur; pſalmus: *Deus noſter* ideo in iſta vigilia pſallitur, quoniam homines conturbati ſunt propter novum teſtamentum & baptiſmum. Sed fluminis impetus lætificat civitatem Dei, quæ civitas conſtat ex incolis terræ & inſularum.

Eccleſia in novo teſtamento dicit ad eos, qui in Chriſto baptizati ſunt, & in
A. terra habitant, per ſecundum pſalmum: *Cantate Domino omnis terra*, & per antiphonam: *Adorate Dominum in aula ſancta ejus.* Dicit ad eos, qui habitant in inſulis per tertium pſalmum: *Dominus regnavit exultet terra, lætentur inſulæ multæ*, & per antiphonam: *Adorate Dominum omnes Angeli ejus.* Lectiones tres leguntur ex prophetia, quæ prædixit Domino ex Saba afferri munera. Saba eſt provincia, in qua eſt Madian & Epha: & inrerpretatur *converſio*, vel *captivitas*; ſignatque gentes, quæ de captivitate diaboli ad Deum conver-
B. ſæ munera prædicta obtulerunt liberatori ſuo.

Reſponſorium ſignificat, quia dictis Prophetarum, genres factis reſpondent. Anriphona: *Hodie cœleſti ſponſo tribus miraculis tres ſolemnitates recolis.* Præſentis diei; in octava Epiphaniæ recolitur baptiſmus Domini; in ſequenti Dominica de aqua in vinum converſa miraculum.

CAP. LXIX.

De tempore inter Epiphaniam & purific. B. V. M.

C. TRiſtatur diabolus quia excluſus eſt: lætatur Eccleſia, quia Chriſtus intravit in mundum. De pace Eccleſiæ triſtatur diabolus: Angelorum Chorus gaudendo canit: *Gloria in exc. Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nos in præcedentibus feſtivitatibus de Chriſti præſentia gaudentes, inſtinctu diaboli & fragilitate carnis ſtudium gaudii ſpiritualis declinavimus ad curam & lætitiam corporis. Unde in iſta Dominica canun-
D. tur reſponſoria de pſalmis, qui continens in ſe plurimam orationem, & habent initium à primo pſalmo pœnitentium: *Domine ne in furore.*

Tempus à feſtivitate theophaniæ uſque in ſeptuageſimam recolit devotionem & miniſterium prædicatorum à primis prædicatoribus Eccleſiæ uſque ad noviſſimos novi teſtamenti. Idipſum nobis inſinuant Epiſtolæ ſummi prædicatoris Pauli, quæ eodem tempore leguntur. Prædicatoribus congruir oratio, ut apertum oſtium habeat eorum prædicatio.

CAP. LXX.

De Feſto Purificationis.

Ypapan-

Ypapanti dicitur obviatio, quando Simeon & Anna Chriſto occurrerunt in templo. Hanc feſtivitatem celebramus cum candelis accenſis propter verba Simeonis; qui quando eum in manibus ſuſcepit, ita prophetando prædixit: *Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Per candelas ſignificantes nos lucidis operibus, cum ſapientibus virginibus lampades ardentes portantibus Chriſto ſponſo venienti in cœleſti Jeruſalem occurramus.

CAP. LXXI.

De Cathedra S. Petri.

Cathedra ſancti Petri agitur, quia tunc in Antiochia factus eſt Epiſcopus, & diſcipuli vocati ſunt Chriſtiani. Ideo dies animarum vulgò dicitur, quia ei data eſt poteſtas animas ligandi atque ſolvendi.

Chriſti generatio & Sanctorum prædicatorum libertas celebrata eſt uſque in ſeptuageſimam: à ſeptuageſima generatio eorum, qui de captivitate emergi deſiderant, & de anguſtiis præſentis peregrinationis, uſque dum iterum renaſcatur Chriſti generatio à media quadrageſima circa paſchalia Sacramenta. Chriſti generatio & ſuorum prædicatorum libertas maxima ex parte migravit de præſenti ſæculo, ut regnet cum Angelis coram Deo. Tempus talis demigrationis vocatur nox: ideo in hac nocte celebratur *Alleluja*. Præſens Eccleſia, quæ in iſta peregrinatione eſt, in ſeptuageſimæ nocte recolit gloriam, quæ celebratur apud cives, qui demigraverunt: in die verò eorum, qui detinentur adhuc in captivitate, & ſuſpirant, ut ad libertatem redeant. Apud eos non celebratur, claritas Alleluja, quia triſtitiâ captivitatis conſtringuntur; apud eos autem qui demigraverunt, celebratur *Alleluja*, quoniam non recedunt ipſi de laude Dei.

Reſponſorium *Alleluja præſens eſt imitemur illam*, ſumptum eſt de libro ſapientiæ, ubi dicitur: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: dum præſens eſt, imitantur illam.* A nativitate uſque ad noctem Septuageſimæ iſta generatio præſens videbatur, propterea per plura officia cum Alleluja frequentabatur. Secundum Reſponſorium *Alleluja nomen bonum*: quod nomen in cœlo ſcribetur, cujus memoria inter Angelos & inter homines Sanctos æterna figuretur. Hæc eſt generatio pulchra & caſta, cum ſe duxerint; deſiderant illam qui non filii & filiæ remanentes in præſenti ſæculo? Tertium Reſponſorium *Sola tenes principatum.* Hoc dicitur à matre, quæ hic relicta eſt in ſæculo ad perficiendum corpus mihi congruit: ut declinem ad eam prolem noſtram, quæ in anguſtiis poſita eſt, & celebrem pro ea laudem latinè compatiendo ejus tribulationi. Tu laus ſapientiæ revertere in theſauros tuos, id eſt in frequentatione prolis noſtræ cum hebræa lingua, quæ triumphat ante Deum: ibi enim te benedicent Angeli. Quartum & quintum Reſponſorium, de eorum corpore reliqua rogant, ut alleluja iterum revertatur ad præſentem Eccleſiam. Cùm ſponſus reſurrexit à mortuis, etiam nativitas clara & caſta & pulchra per baptiſmalia ſacramenta cum gaudio ad nos revertatur, & ex ore noſtro per omnes Eccleſias alleluja audiatur.

CAP. LXXII.

De Septuageſima.

In principio fecit Deus & reliqua. Conveniunt ſeptuageſimæ & principio anni: in his innuitur miſera hominis conditio, qualem commeruiſſet captivitatem, & primordia creaturarum decantantur. Vernum tempus principium eſt anni: in eo decantantur reſponſoria de hiſtoriis primorum patrum; per quos ſancta Religio primævis temporibus reformata eſt poſt damnationem primæ maſſæ.

Reſponſoria: *dum deambularet Dominus*, & *in ſudore vultûs tui* monent nos de miſera mutatione hominis, de luce ad tenebras, de felicitate in miſerias.

CAP. LXXIII.

De Sexageſima.

Sexageſima deſcendit à Septuageſima. Cernit à Senario & denario. Inter Septuageſimam & Sexageſimam ſunt dies ſeptem, quod non eſt ſine cauſa, cùm deberent eſſe decem. In ſeptem enim donis Spiritûs Sancti eſt perceptio decem præceptorum legis. Septuageſima perficitur in Sabbato, quando clauditur paſcha:

ſcha: quinquageſima in quarta feria me- A. dii paſchæ, à qua feria tres dies ſunt uſque ad Sabbatum, & ſignificant, quòd ſi quis dignè peccatorum remiſſionem in primordio ſuæ converſionis quæſierit, ad contemplationem perveniet ſanctæ Trinitatis.

Septuaginta annis in captivitate Patres noſtri fuerunt, circa terminum Septuageſimæ ſupputationis de captivitate revocari meruerunt. Illa captivitas præfigurabat captivitatem populi Chriſtiani, quam patitur ſub diabolo & miniſtris ejus. Ipſa in pſalmo: *Miſerere mei Deus* deploratur, qui pſalmus numero continetur B. quinquageſimo, qui numerus oritur ex quinario: quinario ſenſu peccatum noſtrum colligitur. Pſalmus: *Confitemini Domino* continetur numero centeſimo decimo ſeptimo: per hunc numerum deſignatur regnum Dei perpetuum. Qui in pſalmo: *Miſerere mei Deus* ſatisfecit pœnitendo, & publicè peccata ſua in terra aliena confitendo, hic meretur revocari, & per pſalmum: *Confitemini Domino* regno Chriſti reſtitui. Antiphona de pſalmo: *Miſerere mei Deus* memorat ſatisfactionem pœnitentis. Duabus enim peccamus C. cauſis: aut quando omittimus, quod facere debuimus; aut facimus, quod facere non debuimus. Pro peccato delicti clamat prima ant. *miſerere mei Deus*: poſt verba hujus antiphonæ initium capit redeundi ex captivitate. Nam ſequitur: *Confitemini Domino &c.* initia horum pſalmorum ſibi conveniunt. Uterque enim beneficia Dei recolunt. Initio *miſerere mei Deus* eſt confeſſio peccatorum ad abluenda crimina; in fine *confitemini* confeſſio lætitiæ, & pro perceptis beneficiis gratia- D. rum actio.

CAP. LXXIII.

De Quinquageſima.

Quinquageſima deſcendens à Septuageſima, ſtat in tertio gradu: & Abraham in tertia mundi ætate extitit. Quinquageſima habet denominationem à quinario numero: quinarius numerus congruit exteriori homini, qui quinque ſenſibus vegetatur ſive ad bonum ſive ad malum. Quinquageſimus pſalmus habet vocem pœnitentis, & quinquageſimus annus eſt jubilæus. Quinquageſima finitur in paſcha Domini: quinquageſima orat pro peccato, & ſequitur lætitia in paſcha Domini. Hic canitur quadraginta dies quia omnis reatus peccatorum in decem præceptis legis committitur per quatuor partes mundi. Decem enim quater quadraginta faciunt: Reatus, qui ad dies pertinet, ex rerum proſperitate, & qui ad noctes, ex rerum adverſitate, Sacramento baptiſmi cœleſtis abluitur.

Qui reformandi ſunt per baptiſmum, oportet tangere quadragenarium & ſenarium numerum. Per baptiſmum recolligitur diſperſus primus homo Adam per quatuor partes mundi ad unum corpus Chriſti, quod fabricatum eſt per quadraginta annos & ſex. A Feria quarta hujus hebdomadæ quadraginta & ſex dies ſunt uſque ad publicum baptiſmum: ideo in hac Dominica cantatur reſponſ. *Quadraginta dies & noctes*. Sequuntur reſponſoria de Abraham, qui obtulit Deo filium: quia poſt baptiſmum ſequuntur bona opera. In antiph. *Secundum multitudinem* oratur venia pro his, quod ea quæ debuimus facere, non fecimus: in iſta deprecamur pro his, quæ fecimus, quæ non debuimus. In antiph. *Deus meus es tu* datur gratiarum actio, ac ſi mens ſe credat adeptam, quod deprecata eſt.

CAP. LXXIV.

De Quadrageſima.

Quadrageſima denominatur à quatuor, & ſtat in quarto loco à Septuageſima, & perficitur in cœna Domini, poteſt notari cultui munditiæ. Reſponſoria de quadrageſima ſunt claves & tituli de converſatione & ſtatu totius quadrageſimæ. In his enim diebus oportet nos præ cæteris temporibus anni mores noſtros corrigere, jejunare, plorare, orare, vigilare, patientes eſſe, pœnitere, eleemoſynam dare. Iſto Catalogo hominum ſpurcitia emundatur, & ab omnibus inquinamentis homo lavatur.

Antiphona: *cor mundum* poſtulat rectam cognitionem abſtinentiæ: antiph. *O Domine ſalvum me fac* orat, ut in abſtinentia, quam in iſto tempore inchoaverunt, uſque in finem perſeverent. Antiph. *Sic benedicam te* rogat, ut firmetur bonis operibus. Antiph. *In Spiritu humilitatis* poſtulat, Spiritum humilitatis, & animum contri-

tum in his oblationibus & holocauſtis ſu-A. ſcipi militem à Domino. Ant. *Laudate Dominum* admonet laudare Deum pro exauditione.

In iſta Dominica canuntur reſponſoria de Iſaac & Jacob. Quia eum Pater ſuſcepit ſanum, reverſum de exilio: ideo in hac hebdomada legitur Evangelium de prodigo filio; quem recepit Pater reverſum à porcis, quia Deus ſuſcipit pœnitentes converſos à vitiis. Septuageſima & Sexageſima & Quinquageſima ſunt præfationes quadrageſimæ, quæ tendit uſque in Paſcha: ideo non dicitur trigeſima, B. nec vigeſima, nec decima.

CAP. LXXV.

De Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

D*omine labia mea* eſt renovatio mentis ad gaudia ædificandi templi. Sub Aſſuero Rege afflictus eſt populus, & opus templi intermiſit. Iſte mos adhuc ſervatur in Eccleſia poſt intermiſſum colloquium tempore noctis. Ad præſentem verſum: *Domine labia mea* repetitur ite- C. rum colloquium. Antiph. *Dextera Domini* eſt reædificatio domûs Dei, & *ad hoc factus eſt adjutor*. Ereptus populus de camino, quem præparavit ei Aſſuerus, aliàs Nabuchodonoſor, cantat antiphonam trium puerorum *benedictus es*. Adverſarii non valebant deſtruere opus templi Dei, ideo dicunt antiph. *Statuit ea in æternum*. Templum Dei Eccleſia per pœnitentiam ædificatur; ſed quia Aſſuero, id eſt, diabolo per perſecutiones ſeu tentationes im- D. peditur, ideo *Domine labia mea* dicatur. Devictis malis cantatur: *Dextera Domini*; in gratiarum actionem: *Factus eſt adjutor*; pro ereptione trium puerorum: *Benedictus es*; pro mercede: *Statuit ea in æternum*.

CAP. LXXVI.

De Dominica tertia Quadrageſimæ.

IN hac Dominica adorant Fratres Joſeph, quia futurum erat, ut Eccleſia adoret Deum. Antiphona: *Fac benigne*, recolit conſummationem murorum Hieruſalem, quæ facta eſt ſub Nehemia: quo orante reſiſtebat Dominus adverſariis. Unde dicit antiph. *Dominus mihi adjutor eſt*. Contra imminentes hoſtes dicit antiph. *Deus miſereatur*. Furor contra Nehemiam & pueros ejus in gentibus eſt extinctus: unde antiph. *Vim virtutis ſuæ*. Hæc antiphona accipitur ſpecialiter in Joſeph, in quo extinctus eſt ignis libidinis: cùm eum Domina ſua tentavit; unde ſequitur antiphona: *Sol & luna*, quia ipſe vidit ſolem & lunam adorare ſe, quæ eſt prophetia de Chriſto.

Peracto ædificio bonorum operum ſub Chriſto cantatur antiphona: *Fac benignè*: contra æmulos: *Dominus mihi adjutor*, contra occultas inſidias: *Deus miſereatur*; poſt tentationis victoriam: *Vim virtutis*; pro laude Dei: *Sol & luna*.

CAP. LXXVII.

De Dominica quarta Quadrageſimæ.

IN hac Dominica canuntur reſponſoria de Moyſe & Joſue, qui introduxerunt populum Iſrael in terram repromiſſionis. Qui uterque ſignificat Chriſtum, qui introducet pœnitentes in paradiſum. Antiph. *tunc acceptabis* ſignat tempora Moyſis, qui docuit ſacrificium offerre Deo, & tempora Nehemiæ, qui replicat tempora Patrum dicens: *Dediſti eis regna & populos*. De ſola ſpe in Domino dicit antiph. *Bonum eſt ſperare in Domino*. Humiliavit habitatores terræ Deus coram filiis Iſrael, unde dicit antiph. *Benedicat nos Deus*. Salvavit eos de manu hoſtium, inde ant. *Potens eſt Dominus*. Sequitur catalogus Regum Judæorum, qui peccaverunt in Dominum, unde antiph. *Reges terræ*.

Aliter ad Nehemiam: hic obtulit in Sabbatis & in calendis; unde ant. *Tunc acceptabis*. Hiſtoria Eſdræ narrat Nehemiam & populum in ſola ſpe cœleſti confiſum: unde ant. *Bonum eſt ſperare*. Tunc benedixit populus omnibus viris, qui vellent habitare in Jeruſalem, unde ant. *Benedicat nos*. Nehemias fugavit generum ducis, quem timens dicit: *Potens eſt Dominus*. Deinde inſtituit ordinem totum miniſtrorum Dei: unde antiph. *Reges terræ*.

Devi-

Devictis vitiis & oblato virtutum ſa- A. crificio dicit quævis anima fidelis: *tunc acceptabis.* Qui ſperavit in Domino, eripuit eum dicit antiph. *Bonum eſt ſperare.* Ut eum cuſtodiat in bonis, dicat ant. *Benedicat nos.* Contra tentationes imminentes, antiph. *Potens es Domine.* Pro victoria, ant. *Reges terræ.*

Tres antiphonæ, id eſt, *benedictus es,* & *hymnum dicite*, & trium puerorum memorant tres pueros, id eſt, omnes fideles, laudantes ſanctam Trinitatem in camino, id eſt, in tribus hujus mundi partibus, ſcilicet Aſia, Africa & Europa conſtitutos in tribulatione: quorum etiam afflictio- B. nem ſignat ant. *in Spiritu humilitatis.* Antiphona; *Benedicat terra Dominum, & omnia naſcentia hymnum dicant ei*, in Septuageſima conjungit humanam laudem cum laude Angelorum. *Alleluja* cantus eſt Angelorum, *benedicat terra Dominum* laus eſt hominum in tribulatione poſitorum: quia ſocietas Angelorum eſt cum his, qui pro Deo patiuntur; ſicut apparuit in camino cum pueris filio Dei ſimilis.

CAP. LXXVIII.

De quinta & ſexta Dominica Quadrageſima.

Reſponſoria & Antiphonæ de duabus Dominicis paſſionis Domini ſonant paſſionem Domini & corporis ejus, id eſt, Eccleſiæ quamdiu peregrinatur in hoc mundo: unde & *Gloria Patri* in officio divino intermittitur.

CAP. LXXIX.

De Cœna Domini & ſeq. duabus diebus.

In cœna Domini memorant reſponſoria ejus traditionem, in paraſceve ejus crucifixionem; in Sabbato ejus ſepulturam, preſſuram verò Eccleſiæ ſignificant percuſſiones tabularum, quam paſſura eſt ſub Antichriſto tres ſemi annos. Lumina Eccleſiæ extinguuntur per tres noctes: quæ noctes cum diebus ſuis continent in ſe ſeptuaginta duas horas. Tot horis jacuit Chriſtus in ſepulchro. Per præſentem extinctionem ſignatur extinctio lætitiæ in cordibus Diſcipulorum Chriſti, quamdiu jacuit in ſepulchro. Sive tot horæ fuerunt poſt traditionem Domini, usque dum intravit ad eos januis clauſis: interim Apoſtoli erant in triſtitia. Sive ideo extinguuntur; quia ſol obſcuratus eſt per tres horas, id eſt, à ſexta hora usque ad nonam; ut prædicaret orbi, creatorem ſuum tribus diebus obſcurari in ſepulchro.

CAP. LXXX.

De Reſurrectione Domini.

In Reſurrectione Domini tres pſalmi cantantur, quia lex, & prophetia & pſalmodia ejus reſurrectionem prædixerunt. Tres lectiones leguntur, quia ante legem, ſub lege, ſub gratia reſurrectio prædicatur. Tria reſponſoria canuntur, quia Angeli in cœlo, homines in terra, animæ in inferno de Chriſti reſurrectione gratulantur. Pſalmi ad noct. per hebdomadam canuntur de dominica nocte propter Dominicam reſurrectionem.

CAP. LXXXI.

De Reſponſoriis, Cantoribus, Lectoribus, &c.

C. Reſponſorium dicitur, quod alio deſinente id altet reſpondeat. Lectores qui ſurgunt ad hoc opus & cantores ſunt hi, qui exercent Domini negotia; quibus dicitur: *Negotiamini, dum venio.* Lector legem Domini dat auditoribus, qui nuper vocati ſunt per officia cantorum ad nuptias in ſcholam Dei. Schola dicitur vocario: in qua ſi quis adhuc ſurdis auribus torpeſcit, cantor cum excelſa tuba ſonat in aurem ejus dulcedinem melodiæ, ut mens ejus excitetur. Cantores qui reſpondent primo canenti, vox eſt D. auditorum, quaſi evigilantium, & Deum laudantium. Verſus ſignificat ſervum arantem in Evangelio. Per dulcedinem modulationis ſcinduntur corda carnalia, & ſe aperiunt more ſulci in confeſſione vocis & lachrymarum. Arat, qui aratrô compunctionis corda ſcindit. In lectione paſcitur auditor quaſi quodammodo bos. Bos ad hoc paſcitur, ut cum eo opus agriculturæ exerceatur. Bos eſt prædicator, cantor quaſi bubulcus, qui jubilat bobus, ut hilariùs trahant aratrum. Terra ſcinditur, quando corda auditorum compunguntur. Reſponſorio reſpondetur tractui. Hoc ſignificat duo ſacrificia columbarum & turturum.

Tractus in Septuageſima ſonat tribula- A. tionem, ut *de profundis*. In Sexageſima fugam, ut fugiant à facie arcus. Laudate Dominum lætitiam Neophytorum ſeu nuper ordinatorum. Columba gregatim converſari, volare & gemere conſuevit; activæ vitæ frequentiam ſignificat quam eſt reſp. Turtur ſingularitate gaudet, ſpeculativa vita eſt, quæ per tractum deſignatur.

In *Alleluja* æterna lætitia electorum memoratur: *Verſus* ad Alleluja lætitiam Eccleſiæ, & laudem Dei ſine triſtitia ſignificat. In reſponſorio ſeminavimus, in Alleluja metimus, ùt dicitur: *Qui ſeminant* B. *in lacbrymis, in gaudio metent*. Inter Alleluja & tractum hoc intereſt, quod Alleluja ſemper laudem Dei ſive lætitiam Sanctorum: tractus verò aliquando tribulationem, aliquando lætitiam ſonat. Tribulationem, ut *de profundis*; *commoviſti*; *ad te levavi*; *ſapè expugnaverunt*; *Deus Deus meus*. Lætitiam, ut *qui habitat*; *jubilate*; *qui confidunt*; *laudate*. Poſt duos tractus tribulationis occurrit tertius lætitiæ: quia poſt duos dies ſepulturæ occurrit reſurrectio. Duo ſunt genera compunctionis, C. unum timoris, alterum amoris: tractus tribulationis compunctionem timoris, tractus lætitiæ compunctionem amoris ſignat.

Miniſtri caſulâ ſe exuunt, quando lectoris vel cantoris officium aſſumunt: in lectoris enim vel cantoris officio militia ſpiritalis exprimitur; ſoli etiam militant in lectione ſeu in vocis modulatione. Per caſulam ſignatur fames, ſitis, nuditas, vigiliæ, pſalmodia, & talia, quæ aliquando debent intermitti pro neceſſitatibus fratrum. Tabulæ, quas cantor in manu tenet, ſolent fieri de oſſe, fortis eſt perſeverantia bonarum cogitationum D. & operum: vel ſignificat dilectionem Dei & proximi. In manu tenentur, ut dilectio vocis (directio) exerceatur per opus. Jubilatio, quæ *ſequentia* vocatur, ſignificat illum ſtatum, dùm neceſſaria non erit locutio verborum; ſed ſola cogitatione mens menti monſtrabit, quod in ſe retinet. Huc currit ſermo prædicationis, quæ ultrò ſunt velata ſex alis Seraphin. Lector & cantor in gradum aſcendunt; quia Doctores debent paſſionem Dominicæ crucis imitari. Aſcenſio Diaconi in pulpitum eſt alta invitatio virtutum.

CAP. LXXXII.

De Evangelio ac ejus Lectione.

ANaſtaſius Papa præcepit, ut non ſedeatur, dum Evangelium legitur: ſed curvi ſtarent, quia in nova vita debemus ſtare in humilitate. Deinde ponit Epiſcopus thymiama in thuribulum ſuper prunas, ut ſuavem odorem excitet. Thuribulum Chriſti corpus ſignificat, in quo ignis eſt Spiritus Sanctus: ex quo procedit bonus odor, id eſt bona opinio de Chriſto. Diaconus accipit benedictionem à ſacerdote, id eſt, prædicatores verbum à Chriſto. Deinde vadit ad altare, ut inde ſumat Evangelium; altare eſt Jeruſalem, de qua exivit Evangelica prædicatio, ùt dicitur: *De Syon exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*. Diaconus portans Evangelium eſt pes Chriſti: in ſiniſtro brachio portat Evangelium, quod in hac vita temporali neceſſe eſt prædicare. Salutante Diacono populum, convertit ſe omnis populus ad eum; quia auditores avidè debent ſuſcipere verbum Dei à prædicatoribus. Poſt hoc ſacerdos, & omnis populus vertunt ſe ad orientem, & faciunt crucem in frontibus: quam prius ſecit Diaconus; & Chriſtum adorant, qui in Oriente natus eſt. In fronte ſedes eſt verecundiæ, ibi ſignum crucis facimus: quia Chriſtum non erubeſcimus, quem crucifixum prædicamus. Hìc baculi de manibus deponuntur, ut ſimus ſeparati ab opere Judæorum, qui dabant arundinem in manum Domini.

CAP. LXXXIII.

De Cereis ad Evangelium.

DUo cerei portantur ante Evangelium, quia lex & prophetia præceſſit evangelicam doctrinam. Thuribulum eſt opinio bonarum virtutum: de Chriſto, thus aſcendit in thuribulo, ante Evangelium Chriſti opera præceſſerunt doctrinam, ùt dicitur: *quia cœpit Jeſus facere & docere*. Diaconus dum legit Evangelium, ſtat verſus aquilonem, quia frigidis in fide prædicatur Evangelium. Evangelium legitur ex celſiori loco, cerei ſtant in inferiori, quia major eſt authoritas Evange-

lii

lii, quàm legis & Prophetarum. Poſt Evangelium cerei extinguuntur; quia finirâ prædicatione Evangelii lex & prophetia ceſſabunt.

Evangelium jacens in altari ſignificat illud tempus, quô neceſſe eſt illud prædicari. Præcedens officium prædicationem Chriſti uſque ad horam paſſionis demonſtrat & ſuorum prædicatorum uſque in finem mundi & ultra. Sequens, opus paſſionis Chriſti & reſurrectionis atque aſcenſionis, ſimiliter ſuorum vel ſacrificium vel mortificationem, & reſurrectionem atque ſuſpirium in cœlum indicat, ubi audituri ſunt: *Venite Benedicti Patris mei.*

CAP. LXXXIV.

De Oblatione ſeu Offertorio.

OBlatio legalis fiebat in introitu tabernaculi; duæ ſunt noſtræ oblationes: una mortificatio, altera opera bona, in introitu tabernaculi, id eſt, in præſenti vita. Lex præcipit ſacrificia offerri pro votis, pro ſpontaneis, pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Juda. Pro votis offerimus, quando implemus ea, quæ in tribulatione promiſimus: pro ſpontaneis quando gratias agimus de perceptis; pro peccato quando compungimur de commiſſis: pro regno, quando recta corda Regibus petimus; pro ſanctuario quando ſtabilitarem ſacrorum graduum; pro Juda quando pacem & unanimitatem populi poſtulamus.

Officium, quod nos *offerenda* dicimus, ab illo loco inchoatur, ubi ſacerdos dicit: *Dominus vobiſcum:* & finitur, ubi excelsâ voce dicit: *per omnia Secula Seculorum.* Chriſtus die palmarum venit in Hieruſalem immolandus; & occurrit ei turba laudans: quàm ipſe benignè ſalutavit; ideo ſacerdos ſalutat populum. Poſtea dicit: *Oremus*, & cantores cantant: quia ubi Chriſtus replevit corda turbarum, ad orationem mox magnificas laudes canebant. Puritas lintei, quod in altari ponitur, eſt puritas mentium qui Domino cantant. Oblatione ſuſceptâ redit ad altare ſacerdos, ut ibi immolet: Chriſtus poſt accepta vota cantantium intravit Jeruſalem, ut ibi immolaretur.

Altare in præſenti ſignificat generalem vitam juſtorum, oblationes in eo bonæ ſunt cogitationes & juſta opera. Salutatio ſacerdotis introitum demonſtrat ad aliud officium: *Oremus* dicit ſacerdos, ut acceptum fieri orent ſacrificium ùt Abel, ne deſpiciatur ùt Cain. Syndon eſt corporale caſtigatum ab omni naturali viriditate & humore; ita ſit mens offerentium ab omni carnali cupiditate. Corporale lineum debet eſſe & purum; ſignificat corpus Chriſti ſumptum de virgine. Per multos ſudores pervenit ad candorem; ita Chriſtus multis paſſionibus pervenit ad candorem reſurrectionis. Qui corpus Chriſti deſiderat accipere, per multos labores debet ſe caſtigare, mentis & corporis ſtatum mundum & candidum facere. Quod ita implicari debet, ut nec initium nec finis appareat: quia Chriſtus quamvis in humanitate habuit initium naſcendo, finem moriendo, tamen in Divinitate neutrum habuit.

Panis ideo offertur, quia ſicut panis de multis granis conficitur, ita corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, de multis electis coadunatur. Et ſicut panis per ardorem ignis coquitur, ita Chriſtus per paſſionem conſummatur. Vinum ideo offertur: quia ſicut de multis acinis illud exprimitur, ita de multis ſanctis corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia paſſionibus preſſa congregatur. Et Chriſtus per prælum paſſionis dedit potum reſurrectionis. Aqua ideo offertur quia populus per aquam baptiſmatis Chriſto admiſcetur, & incorporatur. Oratio ad ſolum Patrem dirigitur, quamvis tota Trinitas operetur: ne idololatria putetur dum tres perſonæ quaſi tres dii rogarentur. Quæ tamen per Filium, & Spiritum Sanctum concluditur, ut effectus petitionis in Trinitate monſtretur. Ad omnes orationes, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, dicitur, ut ille, qui æternaliter vivit, & regnat, nos adhuc viventes ſeu jam mortuos vivere, & ſecum regnare in cœlis faciat. Ad Exorciſmos verò per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem, dicitur: ut diabolus futurum judicium audiens paveſcat, & fugiat per ejus nomen, qui erit judex vivorum & mortuorum.

Septuaginta duæ cruces fiunt in canone ſuper oblatam & calicem; quia ſeptua-

ginta duæ linguæ ſunt redemptæ per Chriſti paſſionem. Septies *Dominus vobiſcum* dicitur in Miſſa, quia per ſeptiformem gratiam Sancti Spiritus ſacrificium oblatum accipitur: & per hæc dona ſeptem peccata hominibus relaxantur.

Cantores cantantes officium ſignant turbam, quæ Domino cantavit. Populus dat oblationes Domino panem & vinum, hoc eſt, deſideria pia intrinſecus latentia: nos ipſi ſacrificium eſſe debemus. Lavat ſacerdos manus per bona opera & lachrymas compunctionis: deinde orat ante altare, ne percutiatur ſicut Bethſamitæ, qui indignè viderunt arcam Domini. Poſt orationem thurificat, quia per Chriſtum fit propitiatio, cujus corpus thuribulum ſignificat.

Diaconus aquam vino miſcet, quia populus Chriſto adunatur. Si vinum quis offerat tantùm ſine aqua, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.

Sicut multa grana in unum collecta, commolita, commixta panem unum faciunt: ſic in Chriſto, qui eſt panis vivus, unum corpus erit numerus electorum coadunatus.

Omnis populus intrans Eccleſiam debet ſacrificium offerre; ſacerdos & miniſtri panem, populus vinum, cantores aquam. Poſtea precatur ſacerdos, ut orent pro ſe: ut dignus ſit univerſæ plebis oblationem offerre Deo.

CAP. LXXXV.

De Secreta ſub Miſſa.

Sequitur *ſecreta*, quæ ideo ſecreta dicitur, quia ſecretò dicitur. Omnia ſacrificia in lege erant ſecreta, id eſt, muta: quia umbra futurorum erant. Agnus paſchalis latebat in Chriſto; ſoli Deo loquitur ſacerdos, ideo vox non eſt neceſſaria, vel reboans, ut admoneatur ſacerdos, quid cogitare debeat.

CAP. LXXXVI.

De Præfatione & Sanctus.

Per omnia ſæcula, altè ſacerdos dicit, ut per *Amen* confirmetur oratio. Hic non vertit ſe ad populum, cùm *Dominus vobiſcum* dicit, ad inſinuandam devotionem in offerendo ſacrificio: & arator non debet retro reſpicere.

Hymnus ideo dicitur, quia refertus eſt gratiarum actione & laudibus Angelorum. *Præfatio*, quia præparat fratrum mentes ad Sanctorum Angelorum concentum; qui aſſiſtunt conſecrationi corporis Chriſti, & ad ipſam reverentiam tantæ conſecrationis: ideo excelsâ voce cantatur.

Præſens officium eſt tempus, quando Chriſtus in cœna aſcendit in cœnaculum magnum ſtratum, & poſt aliquam moram retulit hymnum Deo Patri. Hic altare eſt menſa Domini, in qua convivabatur cum diſcipulis ſuis. Corporale linteum, quo erat præcinctus, ſudarium labor de Juda proditore. Sacerdos aſcendit in cœnaculum, cùm dicit *ſurſum corda*: deinde agit gratias, ùt Chriſtus Patri: gratiarum actio ſacerdotis, ſacrificium ejus. Laudes Angelorum vel miniſteria eorum ſacrificium. Angeli & Archangeli laudant, Dominationes & Principatus adorant, Poteſtates tremunt, cœli, id eſt, Throni, Virtutes, Cherubin & Seraphin concelebrant. Decimus ordo humanæ adjungitur, cùm quibus & noſtras voces ut admitti jubeas, deprecamur &c.

Sixtus Papa conſtituit, ut *Sanctus*, cantetur. Ordo Angelorum dicit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: pleni ſunt cœli & terra.* Ordo hominum ſubjungit: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sudarium jacens in altari ſignificat laborem, quem habent Angeli in miniſterio humano, ſive perfecti viri, qui non ceſſant orare pro noſtra fragilitate. Corporale intentionem non fictam.

In Præfatione ſtant Diaconus retro Epiſcopum, Subdiaconus in facie ejus: qui retro ſtant, ſunt diſcipuli, qui fugerunt in paſſione Chriſti; qui in facie ſtant, ſunt mulieres, quæ ei tunc aſtiterunt. Ad *Sanctus* ſe inclinant, qui in facie ſtant, & qui retro, venerantes divinam majeſtatem & incarnationem Domini. Angelorum concentus introducit divinam majeſtatem dicendo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; turba incarnationem Domini dicendo: *Benedictus qui venit.* Retrò ſtantes perſeverant inclinati uſque dum dicatur: *Sed libera nos à malo*; illi ſunt quibus dicitur: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*: id eſt, Apoſtoli, qui erant in magna tribulatione, non audentes

tes ſe erigere, id eſt, confiteri ſe diſci- A pulos Chriſti, uſque dum per reſurrectionem liberati ſunt à malo timoris. Qui in facie ſtant, ſignificant diſcipulos occultos propter metum Judæorum. Declinatio Subdiaconi fuit mœſtitia mulierum vel populorum de paſſione Chriſti.

CAP. LXXXVII.

De Canone Miſſæ.

AB initio: *Te igitur*, uſque in eum locum, ubi dicitur: *Et in electorum tuorum jubeas grege numerari*, celebratur ſacrificium electorum, qui non ſunt in car- B ne, quod eis repugnet. Sicut erant duo altaria in tabernaculo Moyſis vel in templo Salomonis, unum thymiamatis, alterum holocauſti; ita ſunt duo ſacrificia ſanctæ Eccleſiæ; unum, in quo omnes carnales motus ſopiti ſunt, quod eſt thymiamatis: alterum, in quo quotidie mactandi ſunt iidem motus per compunctionem lachrymarum.

Te igitur ideo ſecretò dicitur, ne tam ſancta verba & ad tantum myſterium pertinentia vileſcerent: dum penè per uſum retinentes ea per vicos & plateas vel in aliis C locis, ubi conveniret decantarent. Inde fertur, quod antequam hæc conſuetudo inoleviſſet, cùm Paſtores ea decantarent in agro, divinitus percuſſi ſunt. *Te igitur* ideo ſecretè dicitur, quia ſoli Deo loquitur, qui novit abſcondita cordis, ut dicitur de Anna: *Loquebatur in corde ſuo, & vox ejus penitùs non audiebatur.*

Ter oravit Dominus in monte oliveti ante paſſionem ſuam: ita ſacerdos facit tres orationes, pro Eccleſia, pro fratri- D bus, pro choro ſacerdotum. Ternario numero fit ſacrificium electorum ad Patrem: *Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*. *Dona* panis intelligitur, in quo eſt aqua & farina. *Munera* vinum, in quo vinum & aqua. *Sacrificia illibata* utrumque agnoſcitur. Hæc pro tribus offerimus, pro univerſali Eccleſia, pro ſpecialibus fratribus, quorum eleemoſynas accepimus, aut munus, aut qui præſentes ſunt: pro nobis ipſis, qui communicamus ſanctæ Mariæ & Apoſtolis in uno Domino.

Tria ſunt ſacrificia, quæ requirit Dominus, facere judicium, diligere miſericordiam, paratum ire cum Deo. In hac oratione ſignat Syndon humilitatem Chriſti, quam aſſumpſit ex terreno habitu. Sudarium in altari laborem ejus in oratione ut dicitur: *Factus in agonia prolixiùs orabat.*

Cùm dicit: *Hanc ergo oblationem* inclinat ſe ſacerdos ad altare: Chriſtus humiliavit ſe ad paſſionem. Hìc Syndon eſt traditio Chriſti in manus impiorum; ſudarium verò labor ex traditore. Sacrificium perfectorum jungitur ſacrificio Angelorum. Deinde univerſale ſacrificium, id eſt, immolatio Chriſti celebratur ante: *Nobis quoque peccatoribus*: etenim Chriſtus pro peccatoribus eſt immolatus.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, hoc eſt, tota cogitatione, totâ vitâ, toto intellectu, *benedictam* per Patrem, *adſcriptam* per filium *ratam per Spiritum Sanctum*. Quinque cruces quinque vulnera Chriſti. Expanſio manuum ſacerdotis, extenſio Chriſti in cruce. Quando dicitur: *Hoc eſt corpus meum*, tunc panis inprimis vertitur in carnem; cùm dicit: *Hic eſt ſanguis meus*, tunc vinum ex verbis Domini mutatur in ſanguinem. Syndon in altari linteum, quo erat præcinctus; ſudarium labor in lavatione pedum, altare menſa Domini eſt.

Exemplo Domini accipit ſacerdos oblatam & calicem in manus, & elevat: ut ſit Deo acceptum, ſicut ſacrificium Abel, qui obtulit in figura Chriſti agnum; & ſicut ſacrificium Abrahæ, qui obtulit filium: & ſicut Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum.

De tuis donis ac datis; *dona* ſunt in re æterna, *data* in re temporali. *Hoſtiam puram* panis, *hoſtiam ſanctam* calicis, *hoſtiam immaculatam* utrumque ſimul. Cum dicit: *Supplices te rogamus omnipotens Deus*, inclinat ſe ante altare; quia Chriſtus in cruce oravit à pſalmo: *Deus Deus meus* uſque in *manus tuas commendo Spiritum meum*, & tunc inclinatò capite emiſit Spiritum. Ab eo loco: *unde & memores* altare præſens eſt crux, Syndon humilitas Chriſti uſque ad mortem; ſudarium labor paſſionis. Hic erigunt ſe Subdiaconi: diſcipuli, qui intererant paſſioni, poſt mortem ejus aliquò modò conſolantur, & erigunt ſe aſpicientes in dilectum ſibi corpus uſque dum in cruce pendet. Hic lavant Diaconi manus,

manus, quia ſordida opera prioris conver- ſationis, Chriſti paſſione mundantur.

Adam dormivit, Eva fabricatur de latere dormientis: Chriſtus in cruce moritur, Eccleſia corpus ejus fabricatur de ſanguine & aqua, quod fluxit de latere ejus. Sanguine redempti ſumus, aquâ à peccatis loti. Cujus uxoris prima vox fuit ille centurio qui dixit: *Verè Filius Dei erat hic.* Unde, *nobis quoque*, altiùs dicit.

Subdiaconi erecti aſpicientes opus Presbyteri, ſunt noti ejus & mulieres, quæ ſtabant à longè hæc videntes. Diaconus elevat calicem de altari, & involvit ſudario: eſt Joſeph qui depoſuit Dominum de cruce, & poſuit in monumento. Sacerdos, qui elevat oblatam, eſt Nicodemus, qui cum myrrha & aloë Dominum ſepelivit. Sacerdos facit duas cruces juxta calicem, quia Chriſtus depoſitus eſt de cruce, qui pro duobus populis crucifixus eſt. Sacerdotis & diaconi elevatio calicis eſt Chriſti depoſitio de cruce: oblata & calix eſt Dominicum corpus. Altare ſudarium, quod fuit ſuper caput ejus. Oblata eſt in modum denarii rotunda; quia pro triginta denariis Dominus venditus eſt.

Subdiaconi qui in facie ſtabant, nunc recedunt, quia ſepultô Dominô mulieres de ſepulchro receſſerunt. Ubi dicitur: *Nobis quoque peccatoribus*, ſacrificium pœnitentium memoratur, qui carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis. Altare holocauſti eſt noſtra mortificatio, elevatio vocis clamor in corde pœnitentis, ſacrificium pœnitentium Spiritus contribulatus. Altare holocauſti cor eorum, qui carnales motus conſumunt fervore Sancti Spiritûs. Syndon eſt caſtigatio carnis per vigilias & jejunia. Sudarium eſt ipſa intentio, quâ feſtinamus motus tentationum vincere. Impetratio ſequitur: *Intra quorum nos conſortium.*

Subdiaconus, qui tenuit patenam, finitô canone, ubi dicitur: *Et ab omni perturbatione ſecuri &c.* dat eam diacono, & ipſe Presbytero; quod eſt obſequium mulierum in ſepultura Chriſti. Dominica oratio ideo altè dicitur, quia publica eſt oratio, & communis, & pro toto populo. Præcepta ſalutaria, Evangelica doctrina: divina inſtitutio, confectio corporis & ſanguinis Domini. Hic erigunt ſe diaconi, quia in ſeptima petitione liberantur à malo; in recordationem ſeptimæ diei, quando Chriſtus quievit in ſepulchro, agitur Dominica oratio, quæ ſeptem habet petitiones: in quo ſeptimo die laborabant Apoſtoli triſtitiâ & metu Judæorum. Iſti tres articuli præſentis orationis ſignificant tempus triduanæ ſepulturæ Domini. Unde etiam in paraſceve ideo dicitur Dominica oratio ante corpus Domini, ut dimittamus debitoribus noſtris, & ut liberemur à malo.

Venientes Subdiaconi cum patena, ut accipiant corpus Domini de altari, ſunt mulieres, quæ ad monumentum veniunt orto jam ſole, & eum vivum inveniunt. Poſtquam ſacerdos dicit: *Pax vobiſcum.* ponuntur oblatæ in patenam, quod ſignificat: poſtquam Chriſtus reſurgens ex mortuis ſalutatione ſua lætificavit corda diſcipulorum, vota fœminarum completa ſunt percepto gaudio reſurrectionis. Deinde corpus Domini in vinum mittitur. Corporalis vita conſtat ex corpore & ſanguine; quamdiu hæc duo vigent in homine, Spiritus adeſt. Sanguis Chriſti pro noſtra anima effuſus eſt, caro Chriſti pro noſtra carne mortua eſt. Hæc duo in reſurrectione redierunt ad propriam ſubſtantiam, & Spiritus vivificabit novum hominem, ut ultra non moriatur. Crux quippe, quæ formatur ſuper calicem cum particula oblatæ ipſum corpus nobis ante oculos præſcribit, quod pro nobis crucifixum eſt; ideo tangit quatuor latera calicis; quia per illud omnium hominum genus quatuor mundi climatum ad unitatem unius corporis acceſſit & ad pacem Eccleſiæ. Quam pacem Angeli promiſerunt dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; unde nunc dicitur: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Eandem ſequitur populus per blanda baſia. Mulieres à viris non accipiunt pacem propter luxuriam.

CAP. LXXXVIII.

De Agnus Dei & Corpore Chriſti.

Sergius Papa conſtituit, ut interim quam communicetur, *agnus Dei* cantetur; ut qui tulit mundi offenſa, tollat & nunc noſtra. Per ſacræ Euchariſtiæ oblationem ſive per pacis oſculum. Sumitur

mitur corpus Domini; quia unum debemus eſſe in Chriſto, qui eſt Deus pacis, per quem pacificata ſunt cœleſtia & terreſtria. Apoſtoli hoc pranſi & in fine diei ſumpſerunt, quia finis legis Chriſtus fuit, & initium gratiæ. Nos autem jejuni debemus accipere, utpote cibum omni corporali cibo præſtantiorem. Tribus diebus antè contineant ſe ſacerdotes à mulieribus; triſorme eſt corpus Chriſti. Primum ſanctum & immaculatum, aſſumptum ex Maria virgine; alterum, quod adhuc ambulat in terra, ſancta ſcilicet Eccleſia: tertium, quod jacet in ſepulchris. Per particulam oblatæ in calicem miſſæ oſtenditur corpus Chriſti, quod jam reſurrexit à mortuis: per comeſtam a ſacerdote vel à populo ambulans adhuc ſuper terram; per relictam in altari jacens in ſepulchro. Idem corpus ducit oblatam ſecum ad ſepulchrum, & vocat illud ſancta Eccleſia morientis *viaticum.* Particula ipſa remanet in altari usque ad finem Miſſæ, quia usque in finem ſæculi corpora Sanctorum requieſcunt in ſepulchris. Corporale, quod remanet in altari, ſignificat munditiam mentis, cui debet quilibet ſtudere accipiens corpus Domini, ſed præcipuè in fine. Antiphona ſequens eſt *communio*, eſt vox reciproca, & illos ſignat, qui cognoverunt Dominum in fractione panis, & nunciaverunt cæteris.

CAP. LXXXIX.
De Ite Miſſa eſt.

POſt hanc benedicit ſacerdos populum: ita & Chriſtus benedixit eos, & aſcendit in cœlum. Deinde revertitur ad orientem; ut ſe commendet Domini aſcenſioni.

Diaconus dicit: *Ite Miſſa eſt*; quia Chriſtus ſingularis legatus miſſus eſt pro nobis ad Patrem habens indicia ſecum ſuæ paſſionis. Primò, ut hoc indicio fidem ſuæ reſurrectionis diſcipulis aſtruat. Deinde ut Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit, ſemper oſtendat; tertiò ut morte ſuâ redemptis, quàm miſericorditer ſint adjuti, propoſitis ſemper ejusdem mortis indiciis innovet. Poſtremò, ut etiam perfidis in judicio, quàm juſtè dam- A. nentur, vulnera oſtendat. Dicente Diacono: *Ite miſſa eſt*, mens noſtra ad illam patriam tendat, quo caput noſtrum præceſſit.

Miſſa dicitur à loco ſacrificii usque in finem, eò quòd tempore ſacrificii catechumeni mittebantur foras; & ideo dicitur: *ite miſſa*, quod congregatus populus tunc dimittitur. In quadrageſima verò ſumus quaſi in procinctu contra diabolum, unde munit nos ſacerdos ſuâ benedictione, clamante Diacono: *Inclinate capita veſtra Deo.* Benedictio ſacerdotis in noviſſimo datur more antiquo: uti B. Jacob moriens benedixit filios ſuos.

CAP. XC.
De Adventu Domini.

HUmanum genus in peccatis quaſi in ſomno obdormierat, quod tuba Prophetarum ad ſuſcipiendum adventum Domini excitat: ipſum verò evigilans inhianter ſuſcipit adventum Domini dicens: *Ad te levavi &c.* Vetus lex per Prophetas genti judæorum annuntiat adventum Domini, dicens: *Populus Syon &c.* Nova lex per Apoſtolos Eccleſiæ C. ſecundum Domini adventum prænuntiat, dicens: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus propè eſt*; ſubaudi, ut nos faciat gaudere anima & corpore.

Officium: *Memento noſtri Domine* non eſt authenticum: ſed ſive illud ſive *Rorate* cantetur, vox eſt Sanctorum ſeu primum ſeu ſecundum adventum Domini deſiderantium.

Evangelium: *Cùm ſublevâſſet* de quinque panibus legitur quinta Dominicâ ante Nativitatem Domini; quia per quinque ætates mundi præconium venturi Chriſti D. ſonuit.

Antiphonarius & Miſſalis habent quatuor officia, quia Nativitas Domini celebrata eſt per quatuor ordines librorum, legis, prophetarum, pſalmorum & Evangelii: unde ſæpè etiam in quarta hebdomada ipſa Nativitas Domini celebratur. Author etiam lectionarii docet nos, quàm fortis ſit Dominus, qui venturus eſt ad nos, & intraturus domum cordis noſtri, ut in ea habitet: quam ſordidamus per exceſſus quinque ſenſuum noſtrorum. Per allicientes enim formas intrant concupi-

ſcentiæ carnalium delectationum per oculos; ſuſpicio mala de fratre per aures; odor libidinoſus, per nares: per os ingluvies polluit, per tactum crudelitas. Sed in ſordibus hujusmodi venturus Rex noſter non vult habitare: & ideo per quinque lectiones quinque hebdomadarum hortamur circumcidere quinque ſenſus noſtros ab omni vitio, & parare Domino dignam manſionem; ut Regi vero & Prophetæ.

A.

Dicit lectio: *Ecce dies venient dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex & ſapiens erit*; & Evangelium: *hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Sicut per quinque ſenſus, ita per quatuor elementa, aut ruit homo ad mala opera, aut ſurgit ad bona. Unde in prima hebdomada lectio dicit: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*; & evigilans homo dicit: *Ad te levavi.* In his quatuor hebdomadibus *Gloria in excelſis* intermittitur & uſus Dalmaticæ, ad inſinuandum tempus veteris teſtamenti; quod fluxit ſub quatuor dignitatibus, Chriſti Nativitatem præfigurantibus, videlicet, ſub Patriarchis, ſub Judicibus, ſub Regibus, ſub Prophetis.

B.

CAP. XCI.

De Nativitate Domini.

Nativitas Domini ideo celebratur, ut nos per ipſum Dominum Spiritu renaſcamur. Ipſa nocte tres Miſſæ celebrantur quia per Chriſti Nativitatem univerſitas trium temporum, ante legem, ſub lege, ſub gratia indicatur: vel tres partes mundi, Aſia, Africa, Europa ſalvantur. In qua etiam nocte *Gloria in excelſis* cantatur quia tunc primitus ab Angelis canebatur.

Teleſphorus Papa conſtituit, ut in nocte natalis Domini prima miſſa in primo gallicinio celebretur, quando natus eſt Dominus: altera oriente die quando inventus eſt puer à Paſtoribus in præſepio, & à doctoribus in Evangelio. Ultima horâ diei tertiâ, quâ cœlum nupſit terræ.

Idem Papa Teleſphorus conſtituit, ut miſſa non celebretur uſque ad tertiam horam feſtis diebus, quâ horâ venit Spiritus Sanctus ſuper diſcipulos. In aliis verò diebus, quando jejunandum eſt ſextâ horâ, quando Chriſtus aſcendit crucem. In quadrageſima horâ nonâ, quando exſpiravit.

Feſtum S. Stephani eſt quando inventio ejus colitur: contigit enim poſt paſcha, ſed hìc propter feſtivos dies agitur.

Dormitio ſancti Joannis Evangeliſtæ eſt in nativitate S. Joannis Baptiſtæ; ſed quia ibi non poteſt celebrari, hìc agitur.

In feſtivitate Innocentum non cantatur *Gloria in excelſis* & *Alleluja* & *Gloria Patri* propter triſtitiam matrum, & quia ad inferna deſcenderunt.

CAP. XCII.

De Circumciſione Domini & Epiphania.

Circumciſio Domini ideo agitur, ut & nos ſpiritualiter circumcidamur quinque ſenſibus noſtris. Octavo Idus Januarii dies quondam celebris habebatur ob triplicem triumphum Auguſti.

Eadem dies celebratur & nunc à nobis tribus de cauſis. Tres magi id eſt tres Reges trina munera trino Deo obtulerunt. Chriſtus baptizatur, Pater filium teſtatur, Spiritus Sanctus viſibiliter præſentatur. Nuptiæ celebrantur, aqua in vinum convertitur, Chriſtus à diſcipulis Deus creditur.

C.

CAP. XCIII.

De Die Purificationis.

In menſe Februario ritu pagano quondam luſtrabatur civitas cum luminaribus, & Diis manibus, id eſt, infernalibus ſacrificabatur. Hunc morem nos ſervamus à ſanctis Patribus Divino cultui inſtitutum in purificatione ſanctæ Mariæ: portantes in manibus cereos ardentes, & cum prudentibus virginibus lampades cum oleo gerentes Chriſtum ſuſcipimus, intrantes cum eo ad nuptias veſtiti veſte nuptiali.

D.

CAP. XCIV.

De Exequiis Mortuorum.

Miſſa pro mortuis ita agitur, ut in morte Domini, id eſt, ſine gloria & Alleluja & pacis oſculo; hæc enim lætitiam deſignant: in

in iſtis autem triſtitia agitur. Recordatio mortuorum agitur ante; *nobis quoque peccatoribus*; ibi finitur memoria mortis Domini & inchoatur mors noſtra per confeſſionem peccatorum. Corpora non interſunt ideo publicis officiis, quia non decet muſica in luctu. Tertius & ſeptimus dies pro mortuis ideo aguntur; nam conſtant ex anima & corpore. Anima quaſi tribus columnis erigitur, ut diligat Deum ex toto corde & ex toto animo & ex omni mente. Eſt etiam rationalis, iraſcibilis, concupiſcibilis. Ratione diſcernimus inter bona & mala, iraſcimur malis, concupiſcimus bona. Quæ anima quia neglexit Dei cultum in cogitatione, in vita, in intellectu, tertia dies agetur ut ab his peccatis purgetur. NB. Hic quædam in meo exemplari deſunt de corpore dicenda.

Hic quædam deſiderantur in noſtro Gemnicenſi Codice, de mortuorum cadaveribus dicenda.

CAP. XCV.

De Die Paſchali.

PAſchalis dies per ſeptem dies quaſi unus dies celebratur. Significat illud tempus, quando cor electorum gaudebit, & gaudium eorum nemo tollet ab eis: & non erit neceſſe, ut aliquid rogent, ut dicitur: *Iterum videbo vos &c.* In illo die & in illo tempore non rogabunt quidquam; ideo veſpera non incipitur à verſu: *Deus in adjutorium*, per quem divinum auxilium invocetur, quia nemo tunc tentatur; ſed à *Kyrie eleiſon*, quò feſtum mentis deſignatur. *Kyrie eleiſon* quippe ad miſſam pertinet, & iſtæ veſperæ per Kyrie eleiſon ſolemniter incipiuntur & miſſæ conjunguntur, quia illa dies veſperum non habet. Unde Reſponſorium: *Hæc eſt dies* ad omnes horas cum alleluja frequentatur. Iidem pſalmi per ſingulas veſperas cantantur, quia una eademque dies celebratur. Tres pſalmi ante hymnum ſanctæ Mariæ cantantur, quia, ùt dictum eſt, cœleſtia, terreſtria, & inferna de Chriſti reſurrectione gratulantur. Duo ad fontem ſequuntur, quia in fide reſurrectionis Chriſti Judaicus & gentilis populus baptizentur: vel in fine contemplativi & activi per Chriſtum ſalvabuntur. In nocte verſus dicimus; quia in hac vita in tentatione poſiti divino indigemus auxilio: in die non dicimus; quia in illa vita, quæ per iſtum diem ſignificatur, ab omni tentatione ſecuri erimus.

CAP. CXVI.

De Dominicis poſt Paſcha.

REſponſorium: *Dignus es Domine* ſignat introitum Apoſtolorum ad Eccleſiam, quæ ex Judæis collecta eſt ad fidem novi Teſtamenti. Reſp. *Ego ſicut vitis* eſt pars Judaicæ plebis ad unitatem fidei. In primis reſponſoriis narratur adunatio ad unam fidem auditorum ac præpoſitorum: in ſequentibus monſtratur Eccleſiæ, quæ nunc collecta eſt, myſterium ſponſi & ſponſæ; de quibus ipſa procreata eſt. Ipſa ſponſa eſt Jeruſalem, & idcirco præſens ſponſa frequenter memoratur per Jeruſalem: quia ipſa cœpit creſcere in Jeruſalem. Unde Reſp. *Vidi Jeruſalem.* In cæteris narratur pulchritudo ſtructuræ Jeruſalem ùt eſt Reſp. *Hæc eſt Jeruſalem*, & *plateæ tuæ*: quæ omnia oportet intelligi myſticè de ſpiritualibus ædificiis cœleſtis Jeruſalem juxta tenorem officiorum, quæ continent in ſe perſonam primitivæ Eccleſiæ, ùt eſt: *Quaſi modo geniti &c.* & *Miſericordia Domini &c.* & *Jubilate &c.* oportet hæc per tres hebdomadas decantari.

Reſponſorium: *Si oblitus fuero* eſt de pſalmo: *ſuper flumina*: ſignificat gentilem populum, qui olim habitabat in Babylone, id eſt, in confuſione iſtius mundi, & deſiderabat revocari per prædicationem & doctrinam Apoſtolorum ad Jeruſalem, id eſt, Eccleſiam. Reliqua omnia reſponſoria de liberatione Babylonicæ infidelitatis & perventione in Jeruſalem, ut eſt: *Deus canticum*, & *dicat nunc &c.* & *in Eccleſiis.* Hæc aſſumpta ſunt de pſalterio, quod eſt decem chordarum, in quibus eſt dilectio Dei & proximi: dilectio Dei propter tria, dilectio proximi propter ſeptem. Et Reſponſoria: *Inſinuant ſe proles*, diligere ſponſum matris ſuæ & matrem ſuam, & loqui ſe, ac reſpondere civitati Jeruſalem quæ in cœlo habitat.

Tria officia: *Cantate Domino &c. Vocem jucunditatis &c, Exaudi &c.* recolunt eadem tempora quæ & reſponſoria: unde non delinquunt, qui per tres hebdomadas uſque in pentec. ea canunt.

. Reſponſoria de aſcenſione Domini A. nunc ſponſam, ſanctam ſcilicet eccleſiam conſolantur, uti Reſp. *non conturbetur &c. tempus eſt &c.* Nunc ipſa loquitur ad ſponſum, ut eſt illud Reſp. *Exaltare Domine &c.* Nunc optat recipi ad eum ſuper Sydera.

CAP. XCVII.

De Reſponſoriis in Pentecoſte.

IN Pentecoſte cantant Romani novem lectiones: nos verò propter baptiſmalia Sacramenta in tribus perſonis baptizatis tribus pſalmis laudamus Trinitatem usque ad octavam.

B. Reſponſoria ſonant Spiritum Sanctum Paraclitum, id eſt, conſolatorem à ſponſo promiſſum, adveniſſe ſponſæ, & dona ei per ipſum allata, id eſt, fidem, opera, miracula, & cætera chariſmata. In paſcha & in aſcenſione & in Pentecoſte ſuper pſalmos in matutinis laudibus antiphonam cum alleluja canimus excepto in *benedictus*: quia per hoc Dei beneficia recolimus, quæ de ejus reſurrectione & aſcenſione & adventu Spiritus Sancti percepimus. Ad *benedictus* verò non canimus antiphonam cum allelujis propter C. tribulationem maximam, quæ futura eſt.

CAP. XCVIII.

De Feſtis S. Joannis Bapt. item SS. Petri & Pauli.

DE S. Joanne Baptiſta Reſponſoria ſumpta ſunt de Prophetis & Evangelio: quia ipſe erat finis prophetiæ & initium Evangelii. In feſtivitate Apoſtolorum in tertia nocturna & ad laudes antiphonæ cum alleluja canuntur; in iſta autem feſtivitate non canuntur: quia major eſt gloria novi teſtamenti quam legis. D. Joannis enim, qui priſcæ legis typum tenuit, nativitas ante reſurrectionem Domini exſtitit: Apoſtolorum verò nativitas in cœlo facta eſt poſt clarificationem Eccleſiæ à Spiritu Sancto; ideo iſta antiphonis decoratur illa non.

In præcipuis feſtivitatibus Sanctorum agunt Romani duo officia in nocte. Primum initio noctis ſine alleluja peragitur, & vocatur *vigilia*: unde & præcedens dies *vigilia* nominatur. Alterum verò circa mediam noctem, & finitur in die: & hoc habet in tertia nocturna in antiphona alleluja. Per unum officium legalis mos recolitur, & Sabbata, quæ in figura futurorum celebrantur: per alterum vero Reſurrectio Domini, & noſtra futura feſtivitas; ideo cum alleluja peragitur, quia tranſiit ad conſortium Sanctorum Angelorum.

In nocte S. Petri canuntur duo officia; unum in prima vigilia ſine invitatorio, quoniam ibi populus non invitatur: alterum verò in ſecunda vigilia cum invitatorio quia tunc populus ad vigilias invitatur. In feſtivitate S. Pauli verſus cum antiphonis canuntur, quia plus omnibus laboravit. De ſancto Laurentio etiam verſus cum antiphonis leguntur propter celebre martyrium ejus.

CAP. XCIX.

De Lectionibus in matutinis poſt Pentecoſten.

POſt Pentecoſten Dominicis diebus usque in Calendas Auguſti leguntur lectiones cum reſponſoriis de libris Regum, quo tempore habile eſt ire ad pugnam. Hic recordantur geſta Patrum, Samuelis & Davidis, qui bellicoſus fuit; Heliæ & Heliſæi: ut ſicut illi contra hoſtes, ita nos contra vitia pugnemus.

In Auguſto menſe Dominicis noctibus dicuntur lectiones cum Reſponſoriis de libris Sapientiæ: quia in hoc ſtatu anni quoque ſata & plantata fructum facere ſolent; ita & nos jam in perfecta ætate poſiti per ſtudium ſapientiæ bonorum operum fructum ferre debemus.

In Septembri ſolet ſæpè infirmitas accidere hominibus propter novos fructus: & ut eo tempore, quò major abundantia rerum eſſe ſolet, nos quandoque etiam in tanta rerum abundantia morituros eſſe recolamus, & infirmitates temporis illius patienter toleremus, canuntur Reſponſoria de Job & de Tobia, qui ambo dolores pertulerunt. Hi non fuerunt Reges ideo non habent ſingulos menſes, ſed in uno menſe leguntur, per quod regnum Aſſyriorum intelligitur. Dominicæ, in quibus Reſponſoria de hiſtoriis Judith, Eſdræ & Eſther canuntur, & ipſæ hiſtoriæ leguntur, regnum Perſarum & Medorum deſignatur. Liber Tobiæ & Judith non ſunt in canone apud Hebræos: ſed quia eos in numero Agiographiæ * recepit, eamus & legimus ex eis.

* f. Agiographia, ſeu Hagiographia,

Cam-

Cambyſes Rex Perſarum vocatus eſt ab Hebræis ſecundus Nabuchodonoſor, ſub quo Hiſtoria Judith conſcribitur. Aſſuerus ab Hebræis ſeptuaginta interpretibus Artaxerxes vocatur, ſub quo hiſtoria Eſther conſcribitur.

Reſponſoria de hiſtoria Machabæorum tempora & regna Græcorum memorant. In Julio & Auguſto menſe per cantum & lectum recolitur fortitudo & decor & ſapientia regni in populo Iſrael: in Septembri regnum Aſſyriorum; in Octobri in geſtis Eſther & Judith nobis repræſentatur regnum Perſarum & Medorum; & in eodem menſe per geſta Machabæorum etiam regnum Græcorum commemoratur. Quia minoris poteſtatis erat regnum Medorum & Græcorum quàm Aſſyriorum vel Romanorum, per menſem Novembrem regnum Romanorum ſignificatur, per quod finem fecerunt priora regna.

Per quatuor enim partes mundi erant quatuor regnorum principatus. Babylonicum regnum ab oriente, quod eſt Aſſyriorum, à meridie Medorum, à ſeptentrione Macedonicum, ab occidente Romanum. Regnum Aſſyriorum quoddam fuit præſagium regni Chriſtiani populi; inter Babylonicum regnum & Romanum quaſi in Patre ſene & Filio parvo Medorum ac Macedonum brevia & media quaſi tutor curatorque venerunt poteſtate temporis non jure admiſſa. In Novembri leguntur Prophetæ ipſo adventante, qui Prophetarum vaticiniis promiſſus eſt. Prophetæ ſeminaverunt temporibus regnorum Aſſyriorum, Medorum & Græcorum, quod Chriſtiani colligunt tempore Romani imperii. Quod recolitur in iſto menſe, in quo prænunciatur adventus Chriſti. Qui cum produxit ſationem prophetarum, etiam nobis dedit poteſtatem ea colligendi. Unde cantantur nunc Reſponſoria Prophetarum, qui nobis laboraverunt, in quos fines ſæculorum devenerunt.

CAP. C.

De Dedicatione Eccleſiæ.

Cum Eccleſia dedicatur, duodecim candelæ ſunt incenſæ interiùs. Eccleſia enim dedicanda tenet typum populi vel cujuslibet ad baptiſmum venientis. Qui dum baptizantur, jam ex fidei prædicatione Apoſtolica doctrina lucet in eorum mentibus, aut in Patrinis puerorum Symbolum confitentibus. Duodecim candelæ ardentes duodecim Apoſtolorum ſignificant prædicationes; baptiſmi autem Sacramentum & corpus abluit exterius & Spiritum purificat interiùs. Epiſcopus itaque circuiens Eccleſiam quaſi ſub trina merſione aquâ ſimpliciter benedictâ abluit eam exterius, & majoribus Sacramentis illam poſtea interius purificat.

Sed quid ſignat oſtium clauſum? & quid ſuperliminare ter virgâ impulſum? Quid etiam ipſa virga Pontificis? Hæc autem omnia pro certo accipiuntur ſub figura. Figurat etenim oſtium clauſum, quod ille tyrannus fortiter cuſtodiat ſuum atrium: & in homine non baptizato ſeras firmat portarum ſuarum. Superliminare autem ſignificat mentem hominis nullis adhuc initiatam Sacramentis, ſed pluribus occupatam dæmoniis. Unde ad ea Epiſcopus dicit voce propheticâ: *Tollite portas principes veſtras.* Illa verò paſtoralis virga eſt ea poteſtas, de qua Dominus ait: *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*; quam & ipſe dedit diſcipulis ſuis dicens: *Quodcunque ligaveritis ſuper terram, ligatum erit & in cælo.* In qua ſubjiciebantur eis dæmonia & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Hæc eſt virga, quæ à Domino euntibus diſcipulis eſt conceſſa ad prædicationem. Hujus ergò potenti virtute ter percutitur ſuperliminare, ut ad confeſſionem ſanctæ Trinitatis mens & locus evacuetur à dæmoniis; vel ut alii dicunt, ter percutitur, ut poteſtas trina, cœli videlicet, terræ, & inferni tribuatur Eccleſiæ.

Oſtio itaque aperto, & infelici Domino expulſo jam ingrediens Epiſcopus: *Pax huic domui* dicit, ut Dominus præcipit. Chriſto quoque per nativitatem intrante in mundum *pax* nuntiata eſt hominibus per Angelum. Pontifex ut dignè peragat inceptum officium, inprimis Spiritum Sanctum invocat dicens: *Veni Sancte Spiritus.* Poſtea proſternens ſe ad orationem ad poſtulanda Sanctorum ſuffragia jubet cantari litaniam. Quâ finitâ elevans ſe dicit orationem, non tamen ſalutan-

tando populum utpote typum populi ru- A. dis tenentem. Sed valde mirum eſt, quod ſequitur. Ad quid enim cineres ibi? ad quid duæ lineæ cineris ab angulo ad angulos diſperſi? & cur non in rectum ſed deducuntur in obliquum? cur & in cinere ſcribuntur literæ? per omnia hæc inventa ſunt à Sanctis Patribus ex ratione, nos autem veneramur ex authoritate. Cineres ſunt humiles & pœnitentes populi, venientes ad regenerationem fidei, à quatuor angulis, id eſt, à quatuor partibus mundi: quod ſignificant illi quatuor anguli, ſicut per Prophetam dicitur: *Et venient ad eam omnes gentes.* Duæ autem B. lineæ ſunt circumciſio & præputium, quæ ab invicem multùm remotæ tandem conveniunt in ſanctæ crucis propagationem. Hanc enim crucem illæ duæ lineæ videntur convenienter facere: duæ quidem lineæ ſicut dictum eſt, non ducuntur in rectum, ſed potiùs in obliquum, quia circumciſio & præputium dum vias ſuas permanenter tenuerunt, altera in infidelitate, altera in errore, non potuerunt ad ſalutem pervenire; ſed relictâ perverſitate viarum ſuarum ad lapidem angu- C. larem convenientes ſalvati ſunt.

Cur autem literæ ſcribuntur in cinere? quia populi cinere deſignati, id eſt, humiles & pœnitentes, ad fidem venientes, ab ore Pontificis debent doctrinam accipere Eccleſiaſticam. Et quia omnis doctrina Eccleſiaſtica in literis continetur, idcirco literæ inſcribuntur; ut omnis doctrina pro captu audientium fidelibus inſinuetur, & aliis ſit potus & aliis eſca. Et quoniam ſancta Eccleſia in unaquaque natione ſuâ linguâ eſt inſtruenda, ipſa in D. Apoſtolis diverſarum linguarum ſuſcepit charismata. Idcirco quidam Epiſcoporum tantùm unum Alphabetum inſcribunt; veruntamen quia doctrina Eccleſiaſtica hebraico, græco, latino, ſermone continetur, maximè ideo à quibusdam tria hæc alphabetha conſcribuntur: aut pro modulo Eccleſiæ unum alphabetum hebraicè, græcè & latinè conſcribitur.

Sed valde dignum eſt quæſitu, quomodo ad dedicationem pertinent Eccleſiæ talia, quæ ibi aguntur? prius ſiquidem monſtranda eſt ſanctæ Eccleſiæ admiranda dignitas; ut ex hoc doceatur, quanta ſit Eccleſiæ dedicandæ habenda reverentia. Eſt enim ſancta Eccleſia mater fidelium, ad Chriſtum ex circumciſione vel præputio venientium; quæ & lactat parvulos, & pane confirmat provectos. Hæc itaque monſtratur ex figura, quam agit Epiſcopus intra Eccleſiam tanquam exempli gratiâ.

His ita peractis tunc tandem Epiſcopus ut incipiat officium dedicationis, accedens ad altare more ſolito dicit: *Deus in adjutorium meum intende*; nec tamen dicit *Alleluja*, quia nondum eſt domus Domini. Poſtea incipit aquam benedicere: in cujus benedictione, quia magnum quoddam ſacrificandum, multa ſacrificantia ex utroque teſtamento ſunt collecta in unum; ſcilicet vinum, aqua, ſal, cinis, chriſma. Hæc enim ex benedictione Pontificis concipiunt vim ſanctificationis operante gratiâ Spiritus Sancti. Nam ùt Auguſtinus dicit: accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Vinum itaque & aqua inter maxima Eccleſiæ Sacramenta accipiuntur: quippe cùm exiſſent de vulnere Domini ſanguis & aqua. Vinum autem in Sacramento altaris verè efficitur ſanguis. Sed hac licet benedictione efficiantur Sacramenta, tamen aliud videntur exteriùs, aliud ſunt interiùs; quia juxta modum ſanctificationis virtus operatur Spiritûs Sancti. Sal autem in omni ponebatur ſacrificio, Moyſi jubente Domino, quia virtus diſcretionis habenda eſt in divinis officiis. Iſte quoque cinis accipitur ex præcepto veteris legis: præcepit enim, ut vacca rubra occideretur, & cremaretur, & ejus cinere aſperſo populus expiaretur. Unde Paulus; *Si ſanguis hircorum*, inquit, *& cinis vitulæ aſperſus &c.*

Cur autem ſal cineri commiſceatur, priusquam aquæ infundatur? quia ſal monet te intelligere, quòd Sacramentum lateat in cinere. Vacca enim rufa caro Chriſti eſt, rubea ex ſanguine crucis, aſſata ex tribulatione paſſionis: cujus cinere expiabatur populus Judaicus, quia morte Chriſti abluitur populus Chriſtianus; ut Paulus atteſtatur: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus.* Unde ter cinis ponitur in aquam, & Dominus triduo jacuit in ſepulchro, & ideo ter mergitur in baptiſmo. De vino autem dictum eſt ſuperiùs. Quidam tamen

pe-

per vinum accipiunt Chriſti divinitatem, A. ſicut per aquam humanitatem. Ut autem ſanctificatio impleatur, chriſma in unctione Spiritûs Sancti infundatur.

Quibus ita peractis ad dedicanda Pontifex accedit, & ad altare inprimis. Altare in ſanctis ſcripturis multis modis accipitur; ſed hìc per altare Eccleſia intelligitur. Eccleſia verò & juſtorum congregationem & injuſtorum ſignificare videtur. Sicut enim arca continuit munda & immunda animalia, ſic Eccleſia continet bonos & malos in hac vita. Veniens itaque Epiſcopus facit crucem de aqua be- B. nedicta tum in medio altaris, tum in quatuor ejus angulis. Ideoque in medio altaris dedicatio exordium ſumpſit, quoniam invidiâ, quæ eſt in medio terrarum, ſancta Eccleſia initium accepit: & poſtea per incrementum fidei univerſos terminos terræ occupavit. Epiſcopus autem ſepties aſpergit altare totum aquâ: quia ſeptiformi gratiâ Spiritus Sancti purgatur Eccleſia. Interim verò cantatur à clero antiphona: *Aſperges me Domine* cum verſu pſalmi *miſerere mei.* Aqua ergò cum hyſſopo aſpergitur, quia ſalutaris virtus illius C. herbæ humilitatem Domini noſtri JEſu Chriſti videtur deſignare. Quia enim Dominus pro nobis ſe humiliavit, idcirco gratiam ſui Spiritûs Eccleſiæ ſuæ communicavit: ut de ventre ejus fluant aquæ vivæ. Eccleſia denique ter abluitur aquâ in circuitu, ut virtute ſanctæ Trinitatis omnes inſidiæ inimici eliminentur & ideo pſalmus interim cantatur: *Exurgat Deus.* Poſtea rediens Epiſcopus ad altare ſpargit illam aquam in longitudinem Eccleſiæ, D. deinde in altitudinem, poſtmodum in latitudinem, quatenus hac trinâ aſperſione ſanctificatio eccleſiæ ſolideiur. Habet enim ſancta Eccleſia quandam ſoliditatem ſpecialem ex tribus virtutibus tanquam ex tribus dimenſionibus, ſcilicet fide, ſpe, & charitate. Ut enim Iſidorus ait, altitudo templi ad fidem refertur, longitudo ad ſpem, latitudo ad charitatem. Vel ùt Beda vult, longitudo ad fidem, altitudo ad ſpem, latitudo ad charitatem: hæc enim convenientes in unum componunt Deo acceptabile templum. Quidam autem tantùm aſpergunt in longitudinem, & in altitudinem facientes crucem, & innuentes populo illud Dominicum: *Qui bajulat crucem ſuam, & ſequitur me, eſt me dignus.*

Epiſcopus autem peractô officiô ad altare revertitur cum reliqua aqua decantans: *Introibo ad altare Dei.* Ipſam verò, quæ ſuperfuit, aquam fundit ad baſim altaris. Eccleſia enim, quæ dedicatur, ùt dictum eſt, inprimis tenet typum populi ad fidem venientis: ejus typica aſperſio eſt rudis plebis quædam expiatio; quam ad plenum facere cùm non ſit hominis ſed ſolius Dei, ideo fundit aquam ad baſim altaris, Deo commendans, quidquid eſt reliquum. Et hoc eſt quod fit ex præcepto veteris legis.

Poſt hoc Epiſcopus ut commendet orationem ſuam Domino, adolet incenſum dicens: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Sequitur unctio altaris, & res quidem ordine procedit. Ut enim in baptiſmate puer priùs abluitur fonte, poſtea ſanctificatur unctione, deinde veſte ornatur, tandem communione ſancta vegetatur: ſic altare priùs aſpergitur, poſtea inungitur, deinde veſte, ſed ſecundum quoſdam ceratâ, cooperitur; quippe cùm hoc in puero quodammodo agitur, dum in ſua manu candela ponitur. Ad extremum verò Miſſa ſuper illud celebratur. Ungitur autem altare duplici unctione, oleo ſcilicet & chriſmate; quoniam Eccleſia ſancta verè eſt à Spiritu Sancto inuncta duplici unctinne, videlicet Dei & proximi dilectione. Sed unctio Dei ipſa prior eſt, quatenus dilectio proximi ſit quædam via eundi ad dilectionem Dei. Ungitur autem altare tum in medio tum per quatuor angulos eadem quidem ſignificatione, quâ commendatur aquæ aſperſio. Ut autem Epiſcopus hoc eſſe figuratum notificet in veteri teſtamento, incipit antiphonas ſumptas ex ipſo: *Manè ſurgens Jacob &c. Erexit Jacob &c. Dùm exiret &c.* Interim pars quæque inuncta incenſo adoletur, quatenus orationis locus eſſe monſtretur, & ſanctificatio Deo commendetur. Ungitur verò Eccleſia ſolâ unctione altiori ſcilicet chriſmate: quia cùm ſit ſponſa Chriſti, ſoli Deo per dilectionem debet copulari.

Deinde revertitur Epiſcopus ad altare, ut compleat officium benedictionis ſuæ.

Si autem fuerint Reliquiæ reponendæ, ibit vel mittet ad eas Dominus Pontifex. Quòd cùm Reliquiæ foris ſunt, ſignificant Sanctorum peregrinationem: quòd cum por-

Digitized by Google

portantur in Eeeleſiam, ſignificant eorum A portationem in cœleſtem Hieruſalem. Et quòd ponuntur in altari, ſignificeat ipſos ſe Deo immolâſſe in ara cordis, dum viverent in corpore: vel in altari reconduntur reliquiæ Sanctorum, quia in cœlo ſub altari Dei requieſcunt animæ Sanctorum; quod altaris tabula Reliquiis ſuperpoſita videtur tectè ſignificare. Quòd autem velum altari ſuper extenditur, ſignificat illud quod dicitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*; quod erit propriè tempore judicii. B

Altari ſanctificato à levitis illud veſtibus cooperitur, quia jucunditatis veſte ſanctos induet Dominus; ſtolamque immortalitatis nunc præſtat benignus Sanctorum animabus. Eſt enim Levitarum divino cultui inſiſtere, & nunc menſam Domini, ſicut antiquitus aream fœderis componere. Et ipſi quidem non aeeipientes hæreditatem in hoc mundo, C prohibente Domino in veteri teſtamento, merentur in cœlo Domini habere hæreditatem. Meritò ergò veſtiunt altare, qui jure hæreditario veſtiuntur à Domino beatâ immortalitate.

Quibus ita completis Miſſam Epiſcopus poſtea incipit. Verùm ſi fuerint Eeeleſiæ ornamenta ſanctificanda, illa ante Miſſam benedicat.

Chriſtus eſt Paſtor gregis, id eſt, Eccleſiis: qui baculum portat ut oves Chriſti, id eſt, fideles ad paſcua vitæ, id eſt, in paradiſum agat. Per baculum infirmi ſuſtentantur, & indiſciplinati corriguntur. Baculum Epiſcopus portat, ut infirmos in fide verbo & exemplo ſuſtineat, & inquietos per correptionem corrigat. Qui in ſummitate ſit recurvus, ut errantes per prædicationem ad Eeeleſiam retrahat; & in fine ſit ferrô acutus, ut rebelles per excommunicationem extrudat. In flexura ſit ſcriptum: *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, ut ſemper miſericordiam ſuperexaltet judicio. Quæ flexura fiat de oſſe, Quia patiens eſſe debet in adverſis. Rotunda ſphæra jungat utrimque quia dilectio jungit homines Deo: in qua ſcriptum ſit *homo*; ut ſe cogitet hominem eſſe, ne extollatur de poteſtate. In fine ſit circulus, in quo ſcriptum ſit: *Parce*; ut parcat pœnitentibus, quos acutum ferrum excommunieationis expulit ùt rebelles. Epiſcopus eſt paranymphus, id eſt, euſtos Eccleſiæ pro ſponſo; ideo gerit, annulum pro arrha. Chirotecis ornat manum, id eſt, prædicationem bonis operibus. Cydarim in capite portat, quia coronam vitæ accipiet pro labore.

Hic eſt finis Sacramentarii in Cod. Gemnicenſi.

HONO-

HONORII
AUGUSTODUNENSIS PRESBYTERI, ET SCHOLASTICI
EUCHARISTION,

SEU

LIBER
DE CORPORE, ET SANGUINE DOMINI.

Ex Cod. MS. Exempti Monaſterii Mellicenſis eruit
Venerabilis D. P. Sebaſtianus Treger, inclytæ Carthuſiæ Gemnicenſis Presbyter.

INCIPIT EVCHARISTION, QUOD INTERPRETATUR: BONA GRATIA,

TRACTATUS HONORII.

PROLOGUS IN SEQUENTEM LIBRUM.

IN multa meſſe Domini ar- A. denter deſudanti * finitô labore frui requiei remuneratione. Hortum ſponſæ, frater amplectende, ingreſſus Spiritu Sancto. Inter lilia in areolis aromatum quæſiturus, non unô pulchrô viſu vel ſuavi odore pomorum tantùm, uti quibusdam moris eſt, delectaris; ſed etiam ipſo guſtu diverſorum fructuum ſaciari affectaris. Et cum facili manu cu- B. juslibet arboris valeas cacumen inclinare; poſcis tamen à me; ut velim deſiderabilis ligni vitæ ramos ſibi incurvare, quatenus fructum, immortalitatem conferentem, queas absque labore manu attingere, quò ſalubre peſtiferô mortis edulio laborantibus poſſis antidotum porrigere. Eſt namque in campis ſcripturæ diſcurrentibus familiare aliorum ſtudium, C. aliorum opus commendare. Sicuti mutuò ſe amantes varios de pratis flores legentes, ſerta ab aliis contexta ſibi tollere, à ſe autem nexa ſolent aliis imponere. Quia ergo id fraternè petis, quid de Dominico corpore ſentiam, ad utilitatem aliorum quàm breviſſimè expediam.

* In Cod Monaſterii S. Crucis in Auſtria, Ord. Ciſterc. ſic habetur: deſudanti H. finito &c.

Sequuntur Capitula Opuſculi hujus.

Cap. I. *Quòd tribus modis corpus Domini intelligatur.*

Cap. II. *Cur Deus incarnatus ſit, & quomodo ejus corpus minui non poſſit?*

Cap. III. *Verum hoc comedatur, quod Maria genuit?*

Cap. IV. *Quòd homo per hunc cibum Chriſto incorporetur.*

Cap. V. *Quòd non aliud, quàm ſubſtantivum ſumatur Chriſti corpus.*

Cap. VI. *Quòd tam mali, quàm boni ſacerdotes Chriſti corpus conficiant, ſed ſoli juſti hoc accipiant.*

Cap. VII. *Quòd mali non corpus Chriſti, ſed judicium ſumant, & quid ſit judicium ſumere?*

Cap. VIII. *Quòd ſpecies, & non virtus Sacramenti à malis accipiatur, & cur Sacramentum dicitur, vel utrum veritas, an figura credatur?*

Cap. IX. *Utrum corpus Domini aliud ſit in ore bonorum, aliud in ore malorum.*

Cap. X. *Quid inde ſentiendum ſit, quòd vetuſtas: vel quodlibet animal conſumpſerit?*

Cap. XI. *Utrum Judæi corpus Domini comederint, qui manna manducaverunt?*

Cap. XII. *Cur de pane, & vino, & aqua fiat.*

CAP. I.

Quod tribus modis corpus Domini intelligatur.

TRifariè itaque corpus Domini dicitur. Primò id quod de virgine incar-

carnatum, in ara crucis pro nobis eſt ob- A. latum, morte devictâ in cœlos elevatum, in dextera Dei eſt collocatum. Secundò: Corpus Domini dicitur, quod ob pignus Eccleſiæ traditum Spiritu Sanctô conſecrante ex ſubſtantia panis & vini myſterio ſacerdotum quotidie conficitur, ac Divinitate operante in prædictum corpus transfertur, & licèt ab omni populo comeſtum, integrum tamen catholicâ fide permanere fertur. Tertiò: corpus Domini totâ Eccleſiâ prædicatur, quæ de omnibus electis ut de multis membris in unum compaginatur. Hujus corporis oculi ſunt ſapientes, alios ad viam veritatis ducentes, aut aures obedientes, nares diſcreti, inter bonum & malum diſcernentes, os verbum Dei loquentes, dentes ſacras ſcripturas exponentes, manus B. bona operantes, pedes alios in neceſſitate portantes. Hoc tertium, primo per medium connectitur, ſicut ternarius binario & monade conficitur. Unde non tria ſed unum corpus Spiritu Sancto coadunante rectè affirmatur; ſicut corpus in omnibus membris unâ animâ vivificatur. Et quia unum corpus creditur, ideo de una oblata conficitur; quia verò tribus modis, ùt diximus, accipitur, idcirco conſecrata oblata in tria dividitur. Pars namque quæ in calicem mittitur, eſt illud corpus Domini, quod in gloria ſumi- C. tur; quæ verò à ſacerdote percipitur, eſt illud quod ob pignus Eccleſiæ relinquitur. Quæ autem ad viaticum in pixide reponitur, eſt illud, quod ad laborem adhuc huic mundo quaſi carceri inclinatur.

CAP. II.

Cur Deus incarnatus ſit, & quomodo ejus corpus minui non poſſit?

DIligenti autem inquiſitori manifeſtum erit, qua de cauſa vel qualiter primum corpus per medium ſibi tertium incorporare, & in Spiritum unum eſſe diſpoſuerit. Deus primum hominem condidit ad æternitatem, cui per comeſtionem ligni vitæ diſpoſuit dare immortalitatem. Sed homo ſuadente diabolo de fructu vetiti ligni comedit, & ob hujus eſum mortem incidit. Juſtum ergo apud juſtitiam Dei fuit, ut per cibum mortem vincens vitæ reſtitueretur, qui per cibum vitam perdens morti obnoxius tenebatur. Sed quia nec in cœlo nec in terra talis potuit inveniri eſus, per quem poſſet tantus reparari caſus, ipſa vita carnem induit, eſcam ſe mortalibus præbuit, comeſta repulit, dum mortales in ſe vitam transtulit. Porrò hujus vitæ corpus quaſi granum frumenti extitit: de quo panis vivus in cibum noſtrum confici poſſit. Qui quoniam ad diſpertiendum univerſo populo parvus eſt viſus; nutu Dei eodem terræ genere eſt auctus, quatenus & illud granum ſemper integrum ad ſemen permaneat, & augmentatione ejus populus ſibi incorporandus ſine detrjmento quotidie comedat; ſicut & vidua de hydria farinæ & de lecytho olei quotidie tulit, & tamen ejus plenitudinem non minuit, vel ſicut lux ſolis oculis omnium hauritur; & tamen nullum diminutionis ejus detrimentum ſentitur. Verbum quippe de corde ſummi Patris ſatum in agrum mundi quaſi granum frumenti cecidit, quod exceptum munda terra virginalis uteri carnem factum in eſcam populo protulit. Quæ caro ſic verbo eſt unita; ut carnis verbique ſit una Jeſu Chriſti perſona. Et ideo ſicut divinitas in nullo poteſt augeri, ita & cibus hujus carnis nullô modo poteſt immunui.

CAP. III:

Utrum hoc comedatur, quod Maria genuit?

D. HIc fortaſſe aliquis quærit; utrum hoc comedatur quod Maria genuit? cujus rei veritas citiùs lectori patebit, ſi exordium hujus inſtitutionis conſiderare ſtuduerit. Chriſtus namque æterna vita ad cœnam rediens, poſt eſum Paſchalis agni veterem legem conſummavit, ac novam legem per eſum ſui corporis hoc ritu inchoavit, panem coram ſe in menſa poſitum elevavit, benedictione ſuâ in ſubſtantiam ſuæ carnis hunc commutavit, deditque diſcipulis ſuis dicens, *Hoc*, ſubaudis,

audis, quod teneo in manibus, *eſt corpus* A. *meum quod pro vobis tradetur.* Ecce corpus de virgine generatum tenuit in manibus, corpus de ſubſtantia panis, verbô, quô ſecula fecit, transformatum! deinde vinum, videlicet ante ſe poſitum, elevans benedixit, atque benedictione in ſanguinem ſuum convertit, porrexitque diſcipulis ſuis dicens: *Hic eſt calix ſanguinis mei,* hoc eſt, vinum, quod eſt in iſto calice, eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur. En corpus de virgine natum adhuc nullô vulnere ſauciatum, habuit in manibus, ſanguinem de ſubſtantia vini commutatum. Acſi patenter diceret. Ego ſum B. quidem vobis miſſus in cibum contra mortis periculum, ſed quia exhorretis me dentibus comminuere ad edendum; ideo ſubſtantiam panis & vini commuto vobis in corporis mei edulium, ut quemadmodum vitam corporis per cibum corporalem continuatis, ſic in anima per hunc ſpiritualem cibum in me, qui ſum vita, vivatis. Poſtquam ergo Apoſtoli edentes corpus Chriſti, hoc corpus de pane conſecratum, à corpore Chriſti traditum, comedendo vel bibendo conſumpſerunt; corpus de virgine ſumptum integrum de C. menſa ſurgens abiit incolume Judæis ſurentibus occurrit; à quibus comprehenditur, in craſtino crucifigitur; deinde cœlo recipitur, cunctis agminibus Angelorum præficitur. Vides itaque, quod hoc Sacramentum inſtituens, nec digitô de manu vel pede vel aliquam particulam de corpore præcidens eis tribuit, ſed ſubſtantiam panis & vini conſecrati eis diſtribuit: ſe verò integrum in dexteram Patris tranſtulit. Igitur corpus de virgine procreatum in cœlis reſidens univerſæ crea- D. turæ dominatur; corpus autem de pane & vino per Spiritum Sanctum conſecratum, & in ſubſtantiam prioris translatum, veraciter à populo fidelium manducatur; per hoc quoque corpus tertium quod eſt Eccleſia Chriſto incorporatur.

CAP. IV.

Quod homo per hunc cibum Chriſto incorporetur.

Nempe corpus Chriſti comedit corpus Chriſti. Per hoc quoque Chriſtus fit corpus Chriſti. Sicut enim corporalis in ſubſtantiam noſtri corporis vertitur: ſic Eccleſia per hunc cibum in corpus Chriſti vertitur, & una caro cum eo efficitur, ſicut ſcribitur *erunt duo in carne una.* Et ſicut Pater in Filio & Filius in Patre ſecundùm divinitatem naturaliter ſubſtantialiter manet, ſic veraciter Chriſtus in Eccleſia ſecundùm humanitatem, & Eccleſia in Chriſto per hujus cibi commeſtionem naturaliter manet. Ideo & ipſe mediator Dei & hominum dicitur. Et Eccleſia ejus corpus in una perſona & una ſubſtantia charitate conjuncta creditur, in qua ipſe adhuc patitur in membris ſuis, eleemoſinis reficitur, ubi & deſpicitur; & idcirco omni neceſſitate ſequente, ubi eſt caput, illuc totum corpus colligitur. Non tamen ſic quiſquam in eſſentiam Chriſti transfertur, ut in perſona virginis filius, vel Dei filius jure nominetur. Sed ſic fide & dilectione divinitati, per communionem autem hujus cibi ſic humanitati ejus counitur; ut neceſſariò gloria Filii Dei cohæres, ut puta membrum ejus potiatur.

CAP. V.

Quod non aliud quàm ſubſtantivum Chriſti corpus ſumatur.

Hinc quæritur, utrum Chriſtus aliud quam ſuum proprium ſubſtantivum corpus Apoſtolis tradiderit? An Eccleſia hodie aliud & aliud tunc acceperit, vel utrum à ſingulis ſacerdotibus ſingula corpora vel potiùs ab omnibus unum conficiatur; aut particulatim à populo vel totum ab uno quolibet comedatur? Chriſtus Verbum Patris extitit, per quod omnia condidit, idem Verbum naturam panis & vini in ſubſtantiam ſuæ carnis & ſanguinis, ſicut aquam in vinum convertit, & non aliud quàm ſuum ſubſtantivum de virgine genitum corpus ſuis edendum tribuit, & idem in craſtino pro vita mundi in ara crucis Deo Patri obtulit. Idem etiam & non aliud Eccleſia hodie per manus ſacerdotum conficit, quod Maria genuit.

nuit; idem nihilominus & non aliud, quamvis ex alio pane confectum, populus fidelium hodie accipit, quod & Chriſtus manibus ſuis tradidit. Et licèt ſinguli ſacerdotes ſingulas hoſtias offerant; non tamen ſingularia corpora, ſed omnes unum, quamvis diverſô tempore conficiant. Et licèt oblatas in plurima fruſta dividant, non tamen partes, ſed ſinguli totum accipiunt. Alioquin ſi Chriſtus ſemel diviſus à populo comederetur, non eſſet, quod denuò eſurienti daretur; aut tot eſſent Chriſti corpora, quot ſacerdotum ſacrificia. Nunc autem unum Chriſti corpus ab omni populo, & ab uno quoque totum comeditur; & tamen totum integrum in dextera Patris permanere veriſſimè creditur. Quodque humana ratio non poteſt probare: catholica fides neminem ſinit dubitare. Qui autem non credit, hujus corporis non particeps erit, quia deterior infideli extitit.

CAP. VI.

Quòd tam mali quàm boni ſacerdotes Chriſti corpus conficiant, ſed ſoli juſti hoc accipiunt.

SOlèt quoque quæri, utrùm indigni ſacerdotes corpus Chriſti conficiant, vel utrùm mali hunc cibum comedant? Chriſtus verus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui corpus ſuum in utero virginis ſormaverat, ſolus etiam per quemlibet catholicum ſacerdotem hoc ipſum conſecrat, & ipſe ſolus hoc in membris ſuis percipit; & ipſe hoc etiam ſolus ſuis porrigit; qui in omnibus electis conſummatus cœlos aſcendit. Ergo dum nullus ſacerdos niſi ipſe Chriſtus per miniſterium ſacerdotum corpus ſuum conficere probetur; non minùs per flagitioſiſſimi in Eeeleſia duntaxat Catholica conſtituti, quàm per ſanctiſſimi miniſterium hoc corpus conficitur, quod etiam à nullo niſi à ſolo Chriſto in ſuis percipitur. Extra Eccleſiam autem, ſcilicet ab hæreticis, à Judæis, à gentilibus nec hoc Sacramentum perficitur, nec munus oblatum accipitur. Simoniaci tamen, qui qui-
A. dem inter hæreticos cenſentur, ſed tamen fide integerrimâ Catholicis admiſcentur, per fidem Trinitatis Chriſti corpus conficiunt, ſed ejus participes ob reprobam vitam non fiunt. Soli namque filii Dei hôc cibô veſcuntur, qui ſoli Deum viſuri noſcuntur, ipſô Chriſtô atteſtante qui ait: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Et quid eſt Chriſtus? Vita. Et quis manet in vita? qui vivit in anima. Quisnam vivit in anima? qui nullum mortale crimen committit, & quod credit, opere dilectionis perficit. Itaque fides Chriſti
B. eſt vita animæ, ùt ſcriptum eſt: *Juſtus ex fide vivit.* Fidei autem vita eſt operatio, ùt item ſcriptum eſt: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Operationis verò vita eſt dilectio, ùt dicitur: *Qui non diligit manet in morte. Deus enim eſt dilectio, & qui manet in dilectione; in Deo manet, & Deus in eo.* Hæc autem dilectio impletur Deum quærendo, & proximo in neceſſitate ſubveniendo. In hoc Deus manet per ſcientiam eum illuſtrando: & velle ac poſſe bonum ei ſubminiſtrando, ipſeque in Deo manet, fide in illo ſperando, & mala declinans, bona per dilectionem operando. Ergo hi
C. ſoli corpus Chriſti accipiunt; qui hoc modo in vita charitate Chriſto vivunt.

CAP. VII.

Quòd mali non corpus Chriſti ſed judicium ſumant, & quid ſit judicium ſumere.

QUi autem in peccatis mortui ſunt, in Chriſto, qui eſt vita, non manent, ſed longè ab eo ſunt, & ideo Chriſti cor-
D. pus non ſumunt, ſed judicium ſibi manducant & bibunt. Judicium autem in hoc Sacramento ſumit, qui criminali flagitiô implicatus, ante confeſſionem & pœnitentiam hunc cibum Angelorum edere præſumit, quia ſicut is, qui reus Judici adducitur, & ab eo vitæ ſubtractus morti addicitur: ſic nimirum qui pollutâ mente & conſcientia vivificis Sacramentis ſe indignus temere ingerit, judicis Chriſti offenſam incurrit, & à vita ùt reus pro-

projicitur, & diabolo ùt Judas in poteſta- A. tem traditur, ut ejus agitatione omne ei bonum in odium veniat, & juſtô judiciô, corde indurato & impœnitente malo malum ſuperaugeat; ut furioſus camini incendium ad ſe ipſum exurendum magis ac magis incendat. Unde cum talibus Dominus diceret: *Amen Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; partes eum de carne ſua præciſurum & eis præbiturum æſtimabant, *atque: durus eſt hic ſermo* reſpondebant. Quia enim malitiâ indurati in peccatis mortui erant, vitæ verba non ferentes, mox à vita etiam B. corpore receſſerant. Ipſe autem ſecum quaſi ſanis membris in vita permanentibus ait: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem nihil prodeſt.* Acſi diceret Spiritus qui in hoc ſpiritali cibo percipitur, animas vivificat, caro autem, ùt vos æſtimatis, præciſa vel carnaliter comeſta nihil ad vitam animæ prodeſt. Igitur qui non crédunt vel malè vivunt; corpus Domini non accipiunt.

CAP. VIII.

Quòd ſpecies & non virtus Sacramenti à malis accipiatur & cur Sacramentum dicatur, vel utrum veritas an figura credatur?

Videndum autem quid in re ab eis accipiatur, vel cur hoc Sacramentum dicatur, & utrum veritas an figura in hoc credatur? In Chriſto duæ ſubſtantiæ prædicantur, viſibilis humanitas, & D. inviſibilis divinitas. Sic in hoc Sacramento duo conſiderantur. Et quia ſpecies & guſtus panis & vini cernitur foris, intus autem corpus & ſanguis Chriſti intelligitur, ideo Sacramentum dicitur. Omne, Sacramentum aliud foris oſtendit, aliud intus intelligendum innuit, ſicut & litteræ in quibus figuræ exterius & caractéres videntur; ſed poteſtates, & ſignificationes interiùs intelliguntur. Unde licèt in veritate caro & ſanguis Chriſti credatur, tamen non incongruè Sacramentum vel figura nominatur. Ergo ſpecies hujus Sacramenti forinſeca à reprobis percipitur, virtus autem intrinſeca vivificans eis penitùs ſubtrahitur. Sicut & humanitas Chriſti à Judæis crucifigitur, divinitas ejus nullâ læſione attingitur.

CAP. IX.

Utrum Corpus Domini aliud ſit in ore bonorum, aliud in ore malorum?

Cum hic panis poſt conſecrationem in corpus Chriſti ſubſtantialiter vertatur; quæritur utrùm in ore indignè ſumentium in aliam naturam commutetur? ſicut Chriſtus à morte reſurgens ultrà jam non moritur; ita caro ejus de pane confecta in nullam aliam naturam transmutabitur. Idem enim erit in ore peſſimi quod in ore piiſſimi, ſicut idem erat in manibus ſe crudeliter crucifigentium, quod in manibus ſe devotè ſepelientium, ſed ſicut ſol idem exiſtens in calore, quod in ſplendore, diverſa tamen in his duobus efficit, videlicet calore terram exu- C. rens, ſplendore illuminans, ſic caro Chriſti eadem manens, diverſa in diverſis efficit, juſtos ſibi incorporans, injuſtos à ſe vita reſecans. Et ſicut quotidianus panis vires roborat, idem infantes præfocat. Ita eadem res exiſtit dignis causâ gloriæ, indignis cauſa pœnæ.

CAP. X.

Quid inde ſentiendum ſit, quòd vetuſtas vel quodlibet animal conſumpſerit?

Corpus Domini aliquando vetuſtate conſumitur, aliquando caſu ferente amittitur, aliquando à muribus corroditur, vel à canibus devoratur; quid inde ſentiendum ſit, quæritur. Cùm impii Chriſtum flagris lacerarent, & in cruce clavis perforarent, guttæ ſanguinis in terram cadebant, quæ reſurgentis ſubſtantiam non minuebant. Non enim reſurgens eas reſumpſiſſe legitur, quin potius ſanguis de latere ejus fluens à fidelibus exceptus creditur, qui usque hodie in qui-

quibusdam locis reverenter ſervari tradi- A. tur. Sed utrum hic adhuc in illud corpus realiter revertatur, quod integrum reſurgens jam incorruptibile in dextera Dei ſedere prædicatur; an in terræ materiem, unde ſumptus eſt, deficiat, dubitatur. Verum tamen cùm ipſe dicat, capillum de capite noſtro non periturum, ſed in reſurrectione in locum corporis reverſurum: à quibusdam piè putatur, ſanguis pro nobis effuſus in corpus Chriſti mirò modò tranſiturus. Similiter quod de corpore Domini ſenio extabuit, vel caſu in terram cadens computruit, nihil de ſubſtantia corporis Chriſti imminuit; ſed utrum B. in terræ materiam redactum ita permaneat, dubitatur. Sed à Doctoribus in Chriſti ſubſtantiam ineffabili quidem modô transferri putatur. Animantibus autem, quibus non eſt intellectus, ſicut hujus cibi comeſtio non prodeſt, ita etiam nihil obeſt, ſed potius his, quorum negligentia ſanctum canibus datur, multùm nocet. Sicut enim caro ſine Spiritu ſe non movet, ita hæc caro ſine Spiritu vivificante percepta nihil prodeſt, ſicut ipſe dicit: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem nihil prodeſt.* Porrò caro Chriſti ab his C. comeſta ſic in ſubſtantiam Chriſti transferri creditur, ſicut ab infidelibus vel ab indignis catholicis ſumpta in eſſentiam Chriſti commutari non dubitatur.

CAP. XI.

Utrum Judæi Corpus Domini comederint, qui manna manducaverunt?

Quæritur autem, utrum fideles ſub lege corpus Chriſti comederint, de quibus legitur; *eandem eſcam ſpiritalem* D. *manducaverunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt.* Et de quibus ſcribitur: *Panem Angelorum manducavit homo.* Quid eſt eandem, niſi quam & nos comedimus, videlicet corpus Chriſti? Num ille populus carnem Chriſti comedit, cùm adhuc Chriſtus minimè incarnatus ſit, ſed potius poſt duo millia annorum & eo amplius carnem aſſumpſerit? Porrò manna eſca illorum in materia panis erat, de rore cœli juſſu Dei transformatum, omne delectamentum habens. Sed in figura corpus Chriſti erat, animas credentium omni dulcedine replens. Sic & potus illorum erat aqua, de petra ſcilicet materiali fluens, nunc olei, nunc mellis ſaporem præbens; ſed in figura Chriſti ſanguis erat, ſitim animarum extinquens. Unde & petra de qua fluxit, Chriſtus dicitur, ſicut & vitis vera ſcribitur, cùm utique in ſubſtantia Deus & homo fuerit, in figura autem petra & vitis extiterat. Ergo ille populus in ſubſtantia manna, in figura autem corpus Chriſti comediſſe affirmatur. Unde & panem Angelorum manducâſſe memoratur. Et quia Angeli non corporeô cibô veſcuntur, ſed pane vivo Chriſto indeſinenter reficiuntur.

CAP. XII.

Cur de pane & vino & aqua hoc Sacramentum fiat?

Nunc autem intuendum, cur hoc Sacramentum magis de pane quàm de carne, & magis de vino, quam de lacte conficiatur, vel cur magis cum aqua quàm cum alio liquore commiſceatur? De pane ideo fit; quia ſicut panis de multis granis conficitur, ſic corpus Chriſti Eccleſia de multis electis in unum colligitur, quæ hoc pane quotidie reficitur. Et ſicut *pan* * omne dicitur, ita in hoc pane vivo omnis gratia percipitur. Et quemadmodum panis duobus lapidibus molitur, aquâ conſpergitur, manibus pinſatur, igni coquitur; ita Chriſtus panis vivus à duobus populis, ſcilicet à Judæis & gentibus in paſſione eſt molitus, ſanguine conſperſus, colaphis & alapis pinſatus igne paſſionis decoctus. Qui panis ideo' in modum denarii formatur, quia Chriſtus panis vivus pretio denariorum venditur, & ipſe eſt verus denarius, qui per decalogum legis in vinea Eccleſiæ laborantibus in præmio dabitur. Idcirco autem ſanguis ex vino fit, quia ſicut vinum ex multis uvis confluit, ita Eccleſia ex multis juſtis in unam compagem colligitur, quæ homo potum bibit; & ſicut vinum in torculari exprimitur, ita Chriſtus botrus Cypri de vinea ſorec in vecte crucis à duobus, ſcilicet prophetis & Apoſtolis, ad filios Iſrael, videlicet credentes, Deum videntes, deportatus, prelo crucis torquetur.

* πᾶν

tur. Aqua ideo admiſcetur; ut populus, A. quem aqua ſignificat, & qui aqua baptiſmatis renatus eſt, Chriſto incorporetur. Quia ſicut poſt conſecrationem non duæ, ſed una res, ſcilicet ſanguis Chriſti intelligitur; ita quisque fidelis poſt communionem hujus Sacramenti unum membrum in corpore Chriſti exiſtens veraciter creditur. Ideo Eccleſia corpus Chriſti hoc edulio veſcitur, quia & ipſa camino tribulationis in modum panis excoquitur, & prelo anguſtiæ inſtar vini præmitur. Hanc autem præmentes & anguſtiantes hujus paſtûs participes non exiſtunt, ſed ſtipu- B. la incendii in die furoris Domini erunt, quando juſti hoc cibo refecti ut ſol fulgebunt. Itaque per carnem Chriſti caro noſtra immortaliter vivificatur, per ſanguinem ejus anima noſtra, quæ manere in ſanguine legitur, ſed in ſanguine peccatorum non ignoratur, ad vitam reſuſcitatur. Porrò animæ duæ partes à doctis non neſciuntur, ſcilicet ſuperior quæ inviſibilia, & unamquamque rem, quid in proprietate ſit ſubſtantiæ, conſiderat. Inferior quæ totum corpus vivificans, ſenſus alternâ diviſione ſpecificat. Et ſuperior quidem Spiritus appellatur, inferior anima nuncupatur. Corpus ergo pro carne, ſanguis pro Spiritu, aqua pro anima noſtra offertur, & ſic totus homo redimitur, unumque cum Chriſto pane vivo efficitur. Ad menſam igitur, quam ſapientia paravit, & ad vinum, quod miſcuit, redempti à Domino alacres conveniant, edentes & bibentes de bonis Domini ſuper frumento, vino, & oleo gaudeant, quia quandoque ab ubertate domus Domini inebriabuntur, & cum apparuerit gloria Domini, de torrente voluptatis ejus ſatiabuntur. His frater ſi delicieris, in nuptiis agni conviva procul dubio eris.

Explicit Evchariſtion, quod interpretatur bona gratia.

HONO-

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS PRESBYTER, ET SCHOLASTICUS

DE VITA CLAUSTRALI.

Ex Cod. Carthuſiæ Gemnicenſis erut. à Ven. P. Leopoldo Wydeman.

CLauſtralis vita eſt ab ipſo Domino inſtituta. Hæc ſpiritualiter decem rebus aſſimilatur: ſicut tota Eccleſia decem virginibus comparatur. Eſt enim *imprimis* ſimilis littori maris, quod de periculo maris venientes recipit, & pro ſecuritate ſoliditatis patriæ reſtituit. Totum quippe id ſæculum eſt ut mare procelloſum, quia ſic turbatur bellis, ut mare procellis, & ideo qui inter inſidias inimicorum timore æſtuant, ſunt velut hi, qui in tempeſtate maris fluctuant, qui verò inter bella, & ſeditiones habitant, ſunt ùt hi, qui inter procellas & ventos navigant. Qui autem in pace degunt, ſunt ùt hi, qui in tranquillo mari navem vehunt: de quibus eſt dubium utrum ad littus incolumes perveniant. Multi enim cùm ad littus pervenerint, juxta littus incauti undis ſubmerguntur. Qui autem littus cum onere attingunt, ſunt hi, qui ad clauſtrum perveniunt; in quo ſecurè venientes ad Patriam cœli redeunt. De hoc littore in Evangelio legitur, quod ſagena miſſa piſcibus plena in littus eſt educta, & boni piſces in vaſa ſunt electi; mali autem foras B. ejecti: quia videlicet ſunt plures homines de ſalo ſæculi per rete ſcripturæ extracti, & in clauſtralem vitam perducti. Obedientes ab Angelis in Paradiſum recipiuntur, inobedientes foras in ſupplicium mittuntur. Sed & boni piſces ſunt, qui in ſpirituali profeſſione usque in finem perſeveraverunt: mali verò piſces ſunt, qui relicto clauſtro ad ſæculum redeunt.

Secundò eſt clauſtrum ùt umbraculum, quod itinerantes obumbrat, & C. ab æſtu refrigerat. Omnes enim, quos in negotiis ſæculi cura anxiat, & ſollicitudo premit, ſunt, ùt hi, qui difficile iter in magno æſtu agunt, & umbroſum locum, quo ſe refrigerent, quærunt. Qui dum ad clauſtrum DEI feſtinant, quaſi in umbraculum declinant, in quo verum refrigerium inveniunt, & ùt Propheta ait: ſecuritatem à turbine, & à pluvia, vel ab hoſtibus & bellis.

Tertiò eſt ùt lectus in quo requieſcunt laborantes. Qui enim ſub duro dominio ſunt, & terrenis opibus inſerviunt, in magno labore ſunt. Hi cùm ad

ad clauſtrum perveniunt, quaſi à labo- A. re in lecto requieſcunt. De quo lecto dicit Dominus in Evangelio: *Duo in lecto, unus aſſumetur, & alter relinquetur*: ſignificans duo genera hominum in clauſtro degentium, unum, quod carnalem requiem tantùm diligit, aliud, quod ſpiritualem ſemper inquirit.

Quartò eſt Aſylum vel Domus refugii. Quia ſicut in lege erat civitas fugitivorum, in quam rei confugientes ab hoſtibus ſalvabantur: ita clauſtrum eſt unicum refugium reorum, in quo B. mundum fugientes à Dæmonibus ſalvantur.

Quintò eſt Schola infantium, in qua parvuli in Chriſto à Magiſtro regula ad virtutes informantur.

Sextò eſt Gymnaſium in Jeruſalem conſtructum, vel locus exercitii in Eccleſia conſtitutus, ubi tyrones Chriſti ad varias pugnas vitiorum ſe exercent.

Septimò eſt ùt carcer, in quo criminoſi à lata via venientes incarcerantur, ut latam cœli aulam ingredi mereantur.

Octavò eſt caminus tentationis, in quo vaſa gloriæ probantur, vaſa vero contumeliæ reprobantur.

Nonò eſt ſimilis Inferno, in quo pœnitentes purgantur, malevoli & duricordes ſuppliciis cruciantur.

Ad extremum & *decimò* aſſimilatur Paradiſo, in quo ſunt deliciæ ſcripturarum, varia exercitia juſtorum, ùt diverſa ligna pomorum.

Igitur clauſtrum eſt omnibus omnia: ſcilicet Principibus, bellorum procellas fugientibus, eſt portus ſalutis; Negotiatoribus, æſtum curarum declinantibus, eſt refrigerii obumbraculum; ſervis vel arctatis, à nimio labore ceſſantibus, eſt lectus quietis; Militibus hoſtes ſuos fugientibus, eſt certum aſylum, ùt firmum caſtrum; indoctis, Schola virtutum inexercitatis, exercitium diverſarum artium; vagis vel criminoſis carcer, immo hoſpitium; inexpertis caminus probationis, pœnitentibus infernus purgans, rebellibus infernus crucians, ſapientibus & charitate ferventibus Paradiſus affluens delitiis, æternis eos replens divitiis.

Amen.

VEN. IRIMBERTI ABBATIS ADMONTENSIS
Ord. S. Bened.
COMMENTARIUS ALLEGORICUS
In Selecta quædam loca
CANTICI CANTICORUM.

Nunc primum ex MS. Cod. Inclyti Monaſterii Admontenſis erutus & in lucem datus à R. P. Henrico Pachſmid Benedictino Mellicenſi.

INCIPIT IRIMBERTUS IN CANTICUM CANTICORUM.

CAPUT I.

℣. I. *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

CUm præ cunctis Sacræ Scripturæ libris, librum iſtum ſpecialiter hoc nomine Spiritus Sanctùs honoraverit, quòd ſolus præ omnibus *Canticum Canticorum* cognominatus ſit, non inconvenienter, ùt putamus, credendum eſt, quòd ſingula quæque in ſe ſacramenta contineat, quæ maximè ad ſalutem & redemptionem humani generis ſpectant. Poſſumus invenire in libro hoc, ſi my- C. ſticè intelligantur, ea, quæ figuraliter ante legem & ſub lege antiquis evenerunt patribus, & quæ ſub tempore gratiæ cum Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus mirabiliter operatus eſt Dominus.

In primordio autem hujus libri ſalutifera dominicæ diſpenſationis myſteria ſatis dignè videntur expreſſa, annuntiatio videlicet, conceptio, incarnatio & nativitas, paſtorum & magorum vocatio, parvuli JEſu in templum oblatio, juſti Simeonis & beatæ Annæ benedictio, D. Mariæ & Joſeph omniumque beatorum parentum ejus exultatio. Ad hæc etiam cuncta illic præſignata videntur divinæ pietatis magnalia, quæ ſuper terram converſatus miſericorditer in aſſumpto operatus eſt homine. Hunc etenim ſponſa ſua Eccleſia quaſi in voce omnium anti- B. quorum patrum venturum in carne his verbis invitat dicens:

Oſculetur me oſculo oris ſui.

His namque verbis invitantis Eccleſiæ myſticè prænotata videtur annuntiatio & conceptio Salvatoris. Nam *os* DEI Patris eſt, ùt veraciter credimus, coæternus ſibi filius: *oſculum* verò ejusdem *oris* non incongruè accipiendus eſt Spiritus Sanctus. Hoc nimirum oſculo, id eſt: ſupervenienṫe Spiritu Sancto, dum inter verba annuntiantis Angeli beata Virgo Maria deoſculari meruit, Filium DEI Patris eoſta & immaculata concepit. Et C. quia jam in ipſa annuntiatione & conceptione animatum corpus de eadem ſumpſit Matre Virgine, mox ùt prænotata eſt annuntiatio & conceptio, ſatis congruo ordine præſignata ſequitur incarnatio.

Quia meliora, inquit, *ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* ℣. II.

Quare per *ubera* præfigurata eſt incarnatio? ubera namque matrem tunc primùm lacteſcere incipiunt, quando D. puer conceptus per animam vivificatus fuerit. Sed beatæ Virginis ubera mox in ipſa conceptione filii ſui facta ſunt lactentia: quia non ùt aliæ matres concipiens, ſed ſola præ omnibus DEum & hominem totum ſimul cum corpore concepit & anima, & una eademque hora conceptus eſt & incarnatus & animatus.

Et

Et quomodo *ubera* Beatæ Virginis *meliora ſunt vino & fragrantia unguentis optimis?* Per *vinum* quippe plerumque in Scripturis carnalis concupiſcentia deſignari ſolet. Unde & beatus Paulus Apoſtolus ait: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Omnium ſanè matrum ubera, eò quòd in peccatis concipiunt, ex carnali concupiſcentia lactentia ſiunt. Sed ſola Mater Chriſti, ſicut digna fuit ſine peccato concipere, ita ſine omni carnali concupiſcentia ubera ejus cœperunt lacteſcere. Et ideo dignis laudem præconiis de eisdem dicitur uberibus: *Quia meliora ſunt ubera tua vino.* Hoc idem eſt, ac ſi dicatur: ubera tua ô DEus Pater, ubera, inquam, illa, quæ ideo dicuntur *tua*, quòd tu ea lactentia feciſti, tu ea contra communem aliarum matrum morem ſugenda Filio tuo præparâſti, *meliora ſunt vino*, id eſt: ab omni prorſus carnali concupiſcentia libera.

A.

Ephes. 5. 18.

B.

Et fragrantia, inquit, *unguentis optimis.* Quidnam per hæc *unguenta optima* deſignari credimus, niſi caſtitatem & fœcunditatem beatæ DEI Genitricis? Et quid eſt, quòd non ait: unguentis bonis vel unguentis melioribus, ſed abſolutè ait: *unguentis optimis?* Unguenta quidem optima non eſſent, ſi aut fœcunditati caſtitas, aut caſtitati fœcunditas deeſſet. Verùm quia Beata Virgo Maria & caſta ſimul erat & fœcunda, unguenta caſtitatis & fœcunditatis ejus non bona, non meliora erant, ſed *optima*. Ecce jam breviter annuntiatione, conceptione & Incarnatione prænotata conſequenter ſubjuncta eſt nativitas, quæ non injuſtè per oleum deſignatur, de quo mox ſubjungitur:

C.

Oleum, inquit, *effuſum nomen tuum.*

Et benè per *oleum* nativitas Chriſti deſignatur. Nam in ipſa die nativitatis ejus in ſignum miſericordiæ, quam univerſo mundo natus Salvator contulit, rivus olei de terra manâſſe refertur.

D.

Sunt etiam alia tria in oleo nato Salvator ſatis convenientia. Nam oleum lucet, paſcit & unguit. Effuſo namque vero oleo, id eſt: nato Salvatore Domino lucere, paſcere cœpit & unguere. Ipſe enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem, lucem fidei & veritatis mundo contulit: ipſe tenebras peccatorum & ignorantiæ ſplendore gratiæ ſuæ effugavit: ipſe quoque panis vivus, qui de cœlo deſcendit, animas electorum ſuorum quotidie paſcere non deſinit. Nam corpus & ſanguinem ſuum in eſcam ſpiritalem fidelibus ſuis contradidit. Ad hæc etiam inviſibili nos ungens unctione Sancti Spiritûs per remiſſionem peccatorum ſanat & curat ſalvandorum animas.

Sed notandum eſt, cur, vel cui dicat: *Oleum effuſum nomen tuum:* Oleum infuſum non effuſum Filius tuus ô DEus Pater erat, dum adhuc inviſibilis in ſecreto cordis tui latebat. Verùm etiam, poſtquam effuſus eſt, poſtquam de Virgine natus eſt, nomen tûum, quod priùs quaſi ignotum & abſconditum fuerat cognoſci & cognominari per eum in univerſo mundo cœperat: & niſi ille natus eſſet, tu per fines Orbis terræ cognitus & cognominatus non fuiſſes.

Jam ſatis competenti ordine mox poſt nativitatem viſitatio illorum deſcribitur paſtorum: quia in ipſa hora nativitatis Chriſti angelus apparuit, natumque in Bethlehem Salvatorem annuntiavit, de quibus continuò ſubinſertur:

Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.

Ideo, dico, *adoleſcentulæ dilexerunt te*, quia oleum hoc effuſum cognoverunt. Et non incongruè deſignari credimus per *adoleſcentulas* ipſorum animas paſtorum in fide quoque recentes & teneras, qui his totùm crediderant, quæ Angelica viſitatione & allocutione edocti audierant & viderant, nec tamen vel procidentes adoraſſe vel munera obtuliſſe leguntur, quemadmodum magi ab oriente venientes, de quorum vocatione continuò ſubinſertur.

Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum. ℣. III.

Bene quidem poſt viſitationem paſtorum continuò ſequitur vocatio magorum. Nam illi primitiæ Judæorum, iſti primitiæ ſunt gentium: illi ab angelis ſunt viſitati, iſti per novi ſideris lumen ad inquirendum Dominum ſunt evocati. *Trahe me*, inquit, *poſt te.*

Jam in his primitiis gentium trahi ſe ad fidem ſponſa Eccleſia deſiderat, quatenus in odore unguentorum Chriſti currere valeat. Illi quidem tracti ſunt per fidei illuminationem, currebant non

 tardè,

tardè, non ſegniter, per magnam mentis devotionem, currebant, dico, in odore divinitatis & humanitatis Chriſti. Nam quem temporaliter natum de matre ſtellâ duce quæſierant, hunc verum DEum & hominem, hunc Creatorem & Redemptorem mundi æternaliter natum ex Patre crediderant, & odorem tantæ majeſtatis, quem intus per fidem ſenſerant, myſticis muneribus quaſi pretioſis unguentis foris demonſtrabant. Prænotata jam magorum vocatione, oblatiò pueri JEſu in templum & benedictio juſti Simeonis & beatæ Annæ conſequenter ita ſubjungitur.

Introduxit me rex in cellaria ſua.

Per *Cellaria* non immeritò templum Domini valet intelligi. Nam in templo altare eſt & ſanctuarium, ibi hoſtia ſalutaris conſecratur & offertur, ibi vaſa Domino conſecrata reponuntur, ibi omnia divinæ legis ſacramenta celebrantur. Et ideò ad hæc omnia perficienda, quaſi legalia quædam in templo eſſe videntur *cellaria*: In hæc cellaria templi cùm introducerent puerum JEſum parentes ejus, & DEO Patri legalibus eum offerrent hoſtiis, quàm magnus & excelſus effet, qui parvulus & humilis apparuit, benedictio Simeonis & Annæ declaravit,

Luc. cap. 2.

dum ille in ulnas eum ſuſcipiens benediceret, eumque in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël veniſſe nuntiaret: Anna verò ipsâ horâ ſuperveniens confiteretur Domino, & loqueretur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël. * Facta autem lætabunda hac benedictione, quanta tunc exultatio Matri & Patri cunctiſque parentibus eum offerentibus fuerit, manifeſtè in ſequentibus innuitur. Nam in perſona illorum continuò ſubinſertur.

* *Cod.* Jeruſalem.

Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum.

Non enim parentes JEſu in viſitatione paſtorum, non in vocatione magorum exultàſſe dicuntur. Nam licet paſtores his, quæ de nativitate Chriſti ab Angelis dicta ſunt ad illos, crediderint, licèt magi munera offerentes adoraverint, non tamen apertè eum benedixiſſe, nec redemptionem vel conſolationem Iſraël manifeſtè prædicàſſe leguntur. In benedictione verò Simeonis & Annæ, qui opus redemptionis, ad quod venerat,

A. manifeſtè pronuntiabant, beati parentes ejus cum gaudio dicebant: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum.* Ac ſi dicant: in te ſolo JEſu Chriſto, filio noſtro, perenni gaudio exultabimus & lætabimur: quia per te ſolum ab omni triſtitia & anguſtia antiquæ prævaricationis liberabimur.

Memores, inquiunt, *uberum tuorum ſuper vinum.*

Jam ſuprà memoravimus, quòd per *ubera* Chriſti incarnatio, & per *vinum* carnalis accipienda ſit concupiſcentia. Unde idem eſt, ac ſi dicant: Ideo exul-

B. tabimur & lætabimur in te, quia memores ſumus, qualiter ſine peccato conceptus ſis & incarnatus, quòd ubera illa Virginea, quibus te DEus Pater lactari voluit, lactentia ſine omni carnali concupiſcentia fecerit, & quia te ſolum liberum ab omni originali & actuali peccato ſcimus & credimus: ideò te ad redemptionem noſtram & totius humani generis veniſſe credimus.

Recti, inquiunt, *diligunt te.*

Rectos fuiſſe Simeonem & Annam nemo dubitat, quorum rectitudinem

C. Evangelica quoque teſtimonia commemorant. Nam de Simeone dictum eſt: *Homo juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus Sanctus erat in eo.* De Anna verò ſcriptum eſt: *Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo jejuniis & obſecrationibus ſerviens DEO nocte ac die.* Et quia dictum: *Juſti erant & recti*, ideo veram juſtitiam dilexerant. Et non tantùm illi ſoli, Simeon videlicet & Anna, ſed & omnes, qui redemptio-

Ibid.

Ibid.

D. nem humani generis in fide & ſpe expectabant, hunc quoque venientem magna charitatis dulcedine honorabant & diligebant.

Poſt præſignatam oblationem JEſu in templum, poſt Simeonis & Annæ benedictionem, poſt matris ac patris aliorumque parentum exultationem, licèt Evangelia penè reticeant, qualis converſatio illius usque ad annum triceſimum fuerit, ipſa tamen incarnata propter nos ſapientia verbis conſequentibus aliquantulum innuens ait:

Niger

Nigra ſum, ſed formoſa filia Jeruſalem ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

Filiabus Jeruſalem ad viſionem æternæ pacis tendentibus *nigram* ſe, *ſed formoſam* aſſumpta humanitas Chriſti denuntiat: *nigram* per infirmitatem carnis, quam pro nobis aſſumpſit, ſed *formoſam* per gloriam Divinitatis, qua DEO Patri coæqualis ab initio fuit. Vel ideò *nigram*, quia infra annos triginta omnis ejus converſatio penè quaſi occulta erat & abſcondita, quando nondum manifeſtè in Synagogis Judæorum prædicavit vel docuit, nec evidentibus ſignorum indiciis gloriam ſuam manifeſtavit. *Nigra ſum*, inquit, *ò filia Jeruſalem* humanam pro vobis miſeriam tolerando, *nigra ſum* nullam adhuc majeſtatis meæ omnipotentiam oſtendendo: ſed tamen *formoſa* inviſibili virtute Divinitatis meæ cuncta gubernando & regendo.

Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

Cedar interpretatur *tenebræ*. Et ideò per *tabernacula Cedar* non immeritò tenebroſa hominum peccatorum corpora accipi poſſunt, in quorum ſimilitudine ipſe, qui lux vera eſt, apparuit, dum tenebroſæ mortalitatis noſtræ carnem induit. Sed tamen pellis ejus, pellis, dico, aſſumptæ carnis *ſicut pellis Salomonis*, ſicut pellis veri erat pacifici: quia in eadem pelle humanitatis, quam pro nobis ſuſcepit, pacem inter DEum & hominem paſſione ac morte ſua reformavit. Unde & mox, ùt præmiſſa eſt occulta ejus converſatio, qua usque ad annos triginta converſatus eſt in terris, conſequenter ſubjunctum eſt tempus paſſionis & mortis ejus. Nam ſequitur:

℣. V. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.*

Fuſca valdè & quaſi denigrata videbatur caro Chriſti, dum tempore paſſionis multis ac diverſis attrita eſt doloribus, dum ſputa, Colaphos & flagella pertulit, dum in medio duorum latronum crucis ignominiam ſuſtinuit. Sed ne fideles ſui hanc humilitatem ignominioſæ mortis ejus deſpicerent, nec latentem intrinſecus divinitatis pulchritudinem contemnerent, his eos verbis quaſi conſolan-
A do alloquitur dicens: *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim* Vos, inquam, ò filiæ Jeruſalem exteriorem nolite conſiderare deſpectionem & miſeriam, ſed conſiderate & perpendite inhabitantem in me divinitatis pulchritudinem. Ideò dico: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decoloravit me Sol.* Verus ille Sol juſtitiæ, videlicet Pater meus, cujus ego coæternus ſum Unigenitus, ſic me pro peccatis veſtris fuſcavit & decoloravit, ſic me flagellari, ſputari & Colaphizari & morte turpiſſima condemnari voluit, qui mihi proprio Filio ſuo non pe-
B. percit, ſed peccata & iniquitates omnium veſtrum ſuper me poſuit, & me pro omnibus vobis morti tradidit. Item alio modo *decoloravit me Sol*: quia me pro vobis in cruce pendente, Sol iſte viſibilis quaſi mortem meam ſuſtinere non valens, ab horâ ſexta usque ad horam nonam ſplendoris ſui abſcondit radios.

Filii, inquit, *matris meæ pugnaverunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi.*

Quaſi inquirentibus jam & condo-
C. lentibus ſuprà memoratis filiabus Jeruſalem, cur eum DEus Pater ita decolorari permiſerit, verbis conſequentibus eisdem filiabus reſpondens ait: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Filii matris meæ*, videlicet Synagogæ, de qua ſecundùm carnem ſum genitus, odio me habuerunt gratis, & ſemper contra me pugnantes, ſemper mihi opprobria & contumelias irrogantes, nunc adeò adverſum me prævaluerunt, quòd cuſtodem me in vineis poſuerunt. Et quid eſt *cuſtodem in vineis ponere*, niſi in altitudine crucis illum exaltare? Cuſtos namque
D. vineæ ligna ſuper ligna in altum conſtruit & erigit, quatenus ſtans in excelſo vineam diligenti circumſpectione cuſtodire poſſit. Ita & verus cuſtos noſter, dum ab impugnantibus filiis matris ſuæ, à perfidis quoque Judæis, ligno crucis eſt ſuperpoſitus, oculo miſericordiæ ſuæ reſpexit ſuper omnes vineas ſuas, ſuper univerſas ſcilicet eccleſias per Orbem terrarum, quandoque in nomine ipſius conſecrandas. Unde etiam paucis verbis lætabunda voce innuit: quid pro amore & redemptione earundem vinearum fecerit;

Vineam

Vineam, inquit, *meam non cuſtodivi.*

Quoniam, ùt jam dictum eſt, non in una vinea, ſed in pluribus vineis, id eſt: in omnibus eccleſiis cuſtos poſitus eſt, quænam ſingularis illa vinea eſſe poterit, quam ſe non cuſtodiſſe aſſerit? Vineam, quam ſingulariter ſuam eſſe dicit, dilectam animam ipſius intelligendam eſſe credimus, quam tunc quodam modo quaſi ſibimetipſi cuſtodiſſet, ſi eam pro nobis redimendis in morte non poſuiſſet. Verùm quia ſic cuſtodire noluit, ſed mira devictus pietate in manus Patris eam tradidit, pro hac una vinea innumerabiles valde vineas, id eſt: animas ſive eccleſias à DEO Patre cuſtodiendas ſuſcepit. Audita hac deſiderabili promiſſione paſſionis ac mortis ejus conſequenter ſponſa inquirit & interrogat, quid de deſcenſione ejus ad inferos, quid de ſepultura ejus ſperare debeat.

℣. VI. *Indica*, inquiens, *mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges ſodalium tuorum.*

Quaſi dicat: indicâſti mihi Redemptor Domine, quia moriturus in cruce animam pro nobis non dedigneris ponere. Nunc etiam tu ipſe, *quem diligit anima mea, indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Quid eſt *paſcere & cubare in meridie?* Pavit videlicet in inferno, cubavit in ſepulchro. Pavit in inferno electorum ſuorum animas paſſione miræ dulcedinis, quando pro ipſis redimendis deſcendere dignatus eſt ad inferos, & eos, qui jam diu quaſi jejuni ab omni bono fuerant, præſentia Divinitatis ſuæ viſitando & conſolando miſericorditer pavit. Nec immeritò talis paſtio fuiſſe dicitur *in meridie*: quia ubi revera plena & præclara facta eſt meridies, ubi ſedentibus in tenebris & umbra mortis, ipſe, qui verus dies eſt, ſemetipſum medium obtulit, & eos de tenebris infernalibus in admirabile lumen ſuum revocavit, quod procul dubio dulcis valde & delectabilis paſtio fuit.

Qui dum ſic in inferno per potentiam divinitatis ſuæ paſceret, ſanctiſſimum corpus ejus cubando in ſepulchro requievit. Et quomodo cubavit vel requievit? *In meridie.* Utrumque fuit in A. meridie, & paſcere & cubare, id eſt: ad inferos deſcendere, & in ſepulchro requieſcere. Nulla ibi nox, nullæ ibi tenebræ, omnia hæc facta ſunt *in meridie*, in plena die jucunditatis & lætitiæ. Sicut enim anima Chriſti deſcendente ad inferos animabus electorum illic in tenebris ſedentibus meridiana refulſit claritas: ita etiam corpore dominico poſito in ſepulchro multis Sanctorum corporibus in pulvere terræ quieſcentibus præclara facta eſt meridies. Nam, ùt Evangelica refert auctoritas: *Multa Sanctorum corpora, qui dormierant*, cum eo *ſurrexe-* B. *runt.* (Matth. 27. 52.) Unde & mox lachrimabilis vagatio illa ceſſavit, de qua conſequenter ait:

Ne vagari incipiam per greges ſodalium tuorum.

Quid hoc in loco deſignari videtur per *greges ſodalium* niſi innumerabilis illa multitudo antiquorum patrum in magna quadam incertitudine vagantium? Nam ſicut is, qui ubique vagatur, quaſi in incerto vagatur: ſic & antiqui patres, licèt piè, ſanctè & juſtè viverent, licèt pro adipiſcenda æterni regni gloria labo- C. rarent, tamen in incerto quodammodo vagantes erant, quia poſt finem vitæ certam ſpem percipiendæ beatitudinis non habebant: ſed in hac incertitudine ad inferni clauſtra deſcenderant, quòd, quando, vel quomodo liberandi eſſent, ignorabant. Qui tamen ſic vagantes per fidem, ſpem & dilectionem *ſodales* erant; quia adhuc redemptionem humani generis quandoque venturum expectabant. Sponſa verò ſancta videlicet Eccleſiâ ab hac longa expectatione, ab hac incerta vagatione liberari deſiderat, ne poſt greges ſuprà dictorum ſodalium vagari inci- D. piat: ne poſt eos, inquam, qui jam ad inferos deſcenderant, ipſa quoque nihilominus deſcendat. Unde, mox ut deſcenſionem ad inferos, nec non ſepulturam recognoſcere meruit, gloriam quoque reſurrectionis ejus ſpiritali oculo intuens ait:

℣. VII. *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum.*

Pulchra inter mulieres, pulchra, dico, inter omnes animos gratiâ divinæ dulcedinis

cedinis emollitas, ſola anima Chriſti e- A rat, quæ pulchra tota, ſine macula, ſola ab omni originali & actuali peccato libera, nil prorſus morti erat obnoxia. Sed tamen hanc in ſe pulchritudinem quodammodo ignoravit, id eſt: pulchram ſe per divinitatem, pulchram ſe per immortalitatem miſericorditer ignorare voluit, & quæ morti nihil debuit, gratuita bonitate mortis debitum innocenter exſolvit, & ad inferni clauſtra mira dignatione deſcendit. Et quia, ut dictum eſt, anima Chriſti pulchra, immò pulcherrima inter omnes erat animas, & detineri illic nequaquam potuit vel debuit, hanc B ad reſuſcitandum corpus ſuum dominicum ſuppliciter ſponſa revocat & ait:

Egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum.

Egredere, inquit, ex inferno per divinitatis tuæ potentiam, & reſumpta Chlamyde carnis tuæ *egredere* de ſepulchro per reſurrectionis gloriam. *Et abi poſt veſtigia gregum tuorum*: Greges, inquam, tuos congregatam videlicet ele- C ctorum tuorum multitudinem abire fac ante te ad paradiſi gaudia, & tu illuc dux & victor glorioſus veſtigia illorum ſequere. *Et paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum.* Hœdos tuos, humiles ſcilicet pœnitentes tuos, qui ſedentes in tenebris longam jam egerunt pœnitentiam, longam jam ſuſtinuerunt miſeriam, illos conditor benigniſſime paſcere non dedigneris jucundiſſima vultûs tui præſentia, quatenus *juxta tabernacula paſtorum*, hoc eſt: in conſortio beatorum Angelorum paſcua ſemper virentis paradiſi percipiant, ubi epulari & exultare in D conſpectu tuo incommutabili beatitudine valeant.

Eſt & alio modo ſentiendum, quod ſit: *Juxta tabernacula paſtorum.* Nam primi paſtores primi erant parentes noſtri, qui in dulcedine æternæ charitatis ſemper paſcendi eſſent, ſi fraudulentæ ſuggeſtioni maligni deceptoris non credidiſſent: & jucunda illorum tabernacula deſiderabilis illa eſſe debuit paradiſi habitatio. Sed quia propter inobedientiam & prævaricationem illorum unâ cum illis omne genus humanum ejectum & expulſum de his erat tabernaculis, reſurgens à morte Dominus, omnes, quos ex inferno eripuit, ad hæc eadem tabernacula revocavit, & illic per dies quadraginta præſentialiter illos abundantia ſuavitatis ſuæ pavit & lætificavit, & quadrageſimo die poſt reſurrectionem cœlos aſcendens nonnullos ex his, quos voluit, ſecum conſcendere fecit. Hinc eſt etiam, quòd, mox ut præſignata eſt reſurrectio, conſequenter ſubinſertur aſcenſionis gloria.

Equitatui, inquit, *meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea.* ℣. VIII.

Tangit hic hiſtoriam veteris teſtamenti, quando populum Iſraëliticum eduxit Dominus in manu forti & brachio excelſo de terra Ægypti. Et licèt ſigna & prodigia magna & decem plagæ graviſſimæ factæ ſint in Ægypto, non tamen Pharao extinctus eſt, donec perſequens eos cum curribus & equitibus ſubmerſus eſt in mari rubro. Et hæc omnia, quæ illic viſibiliter geſta leguntur, non incongruè, ut opinor, gloriam Dominicæ aſcenſionis præfigurare videntur. Licèt tempore nativitatis, paſſionis & reſurrectionis Chriſti multa facta ſint ſigna & prodigia, quæ ſpirituali illi Pharaoni adverſa nimis & contraria fuerunt, per quæ regnum & poteſtas ejus magna ex parte minorari & turbari cœpit: nondum tamen ex toto proſtratus & devictus occubuit, donec amicam illam animam, videlicet humanitatem Chriſti una cum multitudine Sanctorum ſecum aſcendentium glorioſo equitatu cœlos penetrare vidit. Tunc enim, ut ita dicam, lethali gladio invidiæ mortaliter occiſus eſt, quando natura illa, quæ ipſo ſuggerente, ipſo decipiente expulſa de paradiſo audivit: *Terra es & in terram ibis*, non ſolùm in Gen. 3, 19. paradiſum rediit, verùm etiam in ipſo creatore ſuo ſuper omnes choros Angelorum exaltari meruit.

De hoc quoque victorioſo aſcenſionis equitatu David in Spiritu Sancto pronuntians dixit: *Aſcendit DEus in jubilatione, vel Dominus in voce tubæ.* Pſal. 46, 5. Jubilum vel jubilatio dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod

quod ſermone exprimi non poterit. In- A. effabili namque jubilationis gaudio glorioſus ille victor DEI filius cœlos aſcendit: quia opus obedientiæ, quod ſibi DEus Pater injunxit, nobili victoria conſummavit. Aſcendit etiam in jubilatione electæ illius multitudinis poſt longas inferni tenebras lætanter ſecum aſcendentis. Aſcendit quoque jubilatione Angelorum, qui in voce exultationis & lætitiæ laudem & gloriam boni victoris jubilantes prædicabant, eò quòd numerus ipſorum, qui lapſu apoſtatæ angeli minoratus erat, jam per reſtaurationem redempti hominis redintegrari cœperat.

Qui autem ſic *in jubilatione aſcendit*, *in voce tubæ* procul dubio quandoque venturus erit. Quid per vocem tubæ intelligi debeat, teſtantur verba Angelorum, qui ipſo aſcendente Apoſtolis admirantibus & in cœlum aſpicientibus

Act. I. 11. dicebant: *Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum.* Veniet namque in voce tubæ valde terribilis, quando judex vivorum & mortuorum apparebit, quando non ſolùm verba & opera, verùm etiam ipſa occulta cordium manifeſtare & dijudicare cœperit, quando rationem reddituri ſumus, quid annis ſingulis, quid menſibus & diebus, quid horis ac momentis omnibus boni vel mali fecerimus.

Eſt & alia vox tubæ timenda nimis ac metuenda, hora videlicet illa egreſſionis de corpore, quando anima peccatrix tremendo judicio præſentanda erit, & de omnibus, quæ in vita ſua aut cogitando, loquendo, vel operando deliquit, ſubtili diſtrictionis ſententia examinanda erit. Et quia ſignum quoddam bel- D. li eſt, quando tubâ canitur, non incongruè hora illa tremenda voci tubæ comparari videtur: quia egrediente anima de corpore durum valde & terribile exoritur bellum contra malignos ſpiritus, qui fraude malignæ deceptionis eam circumveniunt & in foveam perditionis & deſperationis præcipitare cupiunt. Ut autem anima fidelis vocem tubæ quandoque ſupervenientis ſecura audiat, id eſt, ut in die ultimæ animadverſionis & in hora egreſſionis ejus de corpore ſalvari valeat, neceſſe habet, ut nunc verbis prædicantium diligenter attendat, & hæc eadem verba ſanctæ prædicationis ſummopere factis adimplere contendat. Et ideo poſt præſignatam jubilationem aſcenſionis, poſt præſignatam vocem tubæ terribilis continuò ſubinſertur gratia Apoſtolicæ prædicationis, cùm dicitur:

Genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia. ℣. IX.

Quoniam in genis maximè lucet & apparet decus pulchritudinis, non incon- B. gruè deſignari per *genas* ſanctos arbitramur Apoſtolos, per quos pulchritudo divinitatis & humanitatis Chriſti maximè univerſo mundo innotuit, quos principes & doctores ſuper omnem terram conſtituit, & illi eundem Dominum & magiſtrum ſuum ſpecioſum præ filiis hominum prædicabant & annuntiabant per fines Orbis terrarum.

Et quid eſt quod ait: *Genæ tuæ ſicut turturis?* Genæ iſtæ, hoc eſt: electi & beati Apoſtoli non injuſtè comparari poſſunt turturi. Nam ſicut turtur avis C. caſtiſſima, ſi parem perdiderit, alterum non quærit: ita & illi ſpiritales & verè caſti turtures Domino & magiſtro ſuo caſto & ſimplici corde ſemper adhærebant: & poſtquam corporali ejus deſtituti ſunt præſentia, nil in hoc mundo jucundum aut delectabile quærebant vel æſtimabant, ſed omne deſiderium, omnem mentis ſuæ intentionem illò transferebant, quò unicum & ſpeciale gaudium cordis ſui præceſſiſſe cognoverunt. Ad quorum laudem non inconvenienter illud etiam pertinere credimus, quod adhuc ſubjunctum eſt in conſequentibus:

Collum tuum ſicut monilia.

Quoniam per *collum* verba proferimus, non injuſtè per *collum* eoſdem Apoſtolos Chriſti intelligere poſſumus. Nam verba ſanctæ prædicationis, quæ hæc eadem colla, ſancti videlicet apoſtoli protulerunt, jam in fines Orbis terræ exierunt, jam innumerabiles valde populos ad fidem Chriſti adduxerunt. Et quia prædicatione apoſtolicâ adornatur & munitur ſponſa Chri-

Chriſti Eccleſia, ſatis congruè, ùt æſti- A. mamus, primi illi doctores ejusdem Eccleſiæ, omnesq; prædicatores veritatis comparari poſſunt *monilibus*. Nam ſicut monilia non ſolùm ornant mulierum pectora, ſed etiam muniunt, ne quis extraneus manum inferat: ita & prædicatores ſancti non ſolùm exemplis bonorum operum ornant & decorant mentes fidelium, verùm etiam doctrina veritatis ita muniunt & corroborant, ut uni viro Chriſto JEſu Domino noſtro fidem integram & illibatam ſemper exhibeant. Sed unde illis talis ſubminiſtratur doctrina & prædicatio veritatis? Audi in con- B. ſequentibus.

℣. X. *Murenulas*, inquit, *aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Murena, unde dictum eſt *murenula*, labilis valde eſt & lubrica, nec teneri facilè poterit, ſi quis eam manu comprehenſam tenere voluerit. Et ideo per murenulas myſticas & ſubtiles accipere valemus Scripturarum intelligentias. Nam prædicatores ſancti multa in Scripturis profunda nimis & obſcura intelli- C. gunt, quæ tamen ita proferre nequeunt, ut comprehendi & teneri ab auditoribus valeant. Et ideo neceſſe eſt, ut ſupra memoratæ illæ murenulæ *vermiculata* ſint *argento*, id eſt: ut ſpirituales & ſubtiles intelligentiæ adornatæ ſint divina eloquentia: quia nec intelligentia ſine eloquentia, nec eloquentia valet ſine intelligentia. Unde & primis Eccleſiæ doctoribus intellectum pariter & eloquium divinitus collatum invenimus. De intellectu quidem dictum eſt: *Et intellectu adimplevit corda eorum*: de eloquio vero: *loquebantur variis linguis Apoſtoli*, D. *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act. 2. 4. Nam tunc revera aureas acceperunt murenulas, quas in præſenti vera & æterna repromittit Trinitas. *Murenulas*, inquit, *aureas faciemus tibi*. Faciemus tibi ego DEus Pater, ego DEus filius, ego DEus Spiritus Sanctus, nos, inquam, faciemus tibi, ô ſponſa Eccleſia, nos conferemus tibi per miniſtros noſtros, per doctores veritatis *murenulas aureas argento vermiculatas*, id eſt: præclaras & pretioſas ſcripturarum ſententias & intelligentias divino eloquio adornatas.

Eſt adhuc, quod in verſu iſto ſubtiliùs inveſtigari valeat, cur jam dictæ murenulæ & *aureæ* dicantur & *vermiculata argento*. Facit ſiquidem, ùt ſupra diximus, benigna ſummæ Trinitatis gratia doctoribus veritatis hoc modo murenulas aureas, ut plerumque illis puræ & pretioſæ de ſcripturis occurrant ſententiæ, quas dum adhuc in ſecreto cordis contegunt, & nondum eloquendo & prædicando ad audientiam multorum proferunt, ſunt quodammodo velut *aureæ*, nil videlicet in ſe habentes corruptionis vel maculæ, nullis, inquam, contaminatæ ſordibus elationis vel jactantiæ. At poſtquam in publicum prolatæ fuerint, poſtquam in aperto eas eloqui & prædicare cæperint, de argento, per quod intelligitur eloquium, *vermiculatæ*, id eſt: corruptæ fiunt: quia impoſſibile nimis & inevitabile eſt, ut prædicatores ulli, licèt ſanctiſſimi, licèt humillimi, tam puro tam ſimplici corde annuntiare valeant verbum DEI, niſi aliquis elationis vel inanis gloriæ vermiculus admiſceatur, per quem puritas boni ſenſus & ſpiritalis intellectûs corrumpatur. Nam etſi ea, quæ divina inſpiratione edocti ſunt, ad utilitatem proximorum ſimplici voluntate eloquendo proferunt, laudari tamen & amari ea, quæ dicuntur, plerumque appetunt, & ſic aureas, ut ita dicam, ſententias vermiculo elationis corrumpunt. Itaq; quia præclaræ ſcripturarum ſententiæ & intelligentiæ haberi non poſſunt, niſi veniente deſuper Spiritu Sancto, ſatis congruo ordine mox ſubjuncta eſt ejusdem Spiritûs Sancti deſcenſio.

Cùm eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. ℣. XI.

Nardus arbor eſt parva & humilis. Et per hanc arborem, ùt æſtimamus, non injuſtè deſignatur virtus humilitatis. Nam verba hæc verba ſunt Eccleſiæ promiſſum Patris Spiritum humiliter expectantis, & hanc humilem expeditionem ita pronuntiantis: *Cum eſſet*, inquiens, *rex in accubitu ſuo. Cùm rex* ille cæleſtis, ſponſus & Dominus meus devicto mortis imperio ad Patris dexteram rediens *eſſet in accubitu ſuo*, in requie & in gloria ſua, & ego ſponſa ipſius jejuniis vacans & orationibus in profunda hu-

militate cordis expectarem promiſſionem Patris, *nardus mea dedit odorem ſuum*, id eſt: humilitas mea odore nimiæ ſuavitatis cœlos pertranſiit, & ad thronum gratiæ odor ille pervenit. At ubi hoc odore humilitatis meæ jucundata eſt æterna Divinitas, ubi cœleſte palatium hujus odoris mei reſperſit ſuavitas, accepi, quam expectavi promiſſam conſolationem Sancti Spiritus: quia *factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis*. Poſtquam factus eſt hujusmodi ſonus, poſtquam miſſus eſt de cœlo Spiritus Sanctus, operata eſt mirabiliter ejusdem Spiritus Sancti gratia hoc, quod lætabunda voce conſequenter eadem ſubinfert Eccleſia.

Act. 2. 2.

℣. XII. *Faſciculus*, inquit, *myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

℣. XIII. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.*

His duobus verſibus duas in Eccleſia vitas, activam ſcilicet & contemplativam deſignari credimus, quas poſt adventum Spiritus Sancti jam in Eccleſia primitiva inchoatas invenimus, ubi *multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Quotcumque autem poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Quibus omnibus licèt cor unum & anima una fuerit, licèt ea, quæ habebant, contempſerint, non tamen omnes ut æſtimamus contemplativi eſſe poterant. Unde verius dicere poſſumus, quòd in tanta multitudine plures activam, pauciores verò contemplativam vitam agerent. Activa quoque vita, quæ prior eſt non dignitate ſed ordine, non inconvenienter comparari valet *faſciculo myrrha*. Nam gravis valde & amarus quodammodo *faſciculus myrrha* fuit ea, quæ mundi, immò ea, quæ carnis ſunt, contemnere, domos, agros, filios & uxores derelinquere, carnem cum vitiis & concupiſcentiis mortificare. Sub hoc laudabili faſciculo myrrhæ ſimpliciores quique, id eſt: activi feliciter laborabant,

Act. 4. 32. & 34.

A. obedientiæ bonum invicem ſibi omnes certatim exhibebant, & tamen ad culmen contemplationis aſcendere non valebant.

Pauciores verò & perfectiores, id eſt: Apoſtoli & illorum imitatores *botrum Cypri* magna portabant dulcedine cordis, vitam contemplativam magna agebant abundantia ſuavitatis, qui oculo intelligentiæ multa in ſcripturis alta & ſublimia perſpexerunt, qui in ſecreto orationis ultra ſe elevati terrena omnia mentis contemplatione tranſcenderunt. Nunquid non unus de contemplativis fuiſſe creditur Stephanus protomartyr, de quo in actibus Apoſtolorum legitur, quòd *plenus Spiritu Sancto & fide* fuerit, quòd *cœlos apertos & JEſum ſtantem à dextris virtutis DEI* viderit. Et quia Eccleſia primitiva, ſicut diximus, & in activis & in contemplativis ſponſo ſuo complacuit, & illa bona, quæ fecit, non ſibimetipſi, ſed eidem ſponſo attribuit, jam primum mutuò ſe invicem laudare incipiunt, jam primum mutuæ confabulationis verba invicem ſibi conferunt, quia nil in præcedentibus de mutua laude ſponſi vel ſponſæ invenimus. Unde ſponſus jam prior in laudem ſponſæ prorumpens ſic eam laudat & magnificat dicens:

B. Act. 6. 5. & cap. 7. 55.

C.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.

Bis eam *pulchram* nominat, & non ſolùm pulchram, ſed etiam *amicam* eam appellat. Et quare bis pulchram? *Pulchram* videlicet in laboribus bonæ actionis, *pulchram* in dulcedine contemplationis. Et ideò amicam eam nominat, eò quòd non timore ſed amore ipſius pulchra in activa & contemplativa vita eſſe ſtudeat. Quæ quia pro hac duplici pulchritudine non humanam laudem quærit, nil de activa operatione, nil de contemplativa dulcedine ſibimetipſi attribuit, ſed in ſimplicitate cordis ipſi ſoli placere appetit, non injuſtè ſimplices *columbarum oculos* eam habere aſſerit. Audiens verò ſponſa tantæ laudis præconium à ſponſo ſuo, ipſa nihilominus illum laudare præſumens ita reſpondet dicens:

D.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. ℣. XIV.

Iſta

Iſta laudis reſponſio magna quædam eſt gratiarum actio: quia cùm pro duplici, ùt prædictum eſt, laudaretur pulchritudine, non pulchram ſe propriis recognoſcit meritis, ſed humili gratiarum actione illum ſolum attollit laudibus, qui hanc ſibi pulchritudinem ſuis contulit beneficiis. Unde idem eſt, ac ſi dicat: eò quòd tu, dilecte mi, qui ſemper ab initio pulcher fuiſti in divinitate, decorus fieri dignatus es in aſſumpta humanitate, ideò & ego ad hanc geminam deveni pulchritudinem, ut in activa & contemplativa vita tibi complaceam: quia B. ſi tu in ſola divinitatis tuæ pulchritudine permanſiſſes, & decorem humanitatis non induiſſes, & ego nec pulchra in operatione, nec pulchra eſſem in mentis contemplatione. Finitâ reſponſione ſive gratiarum actione primitivæ Eccleſiæ, jam univerſalis Eccleſia majori laudatione conſurgens pro univerſis Ordinibus generaliter eum laudat dicens:

℣. XVI. *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina.*

Tres in hoc loco Ordines prænotantur, in quibus univerſi filii Eccleſiæ ad vitam æternam prædeſtinati ſalvabuntur. Per *lectulum floridum* Ordo conjugatorum, per *tigna domorum* ordo prælatorum, per *laquearia cypreſſina* ordo deſignatur continentium. Et non injuſtè per lectulum floridum primus deſignatur ordo conjugatorum. Nam caſtum & legitimum conjugium quàm laudabile ſit, Paulus Apoſtolus patenter innuens * ait: *Honorabile conjugium & torus immaculatus.* Confirmat Apoſtolus verba Eccleſiæ dicentis: *Lectulus noſter floridus.* Notandus ordo verborum eſt, quia non C. *lectus* ſed *lectulus*, & quia *noſter*, & quia *floridus* dicitur. Unde idem eſt, ac ſi in perſona conjugatorum dicatur: propriæ infirmitatis, Domine, conſcii non lectum ſed *lectulum* dicimus: quia in peccatis non ſolùm concipimus, ſed etiam parimus. Et licèt idem lectulus infirmitatis ſit, *noſter* tamen eſt. *Noſter*, inquam, & tuus, quia in timore tuo convenimus, & in timore tuo filios tibi quandoque ſerrituros generamus. Eſt etiam idem lectulus noſter ideo *floridus*: quia benè florentes tibi, Domine, procreamus animas: A. & ſicut in flore ſpes ſequentis eſt fructus: ità & in illis te donante magnus quandoque erit perfectionis profectus.

* Cod. intuens.
Hebr. 13. 4.

Et unde lectulus noſter floridus? Unde ordo noſter, ordo conjugatorum, qui eſt infimus, ſpe bonorum filiorum erit floridus? Non ex noſtris meritis, Domine, ſed gratuita bonitate tua, quia te tribuente *tigna domorum noſtrarum* ſunt *cedrina*. Per tigna domorum, ùt prænotavimus, Ordo prælatorum eſt intelligendus. Nam ſicut tigna domum ſuſtentant & muniunt: ita & boni quique prælati domum Eccleſiæ ne corruat, verbo B. & exemplo continent & defendunt. Et benè tigna iſta *cedrina* eſſe dicuntur: quia ſicut ligna cedri fortia nimis ſunt & durabilia, & venenata fugant animalia: ità & prælati fortes in fide & dilectione DEI, durabiles in bonis operibus, oratione & prædicatione ſua de cordibus ſubditorum malignos depellunt ſpiritus. Quapropter gaudens & exultans quaſi gloriando de talibus dicit Eccleſia: *Tigna domorum noſtrarum cedrina.* Quaſi dicat: quia tales nobis Domine dediſti prælatos & doctores, ideo *lectulus noſter*, ordo ſcilicet C. conjugatorum, ſemper eſt *floridus*, doctrina & prædicatione illorum præmunitus.

Laquearia noſtra Cypreſſina.

Per *laquearia*, quæ magis ornare quàm munire videntur domum deſignatur, ùt ſupra memoravimus, Ordo ſanctorum continentium, qui velut benè picta & deaurata laquearia decore ſanctitatis & innocentiæ ornant & decorant domum ſanctæ matris Eccleſiæ. Si enim, ùt ſancti conjugati, filios fideles non generant, & ſi, ut fortes prælati, alios prædicando non ſuſtentant: C. tamen quia caſtè, innocenter, & piè vivunt, velut magno quodam decore domum DEI, quæ eſt Eccleſia, adornare non deſinunt. Sed laquearia iſta benè eſſe dicuntur *Cypreſſina.* Nam ſicut ligna cedrina, ita quoque ligna cypreſſina fortia valde & dura ſunt, & odore ſuo venenata nihilominus animalia pellunt. Et hæc omnia, ùt opinor, ſpiritali intelligentia caſtis continentibus ſatis videntur eſſe convenientia. Nam caſta & munda converſatio continentium odore virtutum fugat & expellit diabolum, & qui in hac continentia usque in finem

 perdu-

perdurabunt, in hora mortis ſuæ forti illi A. armato fortiter reſiſtere valebunt. Sed quia nec ſanctitas aliqua in conjugatis, nec fortitudo in prælatis, nec caſtitas in continentibus ex propriis illorum viribus eſſe poterit, ipſe, qui hæc omnia tribuit, conſequenter ait:

CAPUT II.

℣. I. *Ego flos campi & lilium convallium.*

SI qui ſunt, inquam, vel caſti, vel conjugati, vel fortes prælati, ſive continentes ſancti, illorum *flos* ego ſum: quia B. initium & perfectio omnium bonorum ego ſum. *Ego flos* conjugatorum: quia, licèt homo ſingularis, licèt homo omnibus incomparabilis, licèt in conceptione & in nativitate & in omni converſatione mea cunctis hominibus diſſimilis, tamen in hoc illis aſſimilatus ſum, quia homo factus ſum, & de muliere conjugata, licèt non violata, natus ſum. Mater mea ſicut cæteræ matres ſponſum habuit, licèt ad ejus nuptias non pervenerit. Sci, ſic ex parte aſſumptæ humanitatis aliquid commune habeo cum ſanctis conjugatis. *Ego* C. quoque *flos* prælatorum: quia ſolus omnibus prælatus, ſolus fortis, omnipotens & excelſus, & ideò quia per omnipotentiam meam omnibus præemineo, cum bonis prælatis & potentibus aliquid commune habeo. *Ego flos campi*, ego flos continentium: quia ſicut campus floribus adornatus totus integer incorruptus eſt & inexaratus: ita ſolus ego totus ſanctus, innocens inpollutus ſum & immaculatus, & ideò maximam quodammodo communionem cum caſtis habeo continentibus. Sed quia nonnulli ſunt, quia peccatis prægravati, nec in nume- D. ro ſanctorum conjugatorum, nec in forte ſanctorum prælatorum, nec in parte caſtorum continentium computari poſſunt, his ego ſum *lilium convallium*, decus videlicet humiliter pœnitentium: quia non ſolùm eis remiſſionem peccatorum tribuo, verùm etiam per humilem pœnitentiam ad veram eos reducam innocentiam. Qui cùm ſic per miſericordiam ſuam lilium ſit cum peccatoribus, lilium quoque in ſemetipſo laudatur & nominatur, quemadmodum conſequenter ſubinſertur.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. ℣. II.

Licèt verſus iſte diverſis modis intelligi valeat, nos tamen æſtimamus, quòd vox DEI Patris ſit filium ſuum laudantis, ſive vox Eccleſiæ eundem filium ſponſum ſuum ita alloquentis: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Lilium duo in ſe, candorem ſcilicet & odorem habet, quæ Unigenito DEI Patris Filio non injuſtè aptari valent. Nam licèt formam peccati aſſumpſerit, licèt inter ſpinas, hoc eſt: inter peccatores in hoc mundo vixerit: ita tamen candorem innocentiæ & odorem bonæ & ſanctæ vitæ conſervavit, quòd nec minima ſpina peccati illi adhærere potuit. Et quia, ſicut dictum eſt, *lilium* erat *inter ſpinas*, ideò anima ejuſdem filii *amica* DEI Patris non immeritò erat *inter filias*, inter omnes videlicet electorum animas: quia ſola omnia præcepta Patris ex integro conſervavit & adimplevit, quæ nulla alia, quamvis electi cujuslibet anima, conſervare & adimplere ex toto potuit. Omnes quippe electorum animæ ideo dicuntur *filiæ*, quia filiali quadam dilectione DEum Patrem dilexerunt. Et tamen ſpinoſæ erant, quia ſpinæ originalis & actualis peccati illis inhærebant. Sola autem anima Chriſti contra peccatum originale candorem innocentiæ, contra peccatum actuale odorem appoſuit bonæ vitæ. Et ideo, quia talem in ſe candorem & odorem habuit, factum eſt per illum & cum illo, quod in verſu conſequenti ait, qui non injuſtè ad paſſionem ipſius referri valet.

*Sicut malum * inter ligna ſilvarum: ſic dilectus meus inter filios.* ℣. III.

* *aliàs* malus.

Per *ligna ſilvarum* Sanctos & electos illos accipere poſſumus, qui ab initio erant in *ſilva*, hoc eſt: in multitudine humani generis. Nam ſicut in ſilva ligna quædam præ cæteris alta, fortia ſunt & ardua, ſic in ſilva humani generis ſemper erant ſancti aliqui & electi eminentiâ virtutum & dignitate meritorum fortes, ſublimes, & alti: quia nunquam ſic deſolatus fuit mundus iſte, niſi fortè aliqui eſſent, qui fide, ſpe & charitate à terrenis ad cœleſtia aſcenderent. Sed tamen hi tales, quamvis ſobriè, piè & juſtè viverent,

verent: quamvis per fidem, ſpem & charitatem cœleſtibus intenderent, infructuoſi tamen ùt ligna ſilveſtria quodammodo fuerunt, quia nullis ſuis meritis, nullis ſuis laboribus fructum remiſſionis & gratiæ obtinere potuerunt. Solus autem Chriſtus non lignum ſilvarum, ſed ſicut *malum inter ligna ſilvarum* erat. Nam ſicut malum plenus & perfectus eſt fructus arboris: ita ſolus Chriſtus verum & plenarium attulit fructum humanæ redemptionis, qui licèt omni tempore fructuoſus eſſet, licèt omni tempore fructum ſanctitatis & juſtitiæ protuliſſet, ſpecialem tamen fructum pacis & reconciliationis DEO Patri obtulit, quando in arbore crucis ùt malum benè fructiferum pendens opus redemptionis noſtræ, ad quod venit, miſericorditer conſummavit. Unde & in ipſo articulo paſſionis ac mortis ſuæ de hoc conſummata plenariæ redemptionis gra-
Joan. 19. 30. tia ait: *Conſummatum eſt.* Et quia ſic DEO Patri obedivit, ſic opus humanæ ſalutis conſummavit & perfecit, ſatis dignè vox ejusdem Patris ſive vox ſanctæ Eccleſiæ de eodem DEI Filio ſubjungit dicens:

Sic dilectus meus inter filios hominum.

Sic, inquam, ſic genus humanum reconciliando & redimendo, ſic veniam peccatorum dando, ſic ſanguine proprio introitum regni cœleſtis aperiendo, dilectus DEI Patris & dilectus inter filios hominum dignè vocari potuit: quia à DEO Patre, cui ſemper per divinitatem dilectus erat, per aſſumptam humanitatem, per paſſionem ac mortem ſuam quaſi ſingularem, ut ita dicam, promeruit dilectionem ac gloriam. *Inter filios* autem *hominum* cur non meritò præ omnibus & ſuper omnia *dilectus* eſſe debeat, cùm hominem perditum ipſe prior in tantùm dilexerit, quòd animam ſuam pro nobis redimendis in morte poſuerit? Et notandum, quod ait *inter filios*, & non *inter filias hominum*: Quia poſt datam remiſſionem peccatorum, poſt acceptum Sancti Spiritûs donum facti ſunt filii, qui priùs erant filiæ, id eſt: fortes facti ſunt & validi, qui priùs erant fragiles & infirmi, & in tantùm eundem dilectum diligere cœperunt, quòd innumerabilis multitudo martyrum pro amore ipſius non dubitavit effundere ſanguinem ſuum.

Unde fidelis & ſancta quælibet anima paſſionem ac mortem ipſius oculo dilectionis intuens voce lætabunda conſequenter ſubinfert dicens:

Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.

Sæpè memoratus iſte dilectus Chriſtus DEus & homo eſt. Et ideo *umbram* ipſius aſſumptam humanitatem ejus intelligere poſſumus, ſub cujus umbra ſedere, id eſt: requieſcere ſemper ab initio ſancta deſiderabat Eccleſia. Nam ſicut homini quieſcenti æſtum Solis umbra temperat: ſic electis ſuis ſancta humanitas Chriſti æternæ quietis refrigerium præſtat.

Eſt & alia *umbra* ipſius, qui verbum eſt DEI Patris, obſcura ſcilicet littera Sacræ Scripturæ, ſub cujus velamine myſticò quodam intellectu occultatur & obumbratur ipſum Verbum Patri coæternum, ipſa DEI virtus & DEI ſapientia, & totum, quod ad redemptionem humani generis reſpicit, hæc litteralis umbra myſticè in ſe continet & comprehendit. Ibi ejusdem dilecti incarnatio, mors etiam prænotatur & paſſio, ibi univerſa noſtræ redemptionis inveniuntur ſacramenta. Quæcunque ergo fidelis anima in hac, & ſub hac *umbra* ipſum dilectum ad imitandum invenire deſiderat, neceſſe habet, ut ſedeat, ut quietam ſibimetipſi ſeſſionem cordis & corporis faciat, & ſicut is, qui ſedet, membra ſua contrahit, ita totam ſe ad ſe intus contrahat, totam ſe omnesque ſenſus ſuos intus colligat, ne foris inutiliter circumvagetur, ne vanis laborum ſtudiis exteriùs occupetur. Sic, ſic ſub hac umbra ſedens & requieſcens, ſic ſemetipſam interiùs colligens invenire in umbra illa poterit fructum divinæ dilectionis & dulcedinis, fructum quoque ſpiritalis ſenſus, qui ſub hac umbra myſticè latet abſconditus, qui *dulcis ſit gutturi* ejus, gutturi, inquam, cordis, non corporis. Sub umbra illa ſedere & requieſcere ſemper deſideremus, ut hunc qui vera dulcedo eſt inveniamus. Nam qui ſic, ùt dictum eſt, ſub umbra illa ſederit, & fructum dulcedinis, quæ in ſpiritali ſenſu eſt, guſtaverit, non ad altiora conſcendens gaudens & exultans dicere poterit:

Intro-

℣. IV. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

Per *cellam vinariam* ſignificari credimus & dulcedinem orationis & gratiam divinæ contemplationis. In hanc cellam vinariam dum rex ille cœleſtis animam quamlibet beatam introduxerit, eamque vino illo cœleſti inebriaverit, ita mox à ſenſu ſuo, ita à cogitatione propria alienatur, ut terrena omnia obliviſcens tota in dulcedinem, tota in manſuetudinem convertatur & commutetur. Poſt hanc ebrietatem Spiritus Sancti, poſthanc prægustatam ſupernæ ſuavitatis gratiam benè poteſt dicere:

Ordinavit in me charitatem.

Congruus & valdè neceſſarius eſt *ordo charitatis*, ut primò diligatur DEus, deinde diligatur & ædificetur proximus. Quia cavendum ſummoperè eſt, ne quis ordine præpoſtero prius egrediatur ad ædificandam dilectionem proximi, antequam intus ædificetur & inſtruatur, quæ vel qualis eſſe debeat dilectio DEI. Oportet namque, ut quævis ſancta ac fidelis anima primò ad potandum & diſcendum ſedeat in cella vinaria, ibique inter pocula divinæ dulcedinis diſcat, qualiter dilectum ſuum, DEum ac redemptorem ſuum diligere debeat. Quæ dum illic edocta & ædificata intrinſecus fuerit, utiliter & ſalubriter ad ædificationem proximorum exire poterit, quia jam novit, quid DEO, quid proximo debeat, qualiter ſe DEO inclinet & humiliet, qualiter ſe proximo in humilitate conformet & conſociet. Sic profectò ordinatâ charitate dum ad utilitatem proximorum egreditur, quaſi de cella vinaria, de ſecreto internæ quietis egredi metuens, laborem egreſſionis ſuæ recompenſari ſibi bonis proximorum profectibus humiliter poſtulat, cùm dicit:

℣. V. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Quamvis diverſa hic intelligi valeant, ſpecialiùs tamen hoc in verbis iſtis ſignificari credimus, quòd in egreſſione ſua fervorem divini amoris langueſcere ſentiens, conſolationem quærat & auxilium, & ideò humili ſupplicatione interpellare videatur Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ſimulque ad defenſionem ſuam Sanctos invitet Angelos benigniſſimos ſanctarum animarum defenſores. *Fulcite*, inquit, *me floribus, ſtipate me malis.* In *floribus* ſpes & initium eſt ſequentis fructus: in *malis* verò ſapor ſimul & odor eſt. Unde idem eſt, ac ſi dicat: vos DEus Pater, DEus Filius, DEus Spiritus Sanctus, qui ita de me ordinâſtis, qui me de cella vinaria, ubi inebriabar & jucundabar, ad utilitatem aliorum exire feciſtis, *fulcite me floribus*, hoc eſt: fulcite & conſolari me facite ſpe & initiis bonorum operum, ut ſi in memetipſa langueo, in his ſaltem, ad quos egreſſa ſum, opera bona initiando ſic proficiam, quatenus de perfectione & profectu illorum ſpem & conſolationem æternæ retributionis habere valeam. *Stipate me malis*, id eſt: cœleſtibus ita me replete bonis, ut guſtus amoris DEI intus mihi ſapiat, & odor bonus ad ædificationem proximorum de me exeat. Poſt hanc invocationem ſanctæ Trinitatis invocat etiam, ùt ſupra diximus, beatos Angelos eiſdem verbis orans & dicens:

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Vos ò benigni defenſores in egreſſione illa, ad quam ordinavit me Dominus, *fulcite* me, ſuſtentate & adjuvate me auxilio veſtræ defenſionis, *fulcite me floribus, fulcite me* in ſpe, ne cadam, ne in labore deficiam, *fulcite me floribus*, ut ſic in initiis bonæ operationis proficiam, ut fructum perfectionis, quem ſpero, quem deſidero, in proximis meis inveniam. *Stipate me malis*, circumdate me ſapore dulcedinis, qua DEum non raró, non interdum, ſed frequenter, non tenuiter, ſed abundanter ſapiam, *circumdate me* virtutum odore, quibus proximos ædificem & inſtituam.

Eſt & alius ſenſus in his verbis, qui ita ſonare videtur, quaſi illos, ad quos in vita exire compellitur, exhortando alloquatur, ut ipſi hoc bonis operibus ſupplicant, hoc aſſiduis virtutum profectibus illi recompenſare ſtudeant, quod de prægustata dulcedine ſibimetipſi ſubtrahit, dum utilitati & ædificationi ipſorum ſervire ſatagit. Fulciri ſe floribus & ſtipari ſe malis hoc modo expoſtulat, ut ſpe & deſiderio cœleſtium gaudiorum bona inchoare

choare non negligant, & ea, quæ inchoaverint, optimo fine conſummare contendant, ut in bonis & juſtis illorum ſtudiis, in ſanctis & juſtis illorum operibus conſolari & requieſcere poſſit, quæ ad illos egrediendo & profectibus illorum ſerviendo, jam ſemetipſam in amore conditoris langueſcere dolet & gemit. Quæcunque ergo anima talis eſt, in qua ita ordinata eſt charitas, ut neceſſitati proximorum in dilectione condeſcendat, & tamen in amore conditoris languere timeat, hæc profectò humilitatem humanitatis Chriſti & gloriam divinitatis ejus pio ſemper corde conſiderat, perpendit & dicit;

℣. VI. *Læva ejus ſub capite meo & dextera illius amplexabitur me.*

Per *lævam*, quæ quaſi inferior eſt, ſed cordi vicinior, naturam humanitatis Chriſti deſignari credimus: per *dexteram* verò gloriam Divinitatis ejus: per *caput* principale cordis, quod eſt ratio mentis. Et quid eſt, quod per lævam, quæ inferior, ſed cordi vicinior eſt, humanam naturam intelligendam eſſ diximus? Inferior quippe natura, hoc eſt: humana, vicinior nobis eſt quàm divina. Nam vicinior &, ut ita dicam, charior atque dulcior humano eſt cordi miſericordia redemptionis, quàm opus creationis. Nam ſi non interveniſſet redemptio, nihil profuiſſet, immò magis obfuiſſet creatio. Per humilitatem incarnationis, per ignominiam paſſionis ac mortis ſuæ DEus redemptor vicinus nobis factus eſt & proximus, qui ante nobis longinquus erat

Pſ. 75. 1. & incognitus. *Notus in Judæa DEus* quibusdam per fidem erat, ſed tamen ſic notus quaſi ignotus erat, quia nondum viſibilis apparebat. Poſtquam autem incarnatus, paſſus eſt & mortuus, per fidem & miſericordiam vicinus & notus cunctis factus eſt fidelibus.

Sed hæc omnia, quæ homo pro homine factus fecit & ſuſtinuit, dum capiti ſuo, hoc eſt: principali cordis ſui anima beata aſſidua recordatione ſuppoſuerit, in lætitia mentis ſuæ nonnunquam gratulando ait: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quaſi dicat: ſi hæc ſemper ad memoriam reduxero, ſi hæc oculo cordis ſemper intendero, quantum ſe DEus homo pro me

A. humiliaverit, quanta pro me patiendo, moriendo ſuſtinuerit, qualiter me de poteſtate diaboli liberaverit, & pro his omnibus dignum illi honorem & amorem exhibuero, *dextera illius amplexabitur me.* Amplexari invicem & oſculari ſignum dilectionis eſt. Nam qui alterum intimè diligit, non ſolùm oſculum oris porrigit, verùm etiam ulnis corporis exteriùs & ulnis cordis ſtringit & amplexatur interiùs. Hoc nimirum modo, dum anima DEO dilecta magnalia divinæ pietatis, quæ in humano geſſit corpore, veneratur & diligit, dextera ſummæ majeſtatis ineffabiliter ſe amplexari & conſtringi gloriando aſſerit: *Et dextera illius*, inquit, *amplexabitur me.*

B. Per hoc enim, quod non ait: *amplectetur*, ſed *amplexabitur*, manifeſtè nobis, ut arbitramur, innuitur, quòd inviſibilis & ineffabilis iſte amplexus, quo animam ſe diligentem amore ſibi mutuo aſtringit Dominus, non rarus ſed frequens ſit & aſſiduus. In quantùm hoc DEO placeat, in quantum hoc laudet & diligat, ut dilecta introducta in illam vinariam, ordinatam illic edocta charitatem, Lævam dilecti ſupponere ſciat capiti, & dextera illius mereatur

C. amplexari, verbis conſequentibus patenter innuit, ubi ait;

Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas cervosque camporum, ne ſuſcitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit. ℣. VII.

Quamvis in libro hoc diverſæ inveniantur voces, vox, inquam, *ſponſi* & *ſponſæ*, vox *adoleſcentularum*, vox *amicorum*, qui velut fideles quidam paranymphi mutuæ dilectionis inter ſponſum & ſponſam benè ſunt conſcii, vox tamen iſta, vox Chriſti eſt filias Jeruſalem his verbis inter-

D. pellantis & alloquentis, & ab inquieta ſuſcitatione dilectæ ſuæ eas prohibentis: *Adjuro*, inquit, *vos filiæ Jeruſalem. Filias Jeruſalem* fideles appellat animas, licet adhuc infirmas & teneras, quæ ad viſionem ſupernæ pacis anhelantes *filiæ* dici meruerunt, nec tamen ad perfectam dilectionis virtutem pervenerunt. Has, inquam, filias quodammodo adjurat, has adjurando ad id, quod DEO placet, hortatur & invitat. Nam *adjurare* eſt ad jus quoddam, id eſt: ad id, quod juſtum eſt, invitare. Quidquid DEO placet, jus quoddam* eſt, juſtum eſt. Unde etiam id, quod ſibi pla-

* *Cod.* quidem.

placet, & quod juſtum eſſe judicat, paucis verbis inſinuat, cùm dicit: *per capreas cervosque camporum*. *Caprea* viſu perſpicaces, *cervi* curſu ſunt veloces. Et hæc duo ſumma & principalia ſunt: perſpicacitas & velocitas, quæ dilectam ſuam habere deſiderat, ut perſpicax ſit in contemplando & velox ſit bona operando. Sed ubi velox & ubi perſpicax eſſe debeat ex hoc innuitur, quod non ait: *per capreas cervosque campi*, ſed *camporum*: quia duo quodammodo campi ſunt, præſentis vitæ & futuræ. In campo præſentis vitæ haberi poteſt & neceſſariò habenda eſt velocitas benè operandi, & ex parte acquiri poteſt perſpicacitas contemplandi: in campo autem futuræ vitæ neceſſaria non erit velocitas bonæ operationis, ſed ſtabilis & plenaria erit perſpicacitas divinæ contemplationis. Ut autem in præſenti ad bona facienda fervens & velox, & ad divina & cœleſtia contemplanda ſive ſecreta Scripturarum myſteria perſcrutanda perſpicax eſſe valeat, adjuvat, ùt diximus ſuprà, memoratas filias Jeruſalem, ne inquietudine ſua ab hac eam intentione amoveant: *Ne ſuſcitetis*, inquit, *neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipſa velit.*

Quaſi dicat: quoniam peſpicacitatem & velocitatem, quam dilecta habere debet, non aliter niſi in cella vinaria, non aliter niſi ſub amplexu dexteræ meæ adipiſci valet, ideo adjuro vos, ideo id, quod juſtum eſt, rogo vos, ne à ſomno dulcedinis & dilectionis meæ eam ſuſcitetis, nec ab amplexu meo eam amoveatis vel revocetis. *Neque evigilare*, inquit, *faciatis*, cùm jam dictum ſit, *ne ſuſcitetis*, cur continuò adjecit: *neque evigilare faciatis?* Idem enim eſt ac ſi dicat: quod ſi neceſſe fuerit, ut ſuſcitata à ſomno internæ quietis utilitati veſtræ providere debeat, ut de cella vinaria cauſâ ædificationis veſtræ exeat, rogo vos & adjuro, *ne* ſic *evigilare* eam *faciatis*, quòd curis exterioribus nimis eam occupari compellatis, ne dum ſolis terrenis & temporalibus invigilat, interiorem mentis perſpicaciam, quâ me interdum contemplari & intueri oportet, amittat. *Quoadusque ipſa velit*. Relinquatur, obſecro, dilecta mea voluntati propriæ, ne priùs compellatur egredi, ne priùs ab amplexu meo cogatur ſeparari, *donec ipſa velit*, donec ordinata charitate erudiatur intrinſecus,

A. qualiter utilitati proximorum opportuno tempore ſerviat, iterumque ad contemplationem ſponſi interiùs redeat.

CAPUT V.

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. ℣. I.

SPonſus Eccleſiæ Chriſtus providens oculo ineffabilis miſericordiæ hanc eandem ſponſam quandoque redimendam pretioſo ſuo ſanguine, quatuor humanæ redemptionis ſacramenta in Canticis Canticorum brevi quadam comprehendit ſententia, & quæ ſe adhuc facturum eſſe præ- B. ſcivit, jam quaſi præterita & conſummata his verbis exprimens ait:

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.

Primum namque poſuit ſacramentum incarnationis ſuæ, principale videlicet exordium redemptionis noſtræ, eamq; mira dignatione *ſororem* & *ſponſam* nominat, cui honorem, quem matri debuit, in membris humanis quandoque præbiturus erat, *ſororem*, inquam, nominans per inviolabilem fidei perfectionem, *ſponſam* per incommutabilem charitatis devolutio- C. nem. *Veni*, inquit, *in hortum meum*. *Hortus* verò benigniſſimi redemptoris ſpiritalibus plenus deliciis, refertus univerſis virtutum floribus, virginalis ejusdem ſororis & ſponſæ erat thalamus: in quem tunc ſpecialiter venire dignatus eſt, quando deſcendens de ſede magnitudinis ſtola noſtræ indutus eſt mortalitatis, quatenus factus homo pro homine miſereri & compati humanæ ſciret infirmitatis & miſeriæ.

Sed quia naſci non profuit, niſi etiam redimi profuiſſet, præmiſſo ſacramento incarnationis conſequenter ſubjunctum eſt ſacramentum paſſionis. Sequitur enim

D. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Per *myrrham*, qua mortuorum condiuntur corpora, ſatis congruè dominicæ paſſionis intelligenda eſt amaritudo: per *aromata* verò ſuaveolentia electæ & dilectæ ſanctorum animæ rectè intelligi valent, quæ adventum Filii DEI apud inferos expectabant. Nam tunc reverà in gaudio & exultatione *myrrham cum aromatibus meſſuit*, quando conſummatâ amaritudine paſſionis cum innumeris ſanctorum millibus quaſi cum odoriferis aromatibus victor glorioſus ex inferno rediit.

Myrr-

Myrrham ergo cum aromatibus meſſuit, A. quando propter tantas ſalvandorum animas, paſſionis amaritudinem, crucis ignominiam propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit. *Cum aromatibus*, inquit, *meis*. Videtur quidem magna in hoc elucere gratia dulcedinis, quòd non abſolutè *cum aromatibus*, ſed etiam cum adjectione ait: *Cum aromatibus meis*: quia non immeritò propriè ſuas eſſe reputat dilectas electorum animas, pro quibus ſemetipſum hoſtiam vivam DEO Patri in odorem ſuavitatis obtulit, & quas magno & inæſtimabili proprii ſanguinis pretio emit at- B.
Luc. 24. 46. que redemit. Et quia, ùt ipſe ait: *Oportebat pati Chriſtum & reſurgere à mortuis*, congruo quidem ordine poſt myſterium incarnationis, poſt agonem paſſionis & mortis tertium mox ſequitur ſacramentum præſignatæ reſurrectionis.

Comedi, inquit, *favum cum melle meo*.

In *favo* etenim atque *melle* utriusque naturæ dignitatem, humanæ ſcilicet atque divinæ non incongruè valemus intelligere. Nam idem Salvator benigniſſimus *favum cum melle ſuo* quodammodo *comedit*, quando reſurgens a mortuis omnem aſſumptæ carnis infirmitatem vera incorruptione conſumpſit, ipſumque C. ſuaviſſimum corporis ſui favum à morte reſuſcitatum, melli divinitatis ſuæ ſic conjunxit, & ſic incomparabili dignitate conſociavit, ut tam humanitati, quàm divinitati nulla unquam mortalitatis & paſſibilitatis dominari infirmitas poſſit. Unde
Rom. 6. 9. Apoſtolus ait: *Chriſtus reſurgens à mortuis jam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur*. Et quia ſic tentatum per paſſionis ignominiam, ſic glorificatum per reſurrectionis omnipotentiam dilectum electæ Virginis filium intrare oportuit in gloriam ſuam, quartum jam non incongruè ſubjungitur aſcenſionis ſacra- D. mentum.

Bibi, inquit, *vinum cum lacte meo*.

Exaltatus quidem homo Chriſtus JEſus in ſede magnitudinis coram DEO Patre & beatis Angelorum ſpiritibus, ſuaviſſimum quodammodo *bibit vinum* lætitiæ & exultationis, dum animas redemptorum paternæ majeſtatis præſentavit conſpectui, ipſumque DEum Patrem ſuæ paſſionis interventu reconciliatum & repropitiatum humano vidit generi. Hoc nimirum tantæ jucunditatis inebriatus vino immemor pia quadam oblivione factus eſt totius laboris & miſeriæ, totius paſſionis & ignominiæ, quam in diebus carnis ſuæ pro redimendo & ſalvando paſſus eſt homine. *Bibi*, inquit, *vinum meum cum lacte meo*. Quia enim DEus infans Virginis uberibus matris lacte modico lactari ac nutriri voluit, dignè ſatis caro munda & candida ejusdem redemptoris lactis myſterio intelligi poterit. *Bibit* revera *vinum* illud novæ & admirandæ exultationis *cum lacte* ſuo: quia gaudium ineffabile, gaudium inedicibile, quod ante ſæcula cum DEO Patre ſecundùm divinitatem habuit, jam ſecundùm carnem peractâ humanæ redemptionis diſpenſatione plenâ incommutabilitate recepit.

Hæc ergo, quæ juxta allegoriam ſuccinctè præſtrinximus, morali ſubtilitate pervigil intendat animus, & quæcunque fidelis anima tantis tam magnis beneficiis benigni Conditoris reſpondere deſiderat, in hortum ſpiritalem ſororis & ſponſæ paſſibus obedientiæ venire non negligat, ubi electiſſimam cum aromatibus ſuis myrrham metens & favum cum melle ſuo commedere, & vinum cum lacte ſuo ſuaviter inebriata valeat bibere. Quidnam eſt in hortum ſororis & ſponſæ venire, niſi ſtudio & deſiderio melioris vitæ congregatum in Chriſto electæ multitudinis conventum introire? Ibi revera hortus plantationum Domini fœcundus valde & floridus, divini roris benedictione fructuoſus & irriguus, ubi malè pungentes, graviter vulnerantes vitiorum ſpinas & tribulos cœleſtis eradicat dextera, ut diverſa diverſarum virtutum ſuccreſcant & redoleant germina.

Et benè quidem dignè DEO militantium multitudo dulci & ſpeciali *ſororis* ac *ſponſæ* honorari debuit vocabulo, cujus unus pater & dominus, cujus eſt unus ſponſus & dilectus, quem ſolum ut patrem æternæ majeſtatis ſincera fide honorat, laudat & magnificat, quem ut ſponſum immortalem ardentiſſima charitate amat, ſuſpirat ſemper, & deſiderat. Quisquis ergo in hortum hujus electæ ſororis & ſponſæ causâ bonæ converſionis, ſtudiò ſanctæ converſationis venerit, myrrham procul dubio cum aromatibus ſuis metere deberet. Per myrrham, qua mortuorum corpora, ùt ſuprà dictum eſt, condiri ſolent, rectè mortificatio car-

nis intelligi valet. Et ideo quidnam eſt A *myrrham cum aromatibus metere*, niſi carnalia in ſemetipſo mortificare deſideria & pretioſa virtutum colligere odoramenta? Nam dum benè acuta ſalce continentiæ illecebroſas carnis delectationes ſalubriter metendo abſciderit, ſuaveolentia operum aromata uberiori fructu in ſemetipſo invenit, ſicque fit, ut præveniente divinæ inſpirationis gratia ad comedendum favum cum melle paulatim cordis palatum aperire incipiat, quemadmodum verba ſubſequentis litteræ inſinuant: ſequitur

Comedi favum cum melle meo.

Lib. II. in Evang. Hom. 24. *Favus*, ùt beatus Gregorius ait, *mel in cera eſt.* Myſtico verò intellectu quaſi mel dulciſſimum in cera ſpiritalis accipiendus eſt ſenſus latens in littera. *Favum* quippe *cum melle comedit*, qui ſenſum litteralem unà cum dulcedine ſpiritalis intelligentiæ ſuaviter maſticando in ventrem memoriæ colligit, ne animæ DEum eſurienti & deſideranti ſola ſuperficies ſicci corticis rodenda ſufficiat, verùm etiam melliflua ſuavitate latentis myſterii C. ſaginari & ſaturari ſtudeat. Quæ dum favum litteræ cum melle myſticæ ſuavitatis comederit, vinum procul dubio cum lacte ſuo bibitura erit. Unde ſequitur:

Bibi vinum meum cum lacte meo.

Pſ. 103. 15. Quoniam enim Scripturâ teſte *vinum lætificat cor hominis*, rectè per *vinum* dulce illud intelligitur poculum exultationis & lætitiæ, lætabunda videlicet gratia compunctionis intimæ, qua interdum poſt dulces favi & mellis delitias electas Electorum animas ſuaviter inebria- D. re & lætificare dignatur æterna illa ſuavitas.

Notandum verò eſt, quòd & *favus cum melle comeditur & vinum* nihilominus *cum lacte bibitur*. Nam ſicut favus exterioris litteræ, & mel ſpiritalis ſcientiæ animam eſurientem ſaginat & ſatiat: ita & ſi quem dulciſſimo compunctionis vino larga DEI manus potaverit, lac etiam cœleſtis doctrinæ miſericorditer propinando tribuit, unde abundanter potatus & ipſe ſpiritalis ſapientiæ eruditione magis ac magis proficiat, nec non A & parvulis Chriſti, quibus adhuc lacte opus eſt, lac ſalutiferæ prædicationis plenis uberibus adminiſtrare valeat.

Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore & cincinni mei guttis noctium. ℣. II.

Dilectus iſte, Sponſus videlicet & Redemptor Eccleſiæ, totus deſiderabilis, totus jucundus & amabilis, totis deſideriis, tota devotione cordis diligen-
B. dus eſt à dilecta ſua, fideli ſcilicet ac beata anima, ita ut præter hunc unicum & dilectiſſimum nil concupiſcat, nil requirat, ſed ſpeciali dilectione ipſum ſolum requirat ac diligat. Et quia in die egreſſionis illius de corpore pervigilem eam atque ſolicitam immò paratam & immaculatam invenire deſiderat, hanc in occurſum adventus ſui vocando & exhortando miſericorditer excitare non deſinit, quemadmodum hæc eadem dilecta dulcia ejusdem dilecti ſui verba exprimens ait:

C. *Vox dilecti mei pulſantis.*

Vox dilecti dilectam alloquentis ſalutifera eſt boni doctoris exhortatio. *Vox* etiam ejus eſt occulta inſpirationis ſuæ viſitatio. Nam hae gemina voce, voce ſcilicet prædicationis & voce internæ viſitationis electam & dilectam ſibi animam miſericorditer vocando monet & excitat, ut tanquam ſponſa in occurſum ſponſi gemmis virtutum ſe præparare & adornare ſtudeat. Sed quia plerumque fit, ut nee vocem ſanctæ exhortationis, nec vocem internæ allocutionis
D. ad profectum ſalutis audiat, *pulſare* tandem manu prævalida incipit, ut vel ſic pulſando in opus virtutis aſſurgere eam faciat. *Pulſat* ad oſtium dilectæ dilectus manu ægritudinis, appropinquante jam & imminente tempore mortis ejus, ut quæ prædicando & viſitando vocantem audire noluit, januam cordis & corporis tandem aperiat pulſanti, qui ait:

Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.

Aperi, inquit, *mihi* januam oris per confeſſionem, *aperi mihi* januam cordis per

per dilectionem. Januam oris in voce confeſſionis mihi dilecto tuo hoc modo aperi, ut mala occultè à te commiſſa & nondum confeſſa jam non differas confiteri: quia terminus vitæ inſtat, quem præterire nequaquam poteris, quando de omnibus his rationem reddítura diſtricto judici præſentanda eris. Vult ergo judex clementiſſimus, ut fidelis quælibet anima verè pœnitendo & humiliter confitendo ad ſalutis confugiat remedia. Nam qui nunc incunctanter per humilem confeſſionem accuſator ſuimet factus fuerit, in futuro procul dubio nullam omnino accuſationem timebit. Qui verò in præſenti confiteri injuſtitiam ſuam neglexerit, ſtatuetur ſibi quandoque illic ante faciem ſuam, ubi nullus pœnitentiæ vel indulgentiæ locus erit.

Aperi, inquit, *mihi* januam cordis per dilectionem, ut ſi minùs quàm debueras, me ſolum * ſpecioſum præ filiis hominum huc usque dilexiſti, ſi de cubili cordis tui me tantæ majeſtatis Dominum jure præ omnibus diligendum manu negligentiæ hucusque excluſiſti, nunc tandem eliminatis omnibus, quæ temporaliter diligi vel concupiſci poſſunt, me ſolum ùt ſponſum dilectiſſimum, ùt Redemptorem benigniſſimum in ſecretiora dilectionis tuæ intromittas, quatenus me ſolum diligendo, me ſuſpirando & deſiderando gaudens & exultans de carcere mortis hujus tranſeas. *Aperi*, inquam, *mihi ſoror mea* per regenerationem, *amica mea* per bonam operationem, *columba mea* per cordis ſimplicitatem, *immaculata mea* per vitæ ſanctitatem.

* *Cod.* pretioſum.

Dilectus iſte, dum dilectam ſuam nomine *ſororis* honorat & magnificat, ſpecialem illi gratiam dignitatis & honoris inſinuat. Nam ſicut frater & ſoror, qui uno patre & matre ambo ſunt progeniti, non immeritò paternæ hæreditatis cohæredes & comparticipes eſſe debent: ſic beatus & electus frater ille, qui *primogenitus in multis fratribus* eſt, (Rom. 8. 29.) gloriam & divitias paterni regni ſuis quandoque diſtribuet cohæredibus, ut regnum, quod ille cum eodem Patre ſemper habuit per coæternam majeſtatis omnipotentiam, hoc etiam beati cohæredes ſui ipſo donante poſſidere mereantur per ineffabilem adoptionis gratiam, qui per ſpiritalem regenerationem ſacri baptiſmatis adoptivi facti ſunt filii æterni Patris. Sicut enim quis nondum renatus ſacro baptiſmate filius diaboli, filius eſt prævaricationis & injuſtitiæ: ſic nimirum dum quis baptizatus in Chriſto Chriſtum induerit, cunctis pompis diabolicis per fidei confeſſionem abrenuntiaverit, filius DEI, filius reconciliationis & miſericordiæ dici & eſſe merebitur, & in adoptionem filiorum aſſumptus mirâ dignatione paternæ hæreditatis gloriâ exaltabitur.

Unde verè beata ejusdem dilecti dilecta, quæ memor profeſſionis ſuæ aſſidua recordatione ſororem ſe talis ac tanti fratris eſſe meminerit, & ſic fidei ſacramentum, quod ſuſcepit, inviolabile & incorruptum obſervare ſtuduerit, ut non tantùm *ſoror*, ejus, verùm etiam *amica, columba, immaculata* familiari quodam nomine nominari digna ſit. Ergo dum pii amoris ſtudio ſanctæ operationis exercitio innititur, ſingulari quadam familiaritate ùt anima dilectiſſima ab eodem amico diligitur. Amicos quidem ſuos hos revera conditor benigniſſimus nominat, quos benè operando, dignè converſando ſalutaribus præceptis ejus obtemperare conſiderat. Hinc etiam diſcipulis ſuis dilectiſſimis ad facienda præcepta illius ſemper paratiſſimis ait: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* (Joan. 15. 14.) Quæcunque ergo DEO digna anima per bonam operationem dilecto ſuo, ùt diximus, ſpeciali conjuncta fuerit amicitia, reſtat, ut etiam *columba* ejus per mentis ſimplicitatem dici & eſſe ſtudeat, ut videlicet pro juſtis laboribus ſuis ſolam ſolummodo æternam remunerationem ſimplici corde quærat: quia non ſimplici ſed duplici corde bona, quæ agenda ſunt, agere novit, quæ in præſenti mercedem quæſierit tranſitoriæ laudis, & in futuro obtinere ſe crediderit gaudia æternæ retributionis.

Quæ autem, ùt ſuprà commemoravimus, *ſoror* dilecti per ſacramentum regenerationis, *amica* per ſtudium bonæ operationis, *columba* per veram mentis ſimplicitatem eſſe meruerit, *immaculata* quoque ejus per vitæ ſanctitatem dignè vocari poterit. Nam januam oris & cordis tam ſuaviter vocanti, tam miſericorditer pulſanti confeſtim aperit, & expurgata à peccatorum maculis immaculatum ſpon-

ſponſum & dilectum in thalamum cordis A. cum exultatione introducit. Quid autem gaudii & exultationis & lætitiæ & jucunditatis aperienti & ſuſcipienti dilectæ dilectus jam ſuſceptus & introductus conferat, idem ipſe veraciter quaſi pollicendo inſinuat dicens:

Quia caput meum plenum eſt rore.

1.Cor. 11, 3. Ut enim ait: *Caput Chriſti* Apoſtolus *DEus*, & ideo per *rorem* tanti, tam excelſi *capitis* ſano intellectu intelligi valet inundans gratia æternæ divinitatis. Nam ſicut ros deſuper veniens refrigerando & B. irrigando terram aridam inebriat, ut multiplici ubertate fructum temporaneum proferre valeat: ſic ſuperna illa ſuavitas ſuaviſſimâ roris ſui aſperſione refrigerare & irrigare novit electos ſalvandorum animos, ut refrigerio cœleſtis gratiæ obumbrati æſtum carnalis concupiſcentiæ per peccati conſenſum non ſentiant, & divinitus irrigati ſpiritales bonorum operum fructus cum ſuavitate cordis proferant. Unde idem eſt, ac ſi jam venienti ad ſe dilectæ divitias bonitatis ſuæ proponat dicens: venire ad me dilecta & e- C. lecta mea ne timeas, quia in abundantia exultationis & lætitiæ te ſuſcipiens omne bonum tibi oſtendam, omnem in te gratiam ſuperabundare faciam: *Quia caput meum plenum eſt rore*, id eſt: Divinitas mea plena redundat eximiæ ſuavitatis dulcedine, quam ſemper viſura interminabili perfrueris beatitudine.

Et Cincinni mei guttis noctium.

Si per *caput*, ùt diximus, ſumma & vera ejus accipienda eſt divinitas, jam per *cincinnos*, tortos videlicet crines capitis rectè, ùt credimus, intelligi poſſunt D. torta nimis & afflicta membra filii hominis, qui ab his, quorum languores, dolores & miſerias miſericorditer ſanare venerat, torturas & tortiones innumerabiles patienter tolerabat. Paſſiones namque blaſphemiæ, opprobria & contumeliæ, quas ab ipſa infantia pro ſalvandis ſuis pati dignatus eſt in hac mortalitatis miſeria, dura quædam & amara nimis erat tortura. Ad ultimum verò, dum cruci eſt affixus, multipliciter & miſerabiliter torta & retorta ſunt omnia membra ſanctiſſimi corporis ejus.

Sed quantum, quàm magnum nobis fructum miſericordiæ contulerit, quòd ſic torqueri & retorqueri *cincinnos* ſuos, id eſt: membra ſua ipſe agnus innocentiæ voluerit, his verbis patenter innuit, quòd eosdem *cincinnos plenos guttis noctium* eſſe aſſerit. Nam per minutas *guttas noctium* non incongruè hoc in loco intelligere poſſumus ſubtiles incarnatæ divinitatis miſerationes, quibus miſereri ſemper & parcere ſolet impiis & peccatoribus. Eſt revera opus ſuaviter & ſubtiliter diſtillantis miſericordiæ, dum per occultam divinæ inſpirationis gratiam impius & peccator converſus fuerit à via iniquitatis ſuæ: & dum hi, quos involutos innumeris peccatorum ſordibus ultimus vitæ invenerit terminus, jam in articulo mortis divinitus inſpirati & compuncti ad lamenta pœnitentiæ confugiunt, & ſic licèt ſerò pœnitentes & confitentes nullis præcedentibus meritis, ſed gratuita DEI bonitate ſalvi fiunt. Hæ ſunt, inquam, inundantes *guttæ* ſubtilis miſericordiæ, qua peccatricem latronis animam miſericorditer dignatus eſt ſalvam facere, qui latrociniis & homicidiis crudeliter inſiſtens, factusque multorum reus criminum duro & inpœnitenti corde crucis aſcendit patibulum, & mox una tantùm voce confeſſionis & pœnitentiæ gaudia paradiſi meruit poſſidere.

Et benè *guttæ* iſtæ *guttæ* dicuntur eſſe *noctium*, guttæ, inquam, quæ ſordidas & tenebroſas abluunt maculas peccatorum. Nam ſicut tunc his ablutum guttis latronem ſerò pœnitentem dignatus eſt ſuſcipere: ſic usque in finem ſæculi per prævenientem Spiritûs ſui gratiam impios & peccatores, quorum non eſt numerus, non dedignatus eſt ſalvos facere. Et notandum eſt, quod non caput, ſed *cincinni capitis pleni* eſſe dicuntur *guttis noctium*: quia magnum & ineffabile opus pietatis, quo æterna illa divinitas, quæ per caput intelligenda eſt, genus humanum ſalvare diſpoſuit, membris humanis, quæ per cincinnos deſignantur, indutus auctor ſalutis noſtræ miſericorditer conſummavit. Unde & ſupra memoratus latro ille vocem concrucifixi Redemptoris audire meruit, dum in ea, quam aſſumpſit, carne jam moriturus delicias paradiſi eidem latroni repromittens

tens

Luc. 23. 43. tens ait: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* A.

Et quomodo homo mortalis divinæ majeſtatis vocem audire poſſet, ſi DEus, homo pro homine factus non fuiſſet? *Caput*, inquit, *meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Per caput, ut ſuprà diximus, Divinitas intelligitur, per cincinnos membra aſſumptæ humanitatis deſignantur. Unde idem eſt, ac ſi dicat: debitor juſtis ſum ex divinitate: debitor peccatoribus ſum ex humanitate. Et quomodo vel unde debitor eſt ex Divinitate? Si enim homo à bono & juſto Creatore creatus ad juſtitiam non declinâſſet, juſtitia exigente debitor illi creator ſuus ex Divinitate eſſet, quatenus cum eodem Creatore in gloria divinæ claritatis, ad quam creatus erat, permanere debuiſſet. Sed quia homo ad injuſtitiam declinans gaudia æternæ incommutabilitatis malè ſeductus perdidit, DEus homo factus debitor & juſtis & peccatoribus tam ex divinitate quàm ex humanitate aſſumpta fieri voluit: debitor inquam, ex divinitate, quia creator: debitor ex humanitate, quia redemptor. Nam quos divinitatis ſuæ potentia mirabiliter condidit, hos nimirum humanis inductus membris miſericorditer redimere voluit. B.

Et cincinni, inquit, *mei guttis noctium.* Licèt per cincinnos membra aſſumptæ humanitatis Chriſti paulò ſuperiùs intelligenda eſſe diximus, ſalvo tamen intellectu per eoſdem cincinnos ſanctos quoque Angelos deſignari credimus. Nam ſicut cincinni ornamentum quoddam ſunt capitis: ita etiam Spiritus Angelici nobile quoddam ac ſpeciale ſunt ornamentum conditoris ſui, qui licèt in ſe ipſo nullo decoris ornamento egeat, hoc tamen, dum ſic decoros, ſic glorioſos ante omnem rationalem creaturam condidit, quaſi ſplendidiſſimos, ut ita dicam, cincinnos inſigne ſibimetipſi ornamentum eſſe voluit. Qualiter verò tales tàm decori, tanti capitis cincinni pleni guttis noctium credendi ſint, tunc manifeſtè datur intelligi, ſi ea, quæ per guttas noctium paulò ſuperiùs intelligenda diximus nunc eodem ſenſu iterare curemus. Per guttas quippe occultè defluentes ſubtiles Redemptoris noſtri miſerationes accipiendas eſſe ſupra memoravimus. Et nunc eiſdem miſerationum guttis cincinnos ſuos, ſanctos videlicet Angelos plenos eſſe ſalvâ fide dicimus: quia in defenſione noſtra benigna compaſſione laborare die ac nocte non deſinunt, & egredientes de corpore animas noſtras remigio ſuarum alarum creatori repræſentare cupiunt: & quotquot illi animas juſtorum decore virtutum ornatas adducunt, quaſi tot illi ornamenta offerunt. Unde nec mirum, ſi hæc eadem beata angelorum agmina quædam conditoris ſui eſſe dicuntur ornamenta, cùm etiam homo mortalis terra & cinis ad hanc divinitatis gloriam perveniat, ut luce æternæ claritatis refulgens ornamentum regis æterni dici & eſſe valeat; quia omnis electorum multitudo nobile quoddam ornamentum quandoque erit DEO factori ſuo. C. D.

Et notandum quidem eſt & læto corde retinendum, quòd *guttis noctium*, non guttis dierum pleni eſſe dicuntur: quia licèt benigni & miſericordes cunctis ſemper adſint fidelibus, pro his tamen, qui per noctes deſignantur, pro impiis ſcilicet & peccatoribus, ſingulari quadam compaſſione benigniſſimis ſemper intervenire ſolent ſuffragiis, quatenus in præſenti de tenebris peccati & ignorantiæ liberati, in futuro plenâ mereantur felicitate jucundari, quando tunica illa, carne videlicet ſua, ſalvandus quiſque in gloria incorruptionis induitur, quâ nunc præfinito tempore mortis exſpoliatur; quemadmodum in perſona beatæ cujusque animæ continuò ſubinfertur:

Exſpoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? ℣. III.

Quidnam accipiendum eſt per *tunicam*, quâ corpus tegitur, niſi caro corruptibilis, quæ velut quoddam operimentum animæ eſſe videtur? Hanc profectò tunicam carnis immortalem & incorruptibilem recipere beata quæque anima, quæ ad ſerviendum DEO viventi & ad gaudia æterna promerenda indefeſſa ſemper illa collaborat inſtantia, nec plenum ac perfectum habere gaudium poterit, quamdiu fideliſſimum laboris ſui coadjutricem conſortem in remunerationem non habuerit. Unde idem eſt, ac ſi DEO conditori ſuo dulci quodam dicat deſiderio:

rio: exſpoliavi me corruptibili tunica carnis, qua me induiſti creator Domine: exſpoliavi, inquam, me juſſu tuo ad te veniens, & quomodo induar illa, immortalem & incorruptibilem illam recipiens? Quomodo, inquit, quo modo? quo decore & magnificentiâ charitatis & gloriæ, iterum eam, qua ſemel exſpoliata ſum, oportebit induere? Eſt revera, ùt ſpero, inæſtimabilis valde modus decoris & pulchritudinis, qua non ſolùm animas electorum, ſed etiam corpora mirabiliter glorificare tua præordinavit miſericordia, quando corpora modò corrupta & in pulverem redacta incorruptionem induerint, & quod mortale in eis eſt, à vita immortali omnino abſorptum fuerit. Sed quia juſtorum animæ hac immortalitatis tunicâ nondum recepta, plenam, ùt præfati ſumus, lætitiam habere nequeunt, plena & perfecta charitate illud verum & ſummum bonum nequaquam deſiderare poſſunt: quia dum ad reſuſcitanda & glorificanda quandoque corpora ſua jam per deſideria redeunt, a deſiderio & viſione conditoris mentis intuitum aliquantulum avertunt. Unde ſequitur:

Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Pedes, id eſt; affectus ſuos tunc anima fidelis lavit quodammodo & mundavit, quando depoſito onere carnis, carnales etiam delectationes & affectiones deſeruit. Sed nunc eosdem pedes, affectus ſuos, quaſi deſiderando inquinat, dum gloriam & immortalitatem recipiendæ carnis totis affectibus expectat & deſiderat. Nam licèt ſancta & juſta hæc eadem ſint deſideria, quædam tamen, ut ita dicam, inquinamenta ſunt animæ, quæ aciem mentis aliquantulum obnubilant, ne lumen incircumſcriptæ majeſtatis incommutabili intentione contemplari & deſiderare valeat.

CAPUT VII.

℣. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis!*

SPonſam ſuam, ſanctam videlicet Eccleſiam ſeu fidelem quamlibet animam ſponſus ille cœleſtis myſticis extollens A. laudibus initium laudationis non à capite ſumit, ſed à greſſibus eamque his verbis figuraliter alloquitur dicens: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis!* Notandus ordo Verborum eſt, quia initium bonæ converſionis myſticus inſinuat ordo laudationis: & dum pulchros in calceamentis greſſus dilectæ eſſe aſſerit, quid primum in ſe corrigere, quo ordine ad perfectionis gratiam tendere debeat, latenter innuit. Per *calceamenta* quidem, quæ ex mortuis fiunt animalibus, mortificatio carnis non incongruè videtur exprimi. Et ideo ani- B. ma fidelis, quæ ſponſa ſummi principis eſſe voluerit, neceſſe habet, ut, ſi malè vixit, primùm opera carnis deſerat & carnalia in ſe vitia mortificando greſſus ſuos, actus videlicet ſuos, pulchros facere ſtudeat, ſicque fit, ut poſt mortificationem carnis vera ſequatur caſtitas corporis, & poſt caſtitatem corporis profunda ſuccedat humilitas cordis, quemadmodum conſequentibus innuitur verbis.

Junctura, inquit, *feminum tuorum ſicut monilia.*

Pulchra valde & laudabilis hæc iſto- C. rum eſt *junctura feminum*, ubi poſt mortificationem carnis & in corpore, ùt dictum eſt, caſtitas, & in corde vera ſervatur humilitas. Et quia *monilia* à muniendo dicta ſunt, non incongruè talis junctura feminum, talis, inquam, caſtitatis & humilitatis conjunctio comparatur monilibus: quia per caſtitatem & humilitatem corpus & anima munitur à peccatis.

Sed quia homo mortalis pretioſa hæc monilia caſtitatis & humilitatis propriis aſſequi non valet meritis, ſatis dignè D. hæc eadem monilia *fabricata* eſſe dicuntur *manu artificis*, id eſt: auxilio & virtute individuæ Trinitatis. Nam ſummus ille artifex DEus Pater eſt: manus verò ejusdem artificis DEus Filius, fabricator quoque eſt Spiritus Sanctus. Poſtquam verò anima fidelis eo ordine proceſſerit, quòd videlicet carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis mortificaverit, manuq; ſummi artificis monilibus caſtitatis adornata fuerit, fit profectò in ea per miſericordiam DEI, quod idem ſponſus ſubjungens ait:

Umbi-

℣. II. *Umbilicus tuus ſicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis.*

Per *umbilicum* utique, qui, ùt beatus Gregorius ait, locus infirmitatis eſt, cor propriæ infirmitatis memor non inconvenienter, ùt arbitramur, valet intelligi. Nam dilecta dilecti, licèt eo modo, ùt dictum eſt, profecerit, conſcia tamen fragilitatis ſuæ præteritorum, quæ commiſit, peccatorum memor eſſe non deſinit. Unde & *umbilicus* ejus non ſolùm *crater* ſed etiam *crater tornatilis* dicitur. Nam ſicut crater ideo tornatur, ut ſuperflua quæque & inutilia tornando abſcindantur: ita quoque jugis recordatio peccatorum omne ſuperfluitatis vitium ſalubri tornatione amputare ſolet.

Lib. XXXII. Moral. cap. 14. init.

Hic etiam crater tornatilis *nunquam* erit *indigens poculis*. Nam quisquis peccata jam præterita aſſidua recordatione ante oculos mentis habuerit, *poculum* compunctionis; *poculum* lachrimarum, quibus eadem peccata deflere & abolere valeat, DEO donante plerumque habere poterit. Et quid poſt hanc aſſiduam peccatorum recordationem, quid poſt hæc ſalutiferæ compunctionis pocula niſi dulcis ſuccedit Scripturarum memoria? Unde ab eodem ſponſo ſubinfertur:

Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis.

Per *ventrem* memoria, per *acervum tritici* teſtimonia Scripturarum non injuſtè videntur intelligi. Nam ſicut homo exterior paſci ſolet tritico: ita homo interior ſpiritali Scripturarum enutritur pabulo. Hoc nimirum fructuoſum Sanctæ Scripturæ triticum dum anima fidelis in ventrem tenacis memoriæ coacervare non deſinit, ſemetipſam quodammodo ſalubri tritico paſcit ac reficit.

Et benè *venter dilectæ liliis vallatus* dicitur. Nam mens divinis coacervata teſtimoniis candorem & decorem interioris percipiet pulchritudinis. Quæ verò hujusmodi acervum tritici colligere in ſemetipſa negligens vanas ac ſordidas in ſe cogitationes colligit, liliali virtutum candore refulgere non poterit. Ubi autem vel unde anima DEum diligens ac liliis virtutum vallari cupiens prædictum tritici acervum colligere debeat, verba laudantis ſponſi conſequenter inſinuant, *Duo*, inquit, *ubera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.* ℣. III.

A. *Duo ubera* duo ſignificare videntur Teſtamenta, quæ non incongruè, ùt putamus, *hinnulis capreæ* comparari poſſunt. Nam ſicut hinnulus currendo eſt agilis, & ſicut caprea perſpicaces habet oculos: ita dilecta DEO anima, quæ aſſiduè duobus utriusque Teſtamenti lactatur uberibus, agilis ad bona facienda, perſpicax efficietur ad bona intelligenda.

B. Et quid eſt, quòd non unus, ſed *gemelli* eſſe dicuntur *hinnuli*, niſi quòd per hæc duo Teſtamenta maximè edocetur geminam charitatem DEI & proximi, quæ, dum, ùt diximus, ad agilitatem bona faciendi, ad perſpicacitatem bona intelligendi pervenerit, dum geminam dilectionem erga DEum & proximum habere ſtuduerit, magis magisque ad ſe intra ſe rediens, qualis apud ſe intrinſecus ſit, manifeſtiùs recognoſcere & humiliùs confiteri incipit? Unde ſequitur:

Collum tuum ſicut turris eburnea. ℣. IV.

C. Quoniam per *collum* verba loquentis exeunt, non immeritò, ùt æſtimamus, puram & humilem peccatorum confeſſionem per collum intelligere poſſumus: quia poſt veram ſumet cognitionem quaſi primùm accuſatrix ſui eſſe incipit, & non ſolùm ea, quæ opere & ſermone commiſit, verùm etiam minimas cogitationum maculas confitendo expiare contendit. Et quare *turri eburneæ* comparatur confeſſio? Sicut enim turris fortis eſt & valida; ita etiam in confeſſione fortitudo multùm eſt neceſſaria, ne forte mala, quæ commiſit, confiteri homo pertimeſcat, aut erubeſcat tam Prælato in confeſſione, quàm & DEO in oratione. Et quare *turris*

D. dicitur *eburnea*, niſi quòd per veram confeſſionem anima confitentis caſta efficitur & munda? Sed quia humilem confeſſionem & veram pœnitentiam aſſidua lachrymarum compunctio plerumque ſequitur, non injuſtè adhuc in laude ejusdem ſponſæ ſubjungitur:

Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.

Per *Heſebon*, quod interpretatum dicitur *cingulum mœroris*, dolorem aſſiduæ contritionis & pœnitentiæ non inconvenienter ſignificari credimus. Et ideo oculi humiliter pœnitentis *ſicut piſcinæ*

ſunr *in Heſebon*: quia, dum mens dolore A. veræ pœnitenriæ attacta fuerit intrinſecùs, oculi exteriores amaras effundunt compunctionis lachrymas.

Quæ ſunt, inquit, *in porta filiæ multitudinis.*

Lachrymæ & gemitus hujusmodi pœnitentis quaſi *in porta ſunt filiæ multitudinis*: quia non unam de perfectis eſſe ſe æſtimat, ſed quaſi *in porta*, id eſt: in primo introitu converſionis ſit: & quaſi ſit *multitudinis*. una, dico, ex his, qui multis criminalibus involuti ſunt vitiis, ſic ſe ipſam in oculis ſuis deſpicit, ſic aſſiduis pœnitentiæ lachrymis peccata ſua deflere non deſinit, ſicque fit, ut hac humili contritio- B. ne ad tantam mentis eminentiam perveniat, ut ſubtiles etiam cogitationes cordis ſui diligenti examinatione diſcernere ſtudeat. Unde ait:

Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

Per *naſum* utique odorem bonum ſive malum diſcernimus. Et ideo per *naſum* aptè intelligi valet virtus diſcretionis. Et ſicut in præcedenti verſu turri eburneæ comparata eſt confeſſio: ita in præſenti *turri libani* comparatur diſcretio. Nam ſicut homo verè confitens, ita & homo diſcernens magnâ opus habet fortitudine C. mentis. Et revera fortis, qui ſubtilitatem cogitationum ſuarum tàm diſcreta circumſpectione cuſtodire novit, ne bona malis, ne vera falſis intermiſceat, ne vitia (pro) virtutibus recipiat, quæ ſe falsâ honeſtatis ſpecie plerumque palliant. Et revera fortis, qui in labores ſuos, orationes, inquam, vigilias, & jejunia diſponit & ordinat, quatenus DEO inſpectori cordium placeant, & hominibus hæc eadem videntibus non causâ ſcandali, ſed causâ ædificationis fiant. Talis nimirum virtus & fortitudo benè *turris libani* dicitur. Nam *libanus candidatio* interpretatur: quia de vera fortitu- D. dine diſcretionis, de provida cogitationū cuſtodia vera proveniet candidatio mentis.

Quæ reſpicit, inquit, *contra Damaſcum.*

Per *Damaſcum*, quod interpretatum dicitur *ſanguinem bibens*, ſanguinem & paſſionem Domini Salvatoris ſatis dignè ſignificari credimus. Et quid eſt *contra hunc Damaſcum reſpicere*, niſi paſſionem & mortem benigni Redemptoris mentis oculis frequenter anteponere? Dum enim virtute diſcretionis & cuſtodia cogitationum mens dilectæ, ùt ſupra diximus, candidata fuerit, diligenti intuitu ſemper ad hoc intendit & reſpicit, quid pro redemptione illius DEus creator moriendo, ſanguinem ſundendo pati dignatus ſit, & quid pro tanta miſeratione, pro tantis beneficiis digna imitatione reſpondere debeat. Sic, ſic contra hunc Damaſcum reſpiciens, paſſionem videlicet ac mortem ipſius imitari cupiens ipſas etiam intentiones cordis ſui ſolicita inquiſitione diſcutere nititur, quemadmodum voce ipſius ſponſi continuò ſubjungitur: ℣. V.

Caput, inquit, *tuum ſicut Carmelus, coma capitis tui ſicut purpura regis juncta canalibus.*

Per *caput*, ùt putamus, intentio mentis intelligitur: *Carmelus* verò *ſcientia circumciſionis* interpretatur. Bonam utique & laudabilem circumciſionis habet ſcientiam, qui ſic *caput*, id eſt: intentionem ſuam circumcidere novit, ut pervigili cordis cuſtodia ſemper retractet & conſideret, quâ intentione, quâ deliberatione animi ſingula quæque dicat & faciat, ſi de his, quæ dixerit aut fecerit, ſoli DEO placere appetat, ſi utilitati proximorum ſimplici corde dictis & factis ſuis provideat. Quòd ſi quid imperfectionis vel duplicitatis admixtum eſſe deprehenderit, neceſſe habet, ut præacuto ferro pœnitentiæ ſummopere illud conetur circumcidere: Sic namque capite, id eſt: intentione mentis ſcienter & diligenter circumcisâ, ipſæ quoque *coma capitis*, id eſt: cogitationes intentionis erunt *ſicut purpura regis.*

Quod ſuperiùs per Damaſcum, hoc etiam hoc in loco *purpuram regis* ſatis dignè intelligere poſſumus, paſſionem ſcilicet ac mortem Domini noſtri Salvatoris. Et quomodo cogitationes & voluntates intentionis erunt *ſicut purpura regis?* Hôc nimirum modô: dum ſemper ad hoc cogitat & intendit, dum omnem ad hoc voluntatem ſuam dirigit, qualiter purpura æterni regis adornari, id eſt: qualiter paſſionem & mortem Chriſti virtutum operatione imitari poſſit. Et quare purpura regis *juncta eſt canalibus*? Per *canales*, qui aquam portant, lachrymas compunctionis non injuſtè ſignificari credimus. Et ideo purpura regis benè *canalibus juncta* dicitur. Nam ubi dominicæ paſſionis ac mortis frequens recordatio & aſſidua erit imitatio, ibi quoq; in dulcedine orationis aſſiduæ non deerunt lachrymæ compunctionis,

nis. Unde dum eo ordine, ùt prædiximus, dilecta dilecti profecerit, dum per intentionis puritatem, dum per dominicæ paſſionis recordationem & imirationem gratiam intimæ dulcedinis in oratione habere meruerit, majora adhuc laudis præconia ab eodem dilecto auditura erit. Nam ſequitur:

℣. VI. *Quàm pulchra & quàm decora es Chariſſima in deliciis.*

Ac ſi dicat: *pulchra es* in oculis meis ô dilecta in puritate intentionis, *decora* in perfectione operationis, *chariſſima* in dulcedine orationis.

CAPUT VIII.

℣. VI. *Pone me ùt ſignaculum ſuper cor tuum, ùt ſignaculum ſuper brachium tuum.*

SPonſus ille cœleſtis ſponſam ſuam, univerſam ſcilicet Eccleſiam ſeu fidelem quamlibet animam, ſive multitudinem bonorum in amore ejuſdem ſponſi congregatam, ad affectum intimæ dilectionis, ad ſtudium bonæ operationis magis magiſque excitare volens, verbis his eam alloquitur dicens: *Pone me ùt ſignaculum ſuper cor tuum, ùt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Per *cor* vera & perfecta dilectio, per *brachium* bona & virtuoſa intelligenda eſt operatio. Et quia hæc duo, perfectam ſcilicet dilectionem & bonam operationem dilectus à dilecta exigit, ad hæc etiam exequenda ſic eam exhortans ait: *pone, inquit,* ô dilecta mea dilectum tuum ſpeciale *cordis tui ſignaculum*: ſic, inquam, ſignum fidei & dilectionis meæ ſigillo cordis tui inprimas, ut non alieno, non extraneo, ſed mihi ſoli ſponſo & amico fideli cor tuum aperias. Et quia perfectam dilectionem perfecta ſequi debet operatio, ſic me *ſignaculum ſuper brachium tuum* ponere ſemper ſtudeas, ut pro exteriori operatione non gloriam tuam ſed meam quæras,

Et quare iſta à te ô dilecta exigo, niſi quia *fortis ùt mors eſt dilectio?* Fortis eſt, inquam, ut mors dilectio, quam tibi ego dilectus tuus exhibui, dum mortem turpiſſimam pro te in crucis patibulo pertuli. Nam ſicut mors animam ſeparat à corpore: ſic dilectio, qua te dilectam dilexi, ad hoc me impulit, quòd cauſâ ſalutis & redemtionis tuæ anima mea ſeparari à corpore voluit. Hac ni-

A. mirum dilectione forti & inæſtimabili ego quoque hanc à te dilectionem promerui, ut me ſolum ſponſum & dilectum tuum integra & inviolabili fidei devotione diligas, & uſque ad mortem fortiter & conſtanter in dilectione mea permaneas.

Hæc quidem dilectio, qua te uſque ad mortem dilexi, magna & admiranda fuit: ſed ad redemptionem tuam ſufficiens eſſe non potuit. Unde (ut) ad redemptionem tuam abundanter ſufficere poſſet diligentis dilectio, facta eſt velut *infernus* compatientis *æmulatio. Æmulatio,* B. inquam, ô dilecta, quam pro te habui, qua miſericorditer compaſſus ſum tuæ perditioni tuiſque miſeriis, *dura* mihi facta eſt *velut infernus.* Nam ſicut cauſâ dilectionis tuæ mortem crucis ſubire volui: ita etiam nimio devictus zelo pietatis & miſericordiæ ad inferni clauſtra pro te non dedignatus ſum deſcendere. Sicut enim homo pro homine factus omnes humanæ mortalitatis expertus ſum dolores, anguſtias & miſerias: ſic peracta diſpenſatione paſſionis ac mortis, potentiâ divinitatis meæ infernum debellaturus intrare volui, C. ut oculo ineffabilis miſericordiæ præſentialiter videre & experiri poſſem, quantam in domo carceris, quantam in tenebris infernalibus paſſa ſis afflictionem & miſeriam. Et quia te illi duriter captivatam ab injuſto amatore, duriter oppreſſam ab iniquo Dominatore cognovi, ego quoque duram apud inferos pro te æmulationem exercui, ita ut captivantes te potenti dominatione in captivitatem redigerem, & affligentes te zelo juſtæ ſeveritatis affligerem. Sed unde tam fortis, ùt prædiximus, dilectio, tam dura eidem dilecto pro dilecta ſua D. ſit æmulatio, manifeſtè in conſequentibus ejuſdem dilecti declarat ſententia.

Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

Lampades quoque electæ & dilectæ hujus Eccleſiæ, quæ ſedens in tenebris & umbra mortis tempus expectabat redemptionis & gratiæ, ſano intellectu laudabilis ille accipiendus eſt Patriarcharum & Prophetarum numerus, qui fortiter ardentes in dilectione DEI, ſuaviter lucentes charitate proximi digna comparatione *lampades ignis atque flam-*

marum poſſunt appellari. Nam ſicut ignis inviſibilis ardet & æſtuat: ita & iſti igne divinæ charitatis ardenter ſuccenſi flagrabant: & ſicut flamma lucens illuminat tenebras, ita & iſti luce bonæ operationis & verbo ſanctæ exhortationis proximorum illuminabant animas. Et quia ardentes & lucentes iſtæ lampades in uno eodemque geminæ charitatis ardore ſemper erant inextinguibiles, laudabilis illarum perſeverantia, mira atque fortis eorum conſtantia verbis commendatur ſequentibus:

℣. VII. *Aquæ*, inquit, *multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

Aquæ multæ multiplices accipiendæ ſunt concupiſcentiæ ex carne propria homini naturaliter ingenitæ: *flumina* verò fluxæ ſunt delectationes à malignis ſpiritibus occulta ſuggeſtione illatæ. Et quia irruentibus validis concupiſcentiarum aquis, inſurgentibus variis delectationum fluminibus vera & perfecta geminæ charitatis virtus nec extingui nec obrui in ſuprà dictis valebat lampadibus, ipſe univerſitatis conditor excellentiorem eis adhuc ſuæ charitatis abundantiam repromittit dicens:

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ, quaſi nihil deſpiciet eam.

Notandum ſpiritali eſt intelligentia, quæ *omnis* ejus *ſubſtantia*, aut quæ ſit *domus ſua*. *Homo* iſte, nobiliſſimus homo, Chriſtus JEſus ſatis dignè intelligitur, in quo velut in domo electiſſima *omnis inhabitabat plenitudo divinitatis corporaliter*: *omnis* verò dulciſſimæ *domus* hujus *ſubſtantia* ſanctiſſimum erat corpus ejus & anima. Hanc ergo tantæ majeſtatis ſubſtantiam, id eſt: corpus ſuum & animam jam longè ante promiſit pro ſuis ſe daturum fidelibus immaculatus perpetuæ Virginis Filius, ut videlicet ſanctiſſimum corpus ſuum flagellis, paſſioni ac morti traderet, & pro multarum redemptione animarum ſuam poneret. Quia dum ſic omnem ſubſtantiam ſuam dedit, dum ad inferos cum potentia divinitatis deſcendit, impletum eſt, quod conſequenter ait:

Coloſſ. 2. 9.

Quaſi nihil deſpiciet eam.

Quidnam eſt: *deſpiciet*, niſi deorſum in inferno aſpiciet? Et quis illic eam aſpiciet, niſi is, qui *quaſi nihil* eſt? *Quaſi*

A. *nihil* & inane hoſtis ille maligniſſimus rectè dici poterit: quia ad verum & æternum eſſe non tendit. Et tamen purum eſſe abſolutè non dicitur, ſed cum additamento: *quaſi nihil*, eò quod omninò non pereat, ſed ſemper ad hoc eſt & vivit, ut malo * malè ſit. Hic etenim talis tam iniquus & profanus, qui *quaſi nihil* eſt, regem gloriæ victorioſſimum, triumphatorem mortis potentiſſimum *deſpexit*, id eſt: deorſum in inferno aſpexit, ante cujus conſpectum hominem diu captivum jam redditurus contremuit, & quem inter homines humiliter converB. ſantem elatus contempſit, tunc in augmentum doloris & damnationis ſuæ cum timore & tremore maximo vidit. Hæc ſunt revera verba conſolationis & gratiæ, quam longè antè, ùt prædiximus, electis ſuis repromiſit miſerator dominus, quam etiam adimplere miſericorditer dignatus eſt in plenitudine temporis. Qui dum victor glorioſus dilectam electorum multitudinem ad paradiſi reduxit gaudia in voce exultationis & lætitiæ, beata Angelorum acclamabant agmina.

* *Cod.* malè malè ſit.

C. *Soror noſtra parvula eſt, & ubera non habet.* ℣. VIII.

Soror, inquiunt, *noſtra*, amator hominum benigniſſime, quam magno redemiſti pretio, pretioſo ſcilicet ſanguine tuo, licèt magna coram te ſit ex magno magnarum virtutum merito, *parvula* tamen nobis eſt in numero: quia cum ipſa & per ipſam adimpleri nequaquam poterit noſtri ordinis diminutio. *Soror* quidem *noſtra* eſt: quia tu Domine conditor univerſorum hanc, ſicut & nos, mirabiliter condidiſti, & nunc malè ſeductam D. gratuita bonitate mirabiliùs reformâſti, & cohæredem & comparticipem regni tui una nobiſcum eſſe voluiſti. Sed tamen hæc eadem *ſoror noſtra*, ùt diximus, *parva* eſt & exigua, nec diminutum ordinem noſtrum redintegrare valet, eò quod *ubera non habet*. Quid hoc in loco rectiùs per *ubera* valet intelligi, quàm prædicatores verbi DEI? *Parvula* quodammodo Eccleſia ſancta ante adventum Spiritûs Sancti fuiſſe *nec ubera habuiſſe* dicitur: quia admodum pauci erant, qui teneram fidei ejus infantiam lacte prædicationis nutrire ſcirent aut valerent, quia nondum adve-

nientis

nientis Spiritus Sancti gratia ſuæ pingue- A. dinis rore prædicantium replevit ubera. Unde angelici illi ſpiritus ejusdem ſororis ſuæ benigniſſimi deſenſores jam ſuperventuram Spiritus Sancti gratiam pollicentur dicentes:

Quid facimus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?

Verba hæc verba ſunt congratulationis angelicæ, qua congaudent & congratulantur ſorori ſuæ, naſcenti ſcilicet & adhuc lactenti Eccleſiæ. Unde idem eſt, ac ſi dicant: Scimus, quòd facturi ſimus ſorori noſtræ, quæ tenera hucusque erat B. & parvula, nec maternæ conſolationis & exhortationis habebat ubera: ſcimus, quale ei auxilium præbituri ſumus in die quando adveniente Spiritu Sancto alloquenda erit novis & variis linguis apoſtolicæ prædicationis, quando lactanda erit uberibus Evangelicæ exhortationis. In illo utique die illuminationis & gratiæ tam in prælatis quàm ſubditis aſſiduum illi non deerit auxilium noſtræ defenſionis.

Si murus eſt, inquit, *ædificemus ſuper eam propugnacula argentea.* C.

Per *murum*, qui multorum collectione lapidum conſtruitur, collecta & congregata in Chriſto bonorum multitudo ſubditorum non inconvenienter intelligitur, ſuper quos cæleſtes illi ſpiritus benigno & fideli miniſterio ædificare ſe *argentea* pollicentur *propugnacula*. Per argentum, quod purgatum & examinatum, purum & ſonorum reddit tinnitum, pura & benè ſonans accipienda eſt ſcientia Scripturarum: per *argentea* verò *propugnacula* puræ & ſubtiles intelligendæ ſunt D. Scripturarum ſententiæ, quas benigni illi deſenſores noſtri, ſancti videlicet Angeli bonis quibusque prælatis occulta ſuggeſtione ſuaviter inſtillando ſubminiſtrant, quibus corda ſubditorum ſalubriter exhortando ædificare valeant, mentesque audientium bonas eis immittendo cogitationes quodammodo præparant, quatenus ad audiendum verbum DEI magis magisque capabiles fiant. Qui dum talibus præmuniti fuerint propugnaculis, dum myſticis & ſpiritalibus imbuti fuerint ſententiis, firmiſſima procul dubio in ſemetipſis *ædificant* virtutum *propugnacula*, quibus repellere à ſe ignea valeant antiqui hoſtis jacula. Et quia talis ædificatio nequaquam ſine angelico fit miniſterio, aptè quidem ipſi angelici ſpiritus talia ſe affirmant ædificare propugnacula in ſubditorum cordibus. Qui dum ſic peregrinanti ſorori ſuæ in bonis quibusque ſubjectis provideant, videamus, quanta defenſionis benignitate prælatis ejusdem ſororis tam in proſperis quàm adverſis ſemper aſſiſtant.

Si oſtium, eſt, inquiunt, *compingamus illud tabulis cedrinis.*

Per *oſtium*, ſine quo liber in domum non patet introitus, dignos DEO quoque prælatos non inconvenienter intelligere poſſumus, ſine quorum ducatu nullus ad fidem perveniet Catholicam, nec vitam ingredietur æternam. Qui dum ſubjectæ plebi verbo ſanctæ prædicationis regni cœleſtis introitum aperiunt, quid aliud quàm evidens ſalutis *oſtium* ad vitam ingredientibus fiunt? Hoc profectò oſtium humanæ ſaluti maximè neceſſarium angelicæ virtutes quaſi janitores providi conſtringere & *compingere* benigna moliuntur ſolicitudine, ne lux tranſitoriæ laudis per malè apertas oſtii hujus rimos inani fulgore ſplendeat, ne irruens ventus adverſitatis à ſoliditate rectitudinis ſtatum mentis dejiciat.

Solet namque de profectibus ſubditorum refulgere in cordibus prælatorum malè ſplendida lux inanis gloriæ: Solet etiam pro terrenis lucris & commodis contrarius inſurgere ventus avaritiæ. Unde ſummopere curat pervigil cuſtodia beatorum ſpiritum *tabulis cedrinis* fortiter *compingere* ſupra memoratum illud *oſtium* Eccleſiæ. Per *tabulas cedrinas* decoras & inputribiles Sancti & Electi, qui nos præceſſerunt accipiendi ſunt Patres, qui nobilitate morum præclari, meritorum dignitate præcipui nulla ſunt lethali vitiorum putredine corrupti vel contaminati, ſed velut ligna cedrina inputribilia, imitabile bonæ converſationis exemplum, ſpiritale ſanctæ exhortationis documentum, piè in Chriſto vivere volentibus reliquerant, qualiter ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus immaculatos & incontaminatos ſemetipſos cuſtodire debeant.

Horum utique imitatione provocati reſtores Eccleſiæ, dum verbis & exemplis illorum informari & inſtitui ſatagunt, quaſi tabulis cedrinis ſemetipſos quodammodo firmiter conſolidant & compingunt, ne carnali vitiorum putredini ſubjaceant, ne luce humani favoris clarificari & magnificari gaudeant, ne vento avaritiæ domum mentis impelli aut everti permittant. Sic, ſic benigniſſimo Angelorum præſidio oſtio illo, de quo jam dictum eſt, *tabulis cedrinis compacto* & conſolidato, ſic etiam ſuper murum, ſuprà memoratum, argenteis ædificatis propugnaculis audiamus, quid prædicta B. ſoror illa quondam parvula & non habens ubera, nunc verò magnificata & dilatata beatis ſpiritibus in voce exultationis reſpondeat, quantam dignitatis gratiam, quantam divinæ benignitatis providentiam tam in prælatis quàm ſubditis ſe adeptam eſſe gaudeat.

℣. X. *Ego*, inquit, *murus, & ubera mea ſicut turris.*

Ego, inquam, mater Eccleſia de vivis & electis lapidibus ad inſtar muri C. ſpiritaliter ædificata & compoſita veſtris adjuta præſidiis ô ſpiritus Angelici, benigniſſimi defenſores mei, merui habere ſuper me, id eſt: in ſuperiori meo, in ſenſu & intellectu meo propugnacula argentea benè ſonantia, ſcilicet divinarum Scripturarum teſtimonia, quibus interiùs quaſi ſpiritalibus præmunita propugnaculis fortiter & viriliter carnalibus reſiſtere ſciam vitiis & concupiſcentiis.

Et ubera mea ſicut turris.

Ubera, inquam, *mea*, id eſt: doctores mei, qui me lacte maternæ exhortationis nutriunt, quod occulta adminiſtratione veſtra deſuper infuſum ſuſcipiunt, facti ſunt quodammodo fortes & immobiles *ſicut turris*: quia robuſti in ſemetipſis, & conſtantes virtute animi à via veritatis & juſtitiæ facilè moveri nequeunt, & me quoque in ſubjectis ſibi verbo ſanctæ prædicationis & clypeo aſſiduæ orationis a peccatis & hoſtibus defenſare non deſinunt. Sed unde, vel à quo tanta mihi gratia tam ineffabilis collata eſt gloria, quòd *ego murus & ubera mea ſicut turris.*

Ex quo facta ſum, inquit, *coram eo quaſi pacem reperiens.*

Pacem & concordiam, quam in primo parente omne genus humanum perdidit, jam ſponſa ſponſi, ſancta videlicet Eccleſia, coram eodem ſponſo *reperit*, quando deſtructo inimicitiarum pariete, omnia, quæ in cœlo ſunt & in terra, pacificare dignatus eſt ſanguine ſuo. Nondum enim hac pace reperta *murus* eſſe potuit, nec *ubera* ad inſtar *turris* habuit: quia adhuc vivi & electi deerant lapides credentium, quibus ædificaretur & ſalutaris deerat doctrina prædicantium, qua nutriretur. Sed quia nunc & murus eſſe, & ubera habere meruit, ſaluti & honori ejus lætabunda ſodalium multitudo concordat & dicit:

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

Quinam ſodales iſti ſunt niſi ſupra memorati illi defenſores noſtri ſpiritus videlicet angelici, qui ſemper ab initio humanæ congratulabantur redemptioni & ſaluti? Unde & in hoc loco congratulationem illorum Salomon in Spiritu Sancto providens quaſi in perſona ipſorum gratulabundus ſubjungit dicens:

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.

Vero etenim *pacifico* noſtro mediatori DEI & hominum JEſu Chriſto *vinea* quondam electa in antiquis fuit patribus ante legem, & ſub lege eundem pacificum in carne venturum expectantibus. Sed hæc eadem *vinea*, ſancta videlicet Eccleſia, quæ tunc unum tantummodo populum habuit Judaicum, nunc dilatata & magnificata quaſi duos *habet populos* Judæorum & gentium, & pro his, qui per fidem ex utroque ſalvandi ſunt populo, hujuſmodi facta eſt Angelorum congratulatio. *Vinea* inquiunt,

quiunt, *fuit pacifico in ea, quæ habet populos.* Ac ſi beati dicant ſpiritus: verus noſter pacificus, qui pacem & concordiam inter nos & homines reformavit, hucusque notus tantùm in Judæa quaſi unam vineam, id eſt: Synagogam habuit: & nunc per redemptionem paſſionis & mortis ſuæ tam ex Judæis quàm ex gentibus innumeros ſibi acquiſivit credentium populos, ex quibus in amore fidei unam ſibi copulavit ſponſam, ſanctam ſcilicet Eccleſiam, quam etiam *cuſtodibus tradidit* pervigili cuſtodia cuſtodiendam. Unde ſequitur:

Tradidit eam cuſtodibus.

Et quibus *tradidit eam cuſtodibus* niſi ipſis, qui hæc eadem gratulando dicunt, angelicis videlicet ſpiritibus? Hi profectò peregrinantem in hoc ſæculo Domini ſui ſponſam, univerſam ſcilicet Eccleſiam aſſidua protectione cuſtodiunt, & migrantem ex hujus incolatu ſæculi eidem Domino ſuo perpetuò coronandam offerunt.

C. Sunt etiam alii quidam cuſtodes, id eſt: ſancti & perfecti doctores Eccleſiæ, quorum curæ & providentiæ hanc eandem Eccleſiam cuſtodiendam A. tradidit, quatenus provida illorum circumſpectione, continuâ ipſorum exhortatione ab hoſtili malignorum ſpirituum incurſione cuſtodiri valeat. Et quia eosdem cuſtodes perfectos in bona operatione, perfectos etiam in ſpiritali eſſe oportet ſcientia, audiamus, quid in conſequentibus Evangelica illis repromittat congratulatio:

Vir, inquit, *affert pro fructu ejus mille argenteos.*

Millenarius namque perfectus eſt B. numerus. Et ideo per *mille argenteos* perfectam ſcientiam & perfectam operationem non inconvenienter intelligere poſſumus, quam beatus *vir* iſte, ſponſus ſcilicet Eccleſiæ, *pro fructu* eidem ſponſæ ſuæ jam dictis affert cuſtodibus, ut perfecti in ſcientia, perfecti in operatione ſic illi verbis & exemplo præeſſe & prodeſſe ſtudeant, quatenus dignos fidei & virtutum fructus beato & dilecto viro ſuo fructificare valeat.

Digitized by Google

VEN. IRIMBERTI ABBATIS ADMONTENSIS

Ord. S. Bened.

LIBER DE DECEM ONERIBUS

In quædam Capita Iſaiæ,

Nunc primùm è MS. Cod. Inclyti Monaſterii Admontenſis erutus à R. P. Godefrido Depiſch, Benedictino Mellicenſi.

INCI-

INCIPIT EXPOSITIO SUPER DECEM ONERA

PROLOGUS.

OMnis homo quia decem ſenſibus, quinq; videlicet in anima, quinq; in corpore abundat, quibus & per quos decem Domini præceptis nonnunquam eheu! contrarius exiſtens miſeram animam ſuam miſerabiliter gravat, & onerat, decem nobis in libro ſuo electus Domini Propheta Iſaias onera præſcribit, quibus humerum cordis & corporis viriliter ſupponere debeant, qui ab oneribus peccatorum per decem interioris exteriorisque hominis ſenſus contractis Divinæ pietatis manu lævigari, ac exonerari deſiderant. Sed & ad diſtinguenda hæc eadem onera quaſi ad decem Regionum loca & populos transſcribit, atque unicuique loco & populo onus ſibi conveniens figurativè attribuens ita adoritur dicens:

CAPUT I.

In Cap. XIII. Iſaiæ. *Onus Babylonis, ſeu verè pœnitentium.*

℣. I. *Onus Babylonis.*

PEr *Babylonem*, quæ interpretatur *confuſio*, ſive præſens ſæculum, ſive univerſi homines accipi poſſunt, qui confuſione peccatorum dejecti injuſtos ſe atque peccatores recognoſcunt. Talibus ſiquidem jam dictus Propheta onus quoddam, onus ſcilicet converſionis, quod eſt initium ſalutis, imponit. Sub quo etiam qualiter vivere debeant, continuò manifeſtat:

℣. II. *Super montem caliginoſum levate ſignum, & exaltate vocem, levate manum, & ingrediantur portas duces.*

A. *Ego mandavi ſanctificatis meis, vocavi fortes meos in ira mea exultantes in gloria mea.* ℣. III.

Caliginoſi montis nomine hoſtem antiquum, principem utique tenebrarum non injuſtè poſſumus intelligere. Qui propter altitudinem ſuperbiæ non modo mons, ſed & *mons caliginoſus* jure nominatur: quia univerſos, qui ei conſentiunt, in præſenti vita tenebris involvit peccatorum, & poſt hanc vitam ad caliginem mortis, tenebrasque æternorum ſecum detrahet ſuppliciorum. *Super* hunc *montem caliginoſum levandum* nobis eſt *ſignum*
B. converſionis, *exaltanda vox* confeſſionis, *levanda manus* bonæ operationis: quia ad expugnandum eum & ſuperandum non ſola ſufficit converſio, niſi vera peccatorum ſequatur confeſſio. Poſt levatum ſignum converſionis, & exaltatam vocem confeſſionis reſtat, ut etiam *manus levetur*, hoc eſt, ut in omnibus DEO placitis actibus ſtrènuè ſe ipſum homo exercere conetur.

Sed quia nec hoc homini ad perfectionem tendenti ſufficit, niſi omni etiam cœleſti doctrinæ cor & corpus humiliter
C. adegerit, rectè ſubjungitur: *Et ingrediantur portas duces. Duces* dicuntur, qui exercitum ducunt. Et per *duces* boni quique Prælati aptè intelligi poſſunt, qui exercitum Domini doctrina & exemplo præeunt, & contra hoſtis antiqui jacula ſolicitè inſtruunt, armant, & muniunt. Iſti ſanè duces tunc quodammodo quaſi *portas ingrediuntur*, quando interiores & exteriores ſenſus ſubditorum, quos per *portas* intelligimus, monitis illorum & doctri-

doctrinis ſuaviter per gratiam DEI ape- A. riuntur.

Sed quia hæc, quæ de levando ſigno converſionis, de exaltanda voce confeſſionis, de levanda manu bonæ & perfectæ operationis dicta ſunt, difficilia valde & laborioſa eſſe homini Propheta in Spiritu Sancto prævidit, rectè, antequam in verba jam dictæ exhortationis & cœleſtis doctrinæ prorumperet, præmiſit: *Onus Babylonis*. Ac ſi diceret: Onus iſtud laborioſæ, ſed fructuoſæ, difficilis, ſed ſalubris, ſpiritalis perfectionis, quod dicturus, quod docturus ſum, illos ſuſcipere, illos portare convenit, qui *in Babylone*, B. hoc eſt: qui in confuſione peccatorum ſorduiſſe ſe recognoſcunt, qui ſub *monte caliginoſo*, diabolo videlicet ſuperbo ac tenebroſo durè oppreſſi contrarios Divinæ voluntati ſe extitiſſe dolent, & ingemiſcunt. Onus quidem eſt, ſed ut libenter ſuſcipiatur, ſtrenueq; portetur, verbis ſequentibus miſericors Dominus illud lævigare atque commendare nobis dignatur.

Ego**, inquit, **mandavi ſanctificatis meis, vocavi fortes meos in ira mea exultantes in gloria mea.

Ac ſi dicat: Non alienus quis vel extraneus, ſed *ego* Dominus creator veſter & liberator, *ego* ſalutis veſtræ amator *mandavi ſanctificatis meis*, illis utique, quos mira diſpenſationis meæ gratia ad hoc prædeſtinavi, ut *ſanctificati mei* quandoque fieri debeant, ſuper montem caliginoſum per ſignum converſionis ſemetipſos elevare, vocem confeſſionis exaltare, transactæ vitæ crimina manu bonæ operationis delere & abſtergere. *Mandavi*, inquam, *ſanctificatis meis*, *vocavi fortes meos in ira mea*: quia quotquot D. ſanctificati mei ſunt in prædeſtinatione, illi etiam fortes mei erunt in electionis vocatione. *Fortes* quidem *mei* erunt: quia non ex ſe, ſed ex me fortitudinem reſiſtendi diabolo & vitiis accipient, & habebunt. *Vocavi* utique eos *fortes meos in ira mea*, in ira amabili, in ira deſiderabili, quam miſericorditer in eis exercebo, cùm per prævenientem pietatis meæ gratiam ſalubriter eos contra ſe ipſos commovebo, ut pro malefactis ſuis fortiter ſibimetipſis iraſci incipiant, & in omnibus bonis actibus fortes ſe & ſtrenuos exhibeant. Hæc eſt *ira mea*, ira, inquam mihi placita, de qua dicit Pſalmiſta: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Pſalm. 4.5.

Benè autem poſtquam dixit: *Vocavi fortes meos in ira mea*, adjunxit: *Exultantes in gloria mea*: quia ſicut ira ejus eſt, & dici poteſt, quando pro mala & peccatrice vita ſua electos ſuos ſibi ipſis iraſcentes facit, & ſicut fortitudo ejus eſt, cùm vitiis fortiter reſiſtere, virtuoſiſque actibus fortiter & viriliter inſiſtere eos tribuit: ſic *gloria ejus* nihilominus eſt, & dici poteſt, quando poſt ſubacta vitia, poſt laudabilis vitæ ſtudia pro bono conſcientiæ teſtimonio humiliter exultare & gloriari cœperint in Domino: quia dum nihil ſuis viribus ſuiſque meritis, ſed ſoli DEO totum, quod ſunt, humiliter attribuunt, non in ſua ſed in Domini gloria exultantes dici poſſunt. De hac electorum gloria *dicit* Apoſtolus: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. Cor. 1. 12.

Tales profectò quia futuros in Eccleſia ſua æterna DEI ſapientia præſcivit, quaſi de laudabili illorum converſatione longè, antequam fieret, per Prophetam iſtum prophetavit, & prædixit ita di- C. cens: *Ego mandavi ſanctificatis meis, vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.* Ac ſi dixiſſet: Quos *ſanctificatos meos* præſcivi in prædeſtinatione, hos etiam *fortes meos* vocabo in converſione ſive bona converſatione: & quos mira & ineffabili vocatione mea conſortavero in bona converſatione, hos etiam faciam *exultantes in gloria mea*, hoc eſt: in ſpiritalis vitæ perfectione. Hanc Domini prophetiam ubi prædictus Domini Propheta inedicibiliter audire intrinſecus meruit, futura quaſi jam præterita conſiderans conſequenter proſequitur dicens:

Vox multitudinis in montibus quaſi populorum frequentium: vox ſonitus Regum, gentium congregatarum. ℣. IV.

In verbis iſtis duas vocationes, unam Judæorum, alteram Gentium myſticè præſignavit: quia ex utroque populo futuros eſſe prævidit, quorum voce nomen Domini exaltaretur, quorum fidei confeſſione usque ad conſummationem ſæculi DEus magnificandus eſſet & glorificandus. Cùm enim dixit: *Vox multitudinis in montibus quaſi populorum frequen-*

frequentium, illos prævidit, qui ex Judaico populo ad perfectam fidei colligendi erant plenitudinem. Cùm autem adjunxit: *Vox ſonitus Regum, Gentium congregatarum*, univerſorum, qui ex gentili populo in eandem unitatem fidei aſſumendi erant, præſignavit multitudinem. Nec incongruè vocationem Judæorum, quæ prior, ſed minor futura, ſub nomine *multitudinis populorum frequentium* exprimere Prophetam oportebat: ad inſinuandam verò vocationem Gentium merito ponere debuit: *Vox ſonitus Regum, Gentium congregatarum*: quia illos, B. quos ex populo Judaico aſſumendos ſpiritu Prophetico præſcivit, licèt magnos, & meritô ſanctitatis montibus jure comparandos cerneret, eis tamen, qui ex Gentibus ad Chriſtum erant colligendi, minores & pauciores eos futuros eſſe prævidit, ideoque illos non incongruè quaſi *populos frequentes*, iſtos verò non indignè nominavit *Reges* potentes. Ex Gentibus enim Reges nobiles & fortes prodierunt, qui & ſe, & alios regaliter & potenter juxta præceptum & voluntatem Domini regere cœperunt. *Vox ſonitus Regum* iſtorum in omnem terram exivit: C. quia prædicatio, & doctrina eorum per omnem Mundi ambitum ad lucrandas DEO animas fortiter inſonuit.

Sed & aliter hæc eadem Prophetæ verba poſſumus intelligere. Nam, cùm dixit: *Vox multitudinis in montibus quaſi populorum frequentium, vox ſonitus Regum, Gentium congregatarum*, prævidit futuras in ſancta Eccleſia multas arduas & ſanctas converſationes, quas per *montes* intelligimus, in quibus audienda eſſet *vox* & laudatio *multitudinis quaſi populorum frequentium*, populorum utique corde & corpore DEO frequenter ſervientium, D. inter quos nobiles illi *Reges* invenirentur, qui non ſolùm ſe ipſos regere, ſed & alios doctrina & exemplo quaſi grandi *vocis ſonitu* ad rectitudinis normam poſſent & ſcirent inſtituere. Sed per quem aut ex quo hæc populorum frequentia congreganda, per quem, aut ex quo *vox* iſta *ſonitûs Regum* ſuſcitanda erat niſi ex præcepto Patris ingeniti, ex cooperatione Filii unigeniti, ex infuſione & illuminatione Spiritus Sancti? Hoc enim Sanctæ & individuæ Trinitatis myſterium occultè notare poſſumus in ſe-

A. quentibus verbis, quibus dicitur: *Dominus exercituum præcepit militia belli.* ℣. V.

Venientibus de terra procul, à ſummitate cæli Dominus, & vaſa furoris ejus, ut diſperdat omnem terram.

Poteſt *Dominus exercituum* DEus Pater intelligi, qui Unigenitum ſuum miſit in Mundum. *A ſummitate cæli Dominus* poteſt intelligi DEus DEI Filius, qui *à ſummitate cæli* ad infima Mundi pro ſalute noſtra deſcendit. Per *vaſa furoris ejus* poteſt intelligi DEus Spiritus Sanctus, qui eos, quos Unigenitus DEI filius paſſione mortis ſuæ a B. peccatis emundavit, poſt reſurrectionem & aſcenſionem ejusdem Domini noſtri mirifica adventus ſui luce mirificè colluſtravit. Nec abſurdè in furore Domini Spiritum Sanctum, per *vaſa furoris ejus* dona ejusdem Spiritus Sancti intelligimus. Dignè enim hoc *vas* nominatur, quod per dona ſua miſericorditer in homine operatur. Ipſe namque dum venit, & *vaſa*, id eſt: dona ſua effundere & infundere cordibus hominum cœpit, *furorem* novum, nec antea cognitum in eis ſuſcitavit. Tunc primùm enim C. inſurgere adverſus ſemetipſos didicerunt, tunc primùm furere adverſus diabolum, furere adverſus vitia cœperunt. Eundem etiam furorem adhuc cottidie in cordibus electorum infuſionis ſuæ dulcedine ſuſcitat & accendit, dum eos in præſenti benè furentes feliciter contra vitia ſævientes facit, atque per hunc furorem malè furentem diabolum in eis ſuperat, ac proſternit.

Sed quia Sanctæ & individuæ Trinitatis opera myſticè in verbis iſtis notata pro modulo noſtro tetigimus, nunc etiam quæ ſit *militia belli*, qui ſint D. *venientes procul de terra*, ad quos præceptum DEI Patris, DEI Filii, DEI Spiritus Sancti per Prophetam dirigitur, audiamus. *Dominus*, inquit, *exercituum præcepit militia belli, venientibus de terra procul, à ſummitate cæli Dominus, & vaſa furoris ejus, ut diſperdat omnem terram.* Per *militiam belli* univerſos homines prænotavit, quos relicto ſæculo contra vitia militaturos, atque ſpiritalium inſtrumento virtutum contra diabolum fortiter bellaturos prævidit. Huic tali *militia belli præcepit Dominus exercituum* DEus Pater, præcepit *à ſummitate cæli Dominus*, id

eſt: DEus Filius, *& vaſa furoris ejus*, id eſt: DEus Spiritus Sanctus, ut *procul à terra veniat*, hoc eſt: ut terrena omnia procul à ſe amoveat, *diſperdatque omnem terram*, id eſt: omne, quod terrenum, quod infirmum in ſe deprehendit, *diſperdere* & viriliter à ſe abjicere ſtudeat. Sed quia hoc nonniſi per veram pœnitentiam fieri poſſit, protinus manifeſtat, cùm ſubjungit:

℣. VI. *Ululate: quia propè eſt dies Domini: quaſi vaſtitas à Domino veniet.*

Ululatus, qui in corpore, & per corpus fit, manifeſtam pœnitentiam non injuſtè exprimit. *Ululate* inquit: *quia*, ſi
B. *ululaveritis*, hoc eſt: ſi perfectam pœnitentiam egeritis, *propè eſt dies Domini*, id eſt: ſupernæ viſitationis illuminatio, quæ *quaſi vaſtitas à Domino veniet*: quia quidquid infirmum, & peccato obnoxium in vobis invenerit, potenter vaſtabit, & auferet. Sequitur:

℣. VII. *Propter hoc omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis tabeſcet, & conteretur.*

Poſſumus hoc loco *manuum* nomine mala opera accipere. Manus utique *diſſolvuntur*, quando ſuperveniente ſu-
C. pernæ viſitationis die mala & perverſa opera deſeruntur, & abjiciuntur. *Omne* etiam *cor hominis tabeſcit, & conteritur*, quando à mala illa fortitudine, qua ad perpetranda vitia uti ſolebat, per gratiam DEI paulatim deficit, & reflectitur. Nam quamdiu ſuaviter & delectabiliter homo peccat, quaſi inconvulſum, & malè ſorte cor habere comprobatur. Ubi autem præveniente, & emolliente Divina gratia voluntas & deſiderium peccandi aliquantulum imminuitur, & priſtinus ille ardor, quo fervebat ad ſcelera, rore & gratia Spiritus San-
D. cti temperatus aliquantulum reſrigeſcit, tunc quaſi contritum *cor* hominis ſalubriter *contabeſcit*. Sequitur:

℣. VIII. *Torſiones & dolores tenebunt: quaſi parturiens dolebunt.*

Torſiones & dolores tenere eſt afflictionibus corporis, ſuſpiriis atque doloribus cordis retroacta crimina punire atque delere. Sed quid eſt, quod additur: *Quaſi parturiens dolebunt? Parturiens* dicitur quaſi parere geſtiens. *Quaſi parturiens* dolet, qui nova cottidie deſideria, novum pœnitentiæ fervorem, novum cœleſtis patriæ amorem ſemper in ſe, & ex ſe parere geſtit. Qualiter autem, aut quomodo ad proferendum ex ſe partum talem homo proficere poſſit, docet ſæpe dictus Propheta, cùm protinus ſubjungit dicens:

Unusquisque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſta vultus eorum.

Stupor dicitur mentis alienatio, qua homo ſubito & inopinato horrore concuſſus neſciens interim, quid acciderit, à ſe quodammodo alienatur. *Proximus* autem iſte, ad quem *unusquisque ſtupere* jubetur, ipſum corpus hominis non incongruè accipitur, à quo alienari, & quod neſcire quodammodo ſalvandus debet in his, in quibus illud antea ſciebat, & cognoſcebat. Neſcire illud utique debet in peccatis, quæ ſcienter priùs, & libenter cum illo commiſerat. Quicunque autem DEO propitio ſic ſe à ſe alienaverint, neceſſe eſt, ut ſecundùm ſubjectam doctrinæ formam deinceps vivere ſtudeant, ſi perfectè DEO placere deſiderant. Sequitur:

Facies combuſta vultus eorum. In *facie*, per quam homo cognoſcitur, cognitio DEI, & cognitio ipſius hominis non injuſtè accipitur. *Vultus eorum quaſi facies combuſta* ſunt, qui in vera humilitate ſemper ſe peccatores recognoſcunt, atque in voluntatibus & deſideriis ſuis, quæ per *vultus* intelligere poſſumus, igne pœnitentiæ jugiter comburuntur, quatenus in ſui cognitione humiliter ardentes cognoſcere etiam DEum, & cognoſci à DEO mereantur.

CAPUT II.

Onus Moab, id eſt: eorum, qui in Prælatione ac dignitate carnaliter vivunt. In Cap. XV. Iſaiæ.

Onus Moab. Quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit: quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit. ℣. I.

*Aſcendit domus, * & Dibon ad excelſa in planctum ſuper Nabo & ſuper Medaba, Moab ululavit.* ℣. II. * Cod. Edibon.

In priori onere, quod inſcribitur Babyloni, notatur exhortatio converſionis & pœnitentiæ, qua DEus Omnipotens hominem peccatorem in confuſio-

ne

ne jacentem vitiorum ad ſe revocat. Secundum autem onus iſtud, *onus* utique *Moab* ad illos maximè reſpicit, qui prælati ſunt, ſed in prælatione ſua carnaliter vivunt. Iſti denique nomine Moab non inconvenienter poſſunt intelligi. *Moab* enim interpretatur *de patre*. De patre utique ſunt, qui à DEO Patre, poteſta-
Rom. 13. 1. tem acceperunt. *Omnis enim*, ut ait Scriptura, *poteſtas à DEO eſt*. Sunt quidem *de Patre* id quod ſunt, ſed ſecundum Patrem non vivunt id quod vivunt: quia ea, quæ DEI ſunt, non ſapiunt. Tales in onere iſto vox Divina arguit, atque ad recognitionem & pœnitentiam revocat, cùm dicit:

Quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit: quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit. Nomine Ar, quod interpretatur *ſuſcitavit*, vel *vigilia*, & animas Prælatorum, & animas ſubditorum non inconvenienter poſſumus accipere: per *murum* verò corpus, per noctem ignorantiam. *Quia nocte vaſtata eſt Ar*, inquit, *Moab, conticuit.* Ac ſi dicat: Quia vos, qui de DEO Patre poteſtatem regiminis accepiſtis, ipſi malè vivendo, & mala in ſubditis non reprehendendo conticuiſtis, idcirco *nocte vaſtata eſt Ar*, idcirco animæ veſtræ, quas ſemper cœleſtibus deſideriis ſuſcitare, & animæ ſubditorum, ſuper quorum ſalute ſumma diligentia vigilare debuiſtis, *vaſtata ſunt nocte* ignorantiæ: atque ex interiori illa vaſtitate, ignorantia videlicet veritatis, *vaſtatus eſt* etiam *murus*, id eſt: corpus, quod circumdat animam, vaſtatum eſt nocte peccati & iniquitatis. *Nocte* peccati corpus vaſtatur, quando impudicitiæ traditur, & ſubjicitur. Hanc interioris exteriorisque hominis vaſtitatem manifeſtiùs exprimit in ſequentibus, ubi iterum atque iterum ad pœnitentiam & planctum eos exhortatur, & quid ſit, quod plangere debeant, inſinuat, cùm ſubjungit:

Aſcendit domus & Dibon ad excelſa in planctum ſuper Nabo, & ſuper Medaba, Moab, ululavit. Per Dibon, quod interpretatur *fluxus eorum*, non incongruè laſcivi & lubrici homines poſſunt intelligi, quorum *domus ad excelſa* quodammodo *aſcendit*, quando domum carnis, id eſt: corpus ſuper ſpiritum extollunt, hoc eſt, quando ſpiritum, qui præſidere, & do-
A. minari carni deberet, per lubricos & laſcivos cordis, corporisque motus carni ſubjiciunt. *Nabo* verò, quod interpretatur *ſeſſio eorum*, vel *Prophetia*, dignitatem magiſterii, atque officium prædicationis non incongruè ſignificat. *Medaba*, quod dicitur *de ſaltu*, beſtialem, id eſt: peccatricem Prælatorum nec non & ſubditorum vitam notat. *Super Nabo*, inquit, *& ſuper Medaba Moab ululavit.* Ac ſi dicat: Quicunque tales Magiſtri eſtis, quòd neſcitis, aut non audetis propter malam vitam veſtram reprehendere iniquitatem in ſubditis, *ululate ſuper Na-*
B. *bo, & ſuper Medaba. Ululate* utique, quòd ſedem & locum regiminis accepiſtis. Flendum enim vobis eſt & gemendum: quia & ipſi beſtialiter vixiſtis, & beſtialiter viventes non reprehendiſtis. Hæc quidem verba ſunt DEI Omnipotentis Prælatos & ſubditos ad pœnitentiam miſericorditer exhortantis. Nunc etiam qualis modus pœnitentiæ eſſe debeat, continuò verbis ſequentibus manifeſtat:

In cunctis, inquit, *capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur. Calvitium* eſt, ubi evelluntur, aut ſponte crines de-
C. cidunt. *In cunctis capitibus* cunctas mentis intentiones accipere poſſumus, in quibus decalvari quodammodo debent, atque nudari, qui per veram pœnitentiam DEO cupiunt reconciliari. Perfectus enim perfectæ pœnitentiæ modus eſt cunctas malas voluntates, voluntatumque intentiones non bonas de *capite*, id eſt: de corde pœnitendo extrahere, atque evellere.

Poſtquam ſic homo interior à noxiis illis crinibus, perverſis videlicet voluntatibus & intentionibus decalvatus fuerit,
D. reſtat, ut *omnis* etiam *barba radatur*. In *barba* & per barbam virtuoſa & virilia opera intelligimus. *Omnis barba radenda* eſt: quia illud etiam, quod benè & viriliter geſſit, & ſi quid virtutis ineſſe ſibi credit, in conſideratione & comparatione malorum, quæ commiſit, parvipendere perfectè pœnitens debet, & quaſi nihil & inutile reputare. Ad ſolam tantummodo pœnitentiam & ſatisfactionem conſtanter ſemetipſum conſtringat, ſicut myſticus ſequentium ordo verborum docet, quo dicitur:

℣. III. *In triviis ejus accincti ſunt ſacco, ſuper tecta ejus, & in plateis ejus omnis * ululat.*

* *aliàs*: omnis ululatus deſcendit in fletum.

Poſſumus intelligere in *triviis* ſpiritum, animam, & corpus noſtrum, vel etiam cogitationes, ſermones noſtros & operationes. Hæc enim quaſi tres viæ ſunt, quibus aut accedimus ad DEum, aut recedimus a DEO. In *triviis ſuis ſacco ſe accingit*, qui ad triplicis pœnitentiæ fletum ſe conſtringit. *Super tecta* verò *ejus, & in plateis ejus omnis ululat*, quando ſuper carnem & in carne ſua, quæ per *tecta* accipi poteſt, triplices ſpi- B. ritus & animæ & corporis exceſſus, & cunctos, ut ita dicam, latæ atque criminoſæ vitæ excurſus, quos per *plateas* intelligimus, dignæ animadverſionis ſententia punit, & vindicat. Sed quia non multum prodeſt afflictio carnis, niſi adſit etiam humilitas mentis, rectè ſubjungitur: *Deſcendit in fletum.*

*Clamavit Heſebon, & Eleale, usque Jaſa audita eſt * vox ejus.*

* *aliàs*: vox eorum.

Heſebon Interpretatur *cogitationes*, Eleale *aſcenſio*, Jaſa *factum* ſive *mandatum*. *In fletum* homo *deſcendit*, quando C. & carnem per pœnitentiam macerat, & corde per veræ humilitatis deſcenſum DEO approximat. *Clamat Heſebon & Eleale*, quando *aſcendentes*, id eſt: ſuperbas cogitationes ſuas digno cordis corporisque gemitu & in oratione, & in confeſſione accuſat, & damnat. *Usque Jaſa audita vox ejus* dicitur, quando factis & dictis mandatum Domini exequi & obſervare nititur. Sed quia virtus hæc non omnium, ſed ſolummodo ſpiritalium eſt, aptè monſtratur, cùm dicitur:

Super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit ſibi. Ac ſi dicatur: D. Non illi, qui in ſæculo ſunt, & peccatis ſæculi deprimuntur, ſed hi, qui per gratiam DEI mundum reliquerunt, qui ab operibus peccati ſe per pœnitentiam & converſationem alienaverunt, & expedierunt, ſive ſint Prælati, qui per *Moab* intelliguntur, ſive ſint ſubditi, qui quaſi *expediti Moab* dicuntur, *ſuper hoc ululabunt*. Super hoc utique, quod noviſſimè poſuimus, hoc eſt: ſuper ſublimes cogitationes ſuas dignè poſſunt pœnitere, dignè, ut ita dicam, in interioribus mentis exceſſibus ſciunt ſemetipſos deflere. Re-

A. ctè autem additur: *Anima ejus ululabit ſibi* Quia quicunque hoc modo non ſolùm pro malis operibus, ſed pro ſuperbis cogitationibus ſuis DEO ſatisfacit, hic profectò *ſibi ululat*: quia utiliter ululat. Per talem enim fructum pœnitentiæ æternæ ſibi ſalutis gaudia comparat. Hanc autem pœnitentiam ſolus DEus ſola miſerationis ſuæ gratia in homine operatur, ſicut ex perſona ejus mox ſubinfertur, cùm dicitur:

Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem. ℣. V.

Cor Domini voluntas eſt Domini. Et eſt, quaſi dicat: ſi quis pœnitentiam hanc, de qua jam dictum eſt, acceperit, atque in ea conſtans & perfectus inventus fuerit, & perſeveraverit, non ſuis viribus, ſed meis humiliter attribuat miſerationibus: quia niſi *cor meum* ad eum clamaverit, hoc eſt: niſi miſericors voluntas mea voluntaria miſericordia mea illum prævenerit, & ſubſecuta fuerit, nec in anima dignè pœnitere, nec in corpore aut ex corpore dignos pœnitentiæ fructus proferre poterit. Sequitur:

Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem. *Segor* interpretatur *parva*. Et non incongruè per Segor, *vitulamque conternantem*, quam Beatus Hieronymus *vaccam triennem* nominat, parva, id eſt: humilis, & perfecta pœnitentia intelligi poterit. Homo quidem ſicut in anno triceſimo viribus corporis & virtutibus mentis maximè valet: ſic in anno tertio hoc genus animalium maximam fortitudinem habet. Et idcirco humilis pœnitentia *vitula conternanti* aptè comparatur. Maximam enim fortitudinem ad obtinendam apud DEum remiſſionis gratiam pœnitentia illa habet, quam vera humilitas comitatur, & quæ per firmam & fortem vitæ cuſtodiam, quam per *vectes* intelligimus, adornatur.

Eſt & aliud, ob quod vera & humilis pœnitentia *vitulæ conternanti*, quæ in tertio, ùt diximus, anno robuſtiſſima eſt, jure aſſimilatur: quia niſi triplex pœnitentiæ noſtræ gemitus ſit, nec perfecta eſt, nec perfecta dici poteſt. Eſt autem triplex pœnitentia, pœnitere anima, pœnitere ſpiritu, pœnitere corpore. Hæc triformis pœnitentia manifeſtiùs demon-

demonſtratur in ſequentibus, cùm dicitur.

Per aſcenſum enim Luith flens aſcendet, & in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.

Luith *genæ* Oronaim *foramen mœroris* interpretatur. Sed quid per *aſcenſum Luith*, per aſcenſum inquam, *genarum* niſi aſcendens ab imo cordis fluvius lachrymarum ſignificatur? Aut quid per aſcenſum lachrymarum, quæ per genas defluunt, & in genis videntur, niſi pœnitentia exterioris hominis, quod eſt cor- B. pus, figuratur? Quaſi *per Luith flens aſcendit*, qui lachrymarum, cæterorumq; bonorum operum indiciis pœnitentiam in corpore oſtendit.

Poſtquam per aſcenſum Luith hoc modo flens aſcendit, *in via Oronaim clamorem contritionis* tandem *levare* incipit. Per *Oronaim*, quod interpretatum *foramen mœroris* diximus, cor cujusque electi intelligi poteſt, quod *foramen mœroris* non injuſtè dicitur, quando ex advenientis, & aſpirantis Spiritus Sancti gratia à priſtina ſui duritia per timorem & amorem DEI perforatum & emolli- C. tum ſalubri in ſe mœrore conteritur. Ipſe enim Spiritus Sanctus quaſi via quædam eſt, quo ducente, immo aſpirante cor hominis & foramen mœroris fit, & clamorem contritionis levare incipit. *In via* enim *Oronaim clamorem contritionis levare* eſt, anima pœnitente, corde dolente ac mœrente antiqua peccatorum contagia jugiter deplorare. Poſt hæc rectè ſubjungitur:

℣. VI. *Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt: quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.*

Nemrim *pardi* ſive *prævaricatores* interpretatur. Nec incongruè per *aquas Nemrim*, per aquas pardorum ſive prævaricatorum intelligimus mala, & iniqua deſideria, quæ hominem inſtabilem, per pardum, qui incontinens & inſtabilis fera eſt, deſignatum, & prævaricationem Divinæ voluntatis inclinari faciunt. *Aquæ iſtæ Nemrim deſertæ erunt*: quia poſt levatum perforati per mœrorem pœnitentiæ cordis clamorem ac con- A. contritionem malæ carnis concupiſcentiæ Spiritu Sancto adveniente & agente ita comprimuntur, & retinentur in homine, quòd more ſolito diffluere ac decurrere nequeunt, hoc eſt: quòd cor hominis, factum jam *foramen mœroris*, conſueto inſtabilitatis & prævaricationis fluvio abripere, ac à DEO ſeparare non poſſunt.

Poſt deſertas aquas Nemrim, poſt edomita, & compreſſa mala deſideria aptè ſequitur: *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Poteſt deſignari per *herbam* voluntas peccati, per *germen* opus peccati, per *virorem* perſeverantia peccati. Benè quidem *aruiſſe herba* dicitur, quando perverſa voluntas quaſi ſubtracto prædictarum humore aquarum exſiccata, immò ſuperata fuerit. *Deficit germen*, quando ſublata per miſericordiam DEI mala voluntate de corde opus etiam peccati reciditur à corpore. Reciſo mali operis germine *viror omnis interiit*: quia in homine illo, in quo & voluntas & opus peccati, quantum in hac vita poſſibile eſt, deſiit, perſeverantia peccati feliciter deperit. Hic eſt perfectus perfectæ pœnitentiæ modus, quem miſericors Dominus omnibus ſalvari cupientibus præmonſtravit, atque præſcripſit, quem ut attentiùs commendaret, protinus ſubjunxit, & ait:

℣. VII. *Secundum magnitudinem operis & viſitatio eorum.*

Poſſumus verba iſta ſic intelligere, ut *ſecundùm magnitudinem* peccati menſura pœnitentiæ & ſatisfactionis debeat extendi, ſicque ſecundùm magnitudinem D. bonæ operationis, perfectæque ſatisfactionis aderit homini gratia & dulcedo ſu- Job. 33. 29. pernæ *viſitationis*. *Hæc* autem *omnia*, ùt in Job dicitur, *operatur DEus tribus vicibus per ſingulos.* In tribus his vicibus, quibus ſalutem hominis Omnipotens DEus operatur, exhortatio, modus, atque perfectio pœnitentiæ myſticè notatur. Exhortationem præmiſit, modum oſtendit. Nunc etiam, quid ſit perfectio pœnitentiæ, declarat, cùm dicit: *Ad torrentem ſalicum deducent eos.*

Quo-

℣. VIII. *Quoniam * circuit clamor terminum Moab, uſque ad Gallim ululatus ejus, & uſque ad puteum Elim clamor ejus.*

* aliàs circuivit.

℣. IX. *Quia aquæ Dibon repleta ſunt ſanguine.*

Salices arbores infructuoſæ ſunt: quia nullum aptum humanis uſibus fructum proferunt. Quòd dicit: *Ad torrentem ſalicum deducent eos*, id eſt, ac ſi dicat: Qui præſcriptam exhortationem ſuſceperint, qui juxta præmonſtratum pœnitentiæ modum dignè pro peccatis ſuis DEO ſatisfecerint, exitiales illos peccatorum fructus, quos aliquando proferre ſolebant, ad felicem quandam ſterilitatem *deducent*: quia viriliter eos a corde & corpore ſuo eradicant, ne ſolito more conſurgere, vel prævalere eis valeant.

Et unde hoc? Ex eo utique: quia *circuit clamor terminum Moab, uſque ad Gallim ululatus ejus. Terminus Moab* finem hominis pœnitentis non incongruè ſignificat. Per *Gallim* verò, quod interpretatur *vituli*, vel *arenarum tumuli*, ipſa mors hominis poteſt accipi. *Circuit clamor terminum Moab, & uſque ad Gallim ululatus ejus* pervenit, quando & in pœnitentia cordis, quæ per *clamorem*, & in pœnitentia corporis, quæ per *ululatum* poteſt accipi, uſque ad finem vitæ ſuæ homo juſtus perſeverat, & perſiſtit. De hoc tali homine rectè adhuc ſubditur:

Et uſque ad puteum Elim clamor ejus. Quia aquæ Dibon repleta ſunt ſanguine. Verbum iſtud *Elim*, quod interpretatum *arietes* ſive *fortes* ſonat, DEum Omnipotentem non incongruè ſignificat, qui eſt fons & origo omnium bonorum, qui fortitudo fortis, & confortans eſt omnium arietum, omnium utique Doctorum ſuorum. Per *Dibon* verò, quod *ſufficiens mœror* interpretatur, ſufficiens pœnitentiæ lamentum aptè figuratur, quæ tunc verè DEO ſufficit, quando *repleta ſanguine*, hoc eſt: quando per mortem, quæ per *ſanguinem* hoc loco intelligi poteſt, conſummata fuerit. *Clamor* hoc modo pœnitentis, pœnitentiam ſuam ſimul cum morte finientis *ad puteum Elim* audictur: quia ab eo, qui ſicut jam diximus, fons & origo, fortitudo ſuorum eſt & conſummatio, æternæ fortitudinis ſtabilitate, ſtabili & incommutabili perpetuæ beatitudinis jucunditare remuneratus ſtabilietur. Unde & adhuc ſubditur:

Ponam enim ſuper Dibon additamenta: qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ. Ac ſi dicatur voce Dominica: Super hominem illum, qui ſufficientem habet mœrorem, & in eo perſeveraverit uſque ad vitæ conſummationem, hæc *additamenta ponam*, hanc pietatis & miſericordiæ meæ gratiam adjiciam, quòd eum non ſolùm in anima, qua *fugere* peccati delectationem conſueverat, poſt præſentis vitæ terminum ſalvabo: ſed & *reliquias terræ*, corpus videlicet, quo peccati operationem fugit, quantum potuit, in die noviſſimo reſuſcitatum ſimul cum anima glorificabo dans ei in præmium *leonem* illum *nobilem*, leonem magnum, qui ſurrexit de tribu Juda, Unigenitum utique filium meum, qui omnium Sanctorum ſuorum erit corona, laus & infinita gloria per ſæcula ſæculorum. Amen.

Ecce *onus Moab*, onus utique nomen & locum regiminis tenentium, ſed juxta dignitatem nominis non viventium. Ecce alta & ſublimis Altiſſimi doctrina, in qua ſic Prælatos arguit, quòd in eorum correptione vitam etiam ſubditorum à pravitatis ſuæ tortitudine revocat, atque corrigit, in qua poſt zelum juſtæ invectionis ad manſuetudinem paternæ recurrit exhortationis, poſt manſuetudinem exhortationis modum oſtendit pœnitentiæ, & ſatisfactionis. Docet etiam, quid ſit pœnitentiæ perfectio: ad ultimum, quæ & quanta eandem pœnitentiam æterna beatitudinis ſequatur remuneratio. Quicunque onus iſtud, quod ſecundum eſt in numero, ſuper ſe ſuſceperit, quicunque juxta præſcriptam & præmonſtratam in illo æterni Patris doctrinam, vitam, actus, moresque ſuos componere curaverit, ad onus tertium, quod inſcribitur Damaſco, DEO propitio pertingete poterit.

CAPUT III.

Onus Damaſci, ſeu eorum, quos perfectè pœnitet malè perpetratorum. In Cap. XVII. Iſaiæ.

℣. I. *Onus Damaſci. Ecce Damaſcum deſinit eſſe civitas, & erit ſicut acervus lapidum in ruina.*

Dere-

℣. II. *Derelictæ civitates Aroër gregibus erunt, & requieſcent ibi, & non erit, qui exterreat.* A.

Damaſcus, qui *bibens ſanguinem*, vel *oſculum ſanguinis*, ſive *ſanguinis cilicii* interpretatur, hominem perfectè pœnitentem, atque ſecundùm ea, quæ in præmiſſo jam onere æterna DEI docuit ſapientia, viventem ſignificat, qui quaſi *ſanguis cilicii* fit, quando per aſperitatem veræ atque perfectæ pœnitentiæ maceratus & cruentatus reconciliari DEO cœperit. Fit etiam *bibens ſanguinem*, quando corpore & ſanguine Domini noſtri JEſu Chriſti ſuaviter paſcitur, atque po- B. tatur, & per omnimodam mentis abjectionem, bonamque & juſtam corporis actionem ejusdem Domini noſtri paſſionem ſtrenuè, quantum poteſt, imitatur.

Poteſt etiam *oſculum ſanguinis* non inconvenienter nominari, quando ſincero cordis affectu ſanguinem, id eſt: paſſionem Chriſti ſuaviter atque humiliter diligere incipit & venerari. *Oſculum* enim *ſanguinis* eſt amor & imitatio Chriſti paſſionis. De tali homine rectè dicitur: *Ecce Damaſcus deſinit eſſe civitas*: quia per cilicium pœnitentiæ purgatus, C. per glorioſam corporis & ſanguinis Chriſti participationem vegetatus, per dilectionem & imitationem paſſionis Chriſti Chriſto ex parte conſormatus, *deſinit eſſe*, quod erat: incipit eſſe, quod non erat: *Deſinit eſſe civitas* diaboli, incipit eſſe civitas DEI: deſinit eſſe civitas peccatorum, incipit eſſe civitas virtutum. Hoc enim verbis ſequentibus myſticè oſtenditur, cùm portinus ſubinſertur.

Et erit ſicut acervus lapidum in ruina. In *acervo lapidum*, qui ex multa ſaxorum collectione fit, multitudo diverſarum virtutum intelligi poterit. *Erit* D. ſanè *ſicut acervus lapidum in ruina*, quando ruere mala, & ſurgere bona in eo incipiunt. Ruente coacervata ex diverſis peccatis machinâ vitiorum ſurgit & creſcit in altum diverſitas bonarum virtutum, laudabiliumque multitudo operationum. Unde ſequitur.

Derelictæ civitates Aroër gregibus erunt, & requieſcent ibi, & non erit, qui exterreat. Aroër *myrica*, id eſt: infructuoſæ arbores ſunt, quarum ſuccus cibo hominis admixtus, ſive in potu ſumptus extinguere charitatis fœdera, ſuſcitare inimicitias & odia dicitur. Per *civitates Aroër*, civitates, ut ita dicam, ſterilitatis, interiores exterioresque hominis ſenſus intelligere poſſumus, qui quaſi infructuoſæ arbores ſunt, quamdiu iniquitati ad iniquitatem ſerviunt. Sed *derelictæ civitates Aroër gregibus erunt*, quando ſenſus illi, qui civitates vitiorum erant, receptacula & habitacula *gregum*, id eſt: bonarum virtutum eſſe incipiunt. Benè autem additur: *Et requieſcent ibi, & non erit, qui exterreat*: quia fugatis vitiis & ſuperatis, in virtutibus homo & virtutes in homine ita *requieſcent*, & regnabunt, ut *non ſit, qui exterreat* hoc eſt, ut nec ipſe quidem diabolus exturbare eas atque fugare vel vel auferre homini valeat.

Et ceſſabit adjutorium ab Ephraim, & regnum à Damaſco: & reliquiæ Syriæ ſicut gloria filiorum Iſraël erunt, dicit Dominus exercituum. ℣. III.

Ephraim *frugifer*, Syria *ſublimis*, Iſraël *vir videns DEum* interpretatur. *Ceſſabit adjutorium ab Ephraim*, quando inſpirante DEO homo exterior, quem per Ephraim intelligendum credimus, fructum talem quærere à ſe & proſerre deſinit, qualem antea peccando peccatisque conſentiendo quærere atque proferre conſuevit. Sublato ab Epharaim tali hoc adjutorio etiam *regnum à Damaſco ceſſabit*: quia ſuccedens & ſuccreſcens regnum virtutum regnum vitiorum ab homine illo, qui jam, ùt diximus, Damaſcus factus eſt, evellet, & diſſipabit. Diſſipato regno vitiorum *reliquiæ Syriæ ſicut gloria filiorum Iſraël erunt*: quia anima illa, quæ jam *Syria*, id eſt: *ſublimia* facta eſt utpote liberata, & emundata à peccatis, *gloria filiorum Iſraël*, gloriæ, inquam, filiorum DEum amantium, DEum videre deſiderantium conformatur exemplo, eorum juſtis operibus, mundisque cogitationibus, quas per *reliquias Syriæ* intelligimus, ſolicitè elaborans, ut filiis Iſraël annumeretur, ut ad viſionem DEI ipſo adjuvante pertingere mereatur. Sequitur:

*Et erit in die illa: attenuabitur gloria Jacob, & * pingues carnes ejus marceſcent.* ℣. IV.

* *aliàs*: & pinguedo carnis ejus marceſcet.

Per Jacob, qui *ſupplantator* interpretatur, idem homo, qui & per Damaſcum, non incongruè figuratur. *Dies illa*, in qua *gloria Jacob attenuabitur*, ſupernæ viſitationis gratiam aptè figurat. Per hanc enim, ut primùm homo illuminatus cognoſcere ſe ipſum, & renuntiare ſibi ipſi cœperit, *gloria Jacob quodammodo attenuatur* : quia ſi quid gloriæ vel favoris aut ex vitiorum ſupplantatione, aut ex laudabili converſatione ſubortum intrinſecus fuerat, per humilitatem evacuat nihil ſuis viribus aut meritis, ſed totum, quod eſt, quod habet, ſoli DEO humiliter attribuit. Benè autem additur: *Et pingues carnes ejus marceſcent* : quia dum propriam infirmitatem DEO illuminante perfectè cognoſcere cœperit, omnis illa carnalium ſenſuum velut pinguis & prævalida fortitudo quaſi exſiccata per humilitatem contabeſcit.

℣. V. *Et erit ſicut congregans in meſſe, quod reſtiterit, & brachium ejus ſpicas leget.*

Fit nonnunquam, ut ſæculum homo relinquat, nec in ipſo tamen converſionis ſuæ aditu pro his, quæ in ſæculo deliquit, rectè & perfectè accuſare ſe DEO in confeſſione ſua ſciat aut valeat: quod tamen in proceſſu temporum plenius addiſcet, cùm *erit ſicut congregans in meſſe, quod reſtiterit* : quia omnem vitam, actusque ſuos quaſi ad faciendam ſibi quandam æternæ ſalutis *meſſem* ſolicitè colligit, diſcutit, & examinat, & ſi quid reſtitiſſe ſibi nondum defletum ſive confeſſum invenerit, peracuta veræ atque perfectæ confeſſionis falce abſcidere feſtinat: *Brachiumque ejus ſpicas leget*, quando poſt confeſſionem fortiter atque viriliter DEO ſatisfacere cœperit. Per *brachium* enim fortitudo, per *ſpicas* verò bonorum operum deſignari poteſt multitudo.

Et erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim. Raphaim interpretatum dicitur *gigantes*. *In valle Raphaim* ſpiritalem quamlibet converſationem accipere poſſumus, in qua homines tales congregati ſunt, & congregantur, qui ob perfectæ vitæ fortitudinem meritò gigantibus comparantur.

Aliter nomine *Raphaim* malignos ſpiritus, per *vallem* humiles juſtos quosque homines intelligere poſſumus, qui idcirco *vallis Raphaim* vallis utique eorundem

A. malignorum ſpirituum dici poſſunt, quia deſpectui eis ſunt. Quantò enim apud ſe humiliores, tantò apud malignos ſpiritus ſunt deſpectiores. Erit homo bonus *ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim* : quia inter homines illos, qui in humilitate DEO ſerviunt, quos propter humilitatem & manſuetudinem maligni ſpiritus deſpiciunt, humiliter quærit, ſiquid in eis videre, vel audire ab eis valeat, quod imitetur, per quod ad amorem patriæ cœleſtis magis ac magis accendatur. *Spicas enim in valle Raphaim quærere* eſt in ſpiritali converſatione

B. ab uno exemplum ſumere humilitatis, ab altero exemplum obedientiæ, patientiæ, charitatis, ab illo exemplum bonæ actionis, ab iſto exemplum gravitatis, ſpiritaliſque conſtantiæ atque fervoris. Ex hac optima ſpicarum collectione, ex hac humili humiliter viventium imitatione duo illi motus timor utique DEI & amor ſurgunt in anima, de quibus protinus ſubinfertur:

Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio olea duarum aut trium olivarum in ſummitate rami. ℣. VI.

Poteſt per *racemum* amor DEI, per

C. *oleam* ipſa hominis anima intelligi, quæ non inconvenienter oleæ comparari, vel etiam olea nominari poterit, quando oleo miſericordiæ DEI perfuſa, atque à priſtina ſua duritia divinitus emollita, perfectoque umore DEI & amore attacta fuerit. Et benè dicitur: *Relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio olea duarum aut trium olivarum* : quia dum ex una parte amore DEI poſſidetur, ex altera parte timore DEI tangitur, ex duobus his motibus fit ſalubris quædam *excuſſio*, *excuſſio* utique *duarum aut trium olivarum. Duarum olivarum* nomine duplicem pœnitentiam poſſumus accipere. Duplex autem

D. pœnitentia eſt & neglecta bona, & commiſſa mala diſtrictè pœnitere atque deflere. *Trium* verò *olivarum excuſſio* eſt provida ac ſolicita ſermonum, operationum, cogitationumque excuſſio, quam *olea* illa, anima videlicet oleo miſericordiæ DEI peruncta quodammodo excutit, dum hoc non ſolùm diſcutit, & examinat, ubi factis aut dictis illicitum quid admiſerit, ſed etiam hoc indiſcuſſum prætermittere non patitur, ubi vel minutiſſimis cogitationibus à rectitudinis ſemita deviaverit.

Nec prætereundum, quod additur: *In ſummitate rami. Ramus* utique boni odoris fragrantiam non incongruè deſignat, qui ab hac, quam jam diximus, duarum aut trium olivarum excuſſione ſive diſcuſſione procedens in conſpectu DEI aſcendit. Summus etenim, & ſuave redolens odor eſt coram Domino pœnitentia illa, quæ poſt excuſſa & diſcuſſa dicta, cogitationes & opera modò neglecta bona punit, modò commiſſa mala dignæ animadverſionis zelo abſumit. Emundatus & illuminatus per duplicem hanc pœnitentiam ad Sacræ Scripturæ paulatim homo proficit intelligentiam, ſicut typica ſignificatione oſtenditur, cùm protinus adnectitur:

Sive quatuor aut quinque: in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus exercituum. Quid in *cacuminibus* niſi arduos animæ ſenſus, vel quid per *quatuor* aut *quinque fructus ejus* niſi Evangelicum & legalem fructum intelligimus? Quatuor enim aut quinque fructus in cacuminibus ſuis homo quodammodo habet, quando Novi Teſtamenti Scripturam, quæ per *quatuor*, & Veteris Teſtamenti Scripturam, quæ per *quinque* intelligitur, utiliter ac fructuosè audire, arduiſque animæ ſuæ ſenſibus comprehendere & intelligere, factiſque ſagaciter exequi & cuſtodire cœperit. Sequitur:

℣. VII. *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi ejus ad ſanctum Iſraël reſpicient.*

℣. VIII. *Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, & quæ operati ſunt digiti ejus.*

In die illa ſupernæ viſitationis *ad factorem ſuum homo inclinatur.* Inclinari enim eſt humiliari: quia quantò per dilectionem & cognitionem DEO approximat, tantò veriùs atque perfectiùs coram eo ſe humiliat. *Et oculi ejus ad ſanctum Iſraël reſpicient. Sanctus Iſraël* ſanctam hominis mentem ſignificat, quæ verè *ſancta* dici poterit, quando ita ſtabilita, & ſancita in Domino fuerit, ut nihil ſit, quod exterius libeat, ſed totis deſideriis & affectibus ſemper ad DEum *reſpicere* gaudeat.

Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, & quæ operati ſunt digiti ejus. Per *altaria*, quæ fecerunt manus ejus, bona opera, per *digitos* autem diſcretionem bonorum operum intelligere poſſumus. *Ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, & quæ operati ſunt digiti ejus, homo non inclinatur,* quando in ipſis etiam actibus ſuis, quæ diſcretè, & ſimpliciter pro Domino operatus eſt, quaſi impium & indignum ſe ipſum judicat, totumque ei, à quo accepit, in vera humilitate attribuit.

Non reſpiciet lucos & delubra. Per *lucos*, in quibus ſacrificia dæmonis parari & offerri olim conſueverat, accipere poſſumus maſculos amantes * ac juxta turpitudinem ſæculi viventes, ſeque diabolo cottidie per mala opera ſacrificantes. Per *delubra* verò, in quibus Idola ſervabantur, & colebantur, fœminæ, quæ poſt vanitates ſæculi & concupiſcentias carnis incedentes templa dæmoniorum ſunt, non incongrè figurantur. Hos profectò *lucos & hæc delubra homo* ille, qui eo, ut prædiximus, ordine proceſſerit, nullo modo *reſpicit*: quia voluptates eorum totumque, quod in hoc mundo deſiderari vel poſſideri poteſt, ſpe cœleſtis patriæ prorſus abjicit, & contemnit.

* Cod. amatores.

℣. IX. *In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ ſicut ſegetes & aratra, quæ derelicta ſunt à facie filiorum Iſraël, & erit * deſerta.*

* alias urbs

Per *civitates fortitudinis ejus* poſſunt intelligi univerſi ſenſus ejus, in quibus malè fortis erat, quando fortiter ac ſuaviter vitiis miniſtrabat. Iſtos ſanè ſenſus ſuos, qui quaſi quædam *civitates fortitudinis ejus* ſunt, homo ſpiritalis ex parte *relinquit*, & ex parte non relinquit. Relinquit eos, non ut perdat, ſed ut melius habere incipiat. *Relinquit* eos *ſicut ſegetes & aratra, quæ derelicta ſunt à facie filiorum Iſraël*, quando à mala fortitudine illa, qua ad peccata & vitia confortabatur, potenter eos retrahit: non relinquit eos, quando ad proferendas bonorum operum ſegetes quaſi quædam *aratra* ad cottidiana ſpiritalis vitæ exercitia exemplo *filiorum Iſraël*, filiorum, inquam, DEum videntium, DEum diligentium fortiter circumfert, & inflectit. Igitur quæcunque beata anima ita ſe ipſam non relinquens relinquit, *erit deſerta erit. Erit deſerta* à diabolo, *erit deſerta* à mundo, *erit deſerta* à peccato: quia neque mundus, neque peccatum,

neque ipſe peccati auctor diabolus in illa A. die, in illa ſupernæ viſitationis luce appropinquare ei audebit. Sed quia dies hæc ſtabilis in hac vita eſſe non poteſt, ſed ex ſuccedente tentationum nocte nunc in corpore extrinſecus profectum ſuum retardari plerumque & impediri homo conſpicit, cumque aliorum profectum videt, parum aut nihil proficere ſe dolens, gemebunda cordis voce loquitur ad ſe dicens intra ſe:

℣. X. *Quia oblita es DEI Salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem infidelem, & germen alienum ſeminabis.* B.

Per *plantationem infidelem* notamus malas cogitationes: per *germen alienum* minùs perfectas actiones. *Quia oblita es*, inquit, DEI *Salvatoris tui*. Ac ſi dicat: Hoc quidem Divina juſtitia exigit: quia injuſtitia tua ita commeruit, ut quæ *oblita es DEI Salvatoris tui, & fortis adjutoris tui recordata non es*, cùm recordari debueras, inutilium atque malarum importunitati cogitationum nolens & invita modò ſubjaceas: & quia neglexiſti facere bonum, quod debueras, nunc etiam, C. cùm non vis, imperfectæ actionis offendiculum evadere nequeas.

℣. XI. *In die plantationis tuæ labruſca.*

Quia reducta ante oculos tuos dies priſtinæ *plantationis*, dies, inquam, tranſactæ converſationis nil tibi repræſentat niſi *labruſcam*, intolerabilem utique cordis duritiam: attamen, ſi de bonitate & miſericordia DEI confidens laboribus, quibus potes, conſtanter ac perſeveranter inſudaveris, *mane ſemen tuum florebit*: quia clareſcente ſuper te *mane* ſupernæ viſitationis ac miſerationis omnipotens D. DEus tandem aliquando in bonum fructum *ſemen tuum*, id eſt: laborem operum tuorum conſurgere faciet.

Sic, ſic defectum ſuum humiliter deflendo rurſum de miſericordia DEI ſpem conſolationis reſumit, atque ad majorem laboris conſtantiam ſemetipſum hortatur, & dicit: *Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebis graviter*. In *hæreditate* ſancta converſatio, in *meſſe* bona poteſt deſignari actio. Et eſt, quaſi fidelis anima doleat & dicat in ſemetipſa: Quia in ſancta hac converſatione, in qua, & per quam *hæreditatem* patriæ cœleſtis obtinere, & deſervire deberes, ſola tu ſine fructu bonæ actionis incedis, expedit tibi, ut *graviter doleas*, expedit, inquam, ut aliis gaudentibus & exultantibus tu ex aſſidua peccatorum tuorum recordatione contriſteris, ut aliis comedentibus, dormientibus, aliiſque licitis rebus licitè utentibus tu jejuniorum frequentia, vigiliæ inſtantia te ipſum caſtigando etiam licita tibi non licere exiſtimans ſemper coram DEO humilieris.

CAPUT IV.

Onus Ægypti, ſeu perfecta pœnitentia, quam DEus potentia Divinitatis ſuæ miſericorditer & mirabiliter in homine operatur. ℣. I. In Cap. XIX. Iſaiæ.

Onus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & movebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus. ℣. II.

Et concurrere faciam Ægyptios adverſus ℣. III.
C. *Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, civitas adverſus civitatem, regnum adverſus regnum.*

Et diſrumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus, & conſilium ejus præcipitabo.

Totum onus iſtud videtur agere de perfecta pœnitentia, quam DEus Omnipotens potentia Divinitatis ſuæ miſericorditer & mirabiliter operatur in homine. Onus autem iſtud illi ſoli convenit, D. ſolus ille utiliter portare poterit, qui ſub præcedenti onere, quod inſcribitur Damaſco, humiliatus, quemadmodum diximus, & exercitatus atque eruditus fuerit, *Ecce Dominus*, ait Propheta, *aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum*. In *nube levi* levigata & alleviata à peccatis & vitiis vita hominis poteſt intelligi. In *Ægypto* autem, quæ *perſequens*, vel *tenebræ*, vel *anguſtans tribulatio* interpretatur, cor hominis non incongruè figuratur. *Super nubem levem Dominus* quodammodo *aſcendit*, quando hominem, quem à malè gravi peccatorum onere

nete levigavit, aſcendentem & proficientem in virtutibus facit. *Ingreditur* etiam *Ægyptum*, quandò cor illud, quod tenebroſum antea fuerat, radio viſitationis ſuæ penetrat, & illuminat.

Et movebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus.

Per *ſimulachra*, quæ ideo *ſimulachra* dicuntur, quòd *ſimulant* ſanctitatem & Deitatem, & tamen non habent, ea opera hominis, quæ bono ſimilia ſunt, ſed ad malum finem tendunt, congruè ſatis intelligi poſſunt. *Simulachra moventur*, quando mala opera mutantur. Sed unde hæc ſimulachrorum motio, unde inquam, hæc malorum operum mutatio? *A facie ejus*, a coguitione videlicet DEI Omnipotentis. Nam cùm homo præſentia viſitantis ſe majeſtatis ſupernæ irradiari intrinſecus cœperit, ipſa etiam opera ſua, quæ bona & juſta credidit, mala & injuſta invenit. Sed quia plerumque fit, ut homo peccata relinquat corpore, & tameu adhuc ea ſentiat in voluntate, aptè ſubjungitur:

Et cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.

In *corde Ægypti* intelligere poſſumus voluntatem hominis. *Cor Ægypti tabeſcit in medio ejus*, quando ſupernæ pietatis gratiâ attactum ab omni noxia voluntate infirmari cœperit, atque in laudabili quadam medietate ita ſe in ſe continet, quòd nec proſpera nimiùm diligit, nec adverſa nimiùm metuit. De hoc tali homine in tam laudabili medietate conſiſtente quid adhuc ſubjungat Dominus, audiamus.

Et concurrere, inquit, *faciam Ægyptios adverſus Ægyptios*. Per *concurrentes Ægyptios adverſus Ægyptios* unum eundemque hominem congruè ſatis intelligere poſſumus. *Concurrere facit Dominus Ægyptios adverſus Ægyptios*, quando homines perſecutores adverſus homines peccatores, homines, inquam, pœnitentes adverſus homines peccantes felici diſcordia ſuſcitat. Bonus ſanè & feliciter diſcordans concurſus Ægyptiorum adverſus Ægyptios fit, quando is, qui Ægyptius erat peccando, Ægyptius eſſe incipit diſtrictæ animadverſionis ſententia in ſe ipſo peccata perſequendo & puniendo. Unde protinus ſubinſertur:

Et pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, civitas adverſus civitatem, regnum adverſus regnum.

Per *fratrem & amicum* ſpiritum hominis & corpus congruè intelligere poſſumus. *Pugnat vir contra fratrem ſuum*, quando ipſis voluntatibus ſuis, quæ in ſpiritu fiunt, viriliter homo reſiſtere incipit. *Pugnat vir contra amicum ſuum*, quando corpus ſuum, quod contra DEum priùs amaverat, quaſi inimicum propter DEum reputat, quando illud quaſi inimicum conterit, diverſiſque adverſitatibus atque laboribus domat & confringit. *Pugnat* etiam *civitas adverſus civitatem*, quando civitas bonorum operum adverſus civitatem malorum operum conſurgit. *Pugnat regnum adverſus regnum*, quando forti & virili conſtantia bonæ actionis regnum vitiorum diſſipatur, regnumque virtutum per gratiam DEI in homine ſtabilitur, & confirmatur. Hanc laudabilem pugnam quid gratiæ & virtutis ſequatur, verbis ſequentibus myſticè demonſtratur, cùm dicitur:

Et diſrumpetur ſpiritus Ægypti in visceribus eorum, & conſilium ejus præcipitabo.

Poteſt hoc in loco per *Ægyptum* Mundus, per *ſpiritum Ægypti* concupiſcentia Mundi, per *viſcera* vitales hominis ſenſus deſignari. Quamdiu homo in Mundo eſt, & delectabiliter Mundum poſſidet, ſpiritum Mundi habet. *Omne enim*, ùt ait Apoſtolus Joannes, *quod in Mundo eſt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ eſt.* 1. Joan. 2, 16. Sed dum ab hoc ſæculo perfectè ad DEum converſus fuerit, atque in converſione ſua juxta præſcriptum ordinem vivere cæperit, *ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus* quodammodo *diſrumpitur*, quando ejecto ſpiritu ſuperbiæ, qui utique ſpititus Ægypti, ſpiritus, inquam, Mundi eſt, humilitatis ſpiritus *in viſceribus*, hoc eſt: in vitalibus ſenſibus ejus divinitus diffunditur.

Benè autem adjecit Dominus, & ait: *Et conſilium ejus præcipitabo.* Conſilium enim ſpiritus ſui *præcipitat*, & inutile facit in homine *conſilium* ſpiritus Ægypti. Conſilium ſpiritus Ægypti eſt,

ut

ut ſecundùm concupiſcentias Mundi A. homo vivat. Conſilium ſpiritus DEI, Spiritus Sancti eſt, ut deſpectis & abjectis concupiſcentiis Mundi per veram humilitatem ſemper ſe DEO ſubmittat. Omnes autem, qui præcipitato hoc modo conſilio ſpiritus Ægypti huic Sancti Spiritus conſilio conſenſerint, qualiter poſtmodum vivere debeant, ex ſequentibus verbis exemplum ſumant. Sequitur:

Et interrogabunt ſimulacbra ſua, & divinos ſuos, & pythones ſuos & ariolos.

B. *Divini* dicebantur, qui quaſi Prophetico ſpiritu futura prænuntiabant. *Pythones* dicebantur, qui maligno ſpiritu obſeſſi quaſi ex quadam inſania prophetabant. *Arioli* dicebantur, qui aut in aſtris aut in extis pecudum futura prævidere conſueverant. Poſſumus intelligere per *ſimulacbra*, ſicut prædiximus, opera hominis, per *divinos* interiores ſenſus hominis, per *pythones & ariolos* duo genera peccatorum, quorum unum eſt, quando inſtigante maligno ſpiritu ex induſtria, hoc eſt: voluntariè ac ſcienter C. homo peccat. Aliud vero eſt, quando absque mentis delectatione & deliberatione ex caſu & ſubita quadam præcipitatione peccat. *Simulacbra ſua* quodammodo *interrogat*, qui diſtrictè ac ſolicitè diſcutit & examinat, quid vel quantum in exteriori homine malis actibus commiſerit. *Divinos ſuos interrogat*, quando ſubtiliter & humiliter ad memoriam revocat, quid vel quantum in interiori homine iniquis contra DEum voluntatibus deliquerit. Sed nec hoc quidem homini ſufficit, niſi etiam *pythones* D. *& ariolos interroget*: quia qui perfectè pœnitere vult, non ſolùm hoc, quandò vel quantum peccaverit, ſed & rectè diſcernere, & diſcretè perpendere debet, ubi aut quomodo peccaverit, an ex induſtria, aut eventu? hoc eſt: utrum ſtudio & amore, longaque animi deliberatione aut ex ſola improvidæ ac infirmæ mentis præcipitatione peccati crimen incurrerit? Poſt interrogationem iſtam, poſt tam diſtrictam hanc ſui, ùt ita dicam, diſcuſſionem, fit tandem, quod ſequitur:

Et tradam Ægyptum in manus Dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus exercituum. ℣. IV.

Domini iſti, Domini boni ſunt, qui *crudeliter*, ſed ſalubriter ab homine exigunt, quod peccavit, qui ad hoc excitant eum, & inſtigant, ut tanta crudelitate & amaritudine pœnitendo contra ſemetipſum ſæviat, quanto amore, quantaque cordis ac corporis dulcedine peccavit: ſicque fit, ut *Rex fortis dominetur eorum*, quando præſidens ſpiritus, quem per Regem ſortem intelligimus, fortiter ſenſibus carnis dominando, ſublimiter regendo imperat, & ne priſtinis libidinis ſuæ motibus caro ſervire poſſit, cuncta ejus fluxa potenter comprimit, atque reſtringit.

Et areſcet aqua de mari, & fluvius deſolabitur, & ſiccabitur. ℣. V.

Et deficient flumina, & attenuabuntur, & ſiccabuntur rivi aggerum. ℣. VI.

Aqua de mari areſcit, quando concupiſcentia carnis, quæ per aquam notatur, ex amaricato per pœnitentiam corde quaſi exhauſta ſuperatur. *Deſolatur* etiam *fluvius atque ſiccatur*, quando carnalis actio, per quam lethaliter diffluere & effluere homo conſueverat, quaſi ſublato ſolatio fortiter reſtringitur. *Solatium fluvio ſubtrahitur*, quando turbidus carnalis operationis fluvius, qui ex immoderantia cibi, potus, atque ſomni cæterarumque delectabilium affluentia rerum proceſſit, ſiti, fame, vigiliis, atque flagellis, cæterisque piis laboribus fortiter eliditur.

Poſt hæc *deficient* etiam *flumina, & attenuabuntur, & ſiccabuntur rivi aggerum.* Poſſumus intelligere per *flumina* grandes tentationes, quæ proficientem hominem fortiter ex malitia diaboli plerumque illidunt: per *rivos aggerum* minores tentationes, quæ ex comportatione carnis quodammodo ſurgunt, & procedunt. Sicut enim aggeres ex congeſtione terræ fiunt: ita dum homo terram ſuam, id eſt: carnem ſuam ſuaviter & voluptuosè tractat, quaſi aggeres quosdam comportat, ex quibus noxii tentationum rivi oriuntur. Sed dum caro ùt hoſtis deputatur, & hoſtiliter, ut ita dicam, propter

DEum

DEum tractatur, tentationes illæ, quas A. aliquando ex ſe pariebat, quaſi *exſiccati rivi* intereunt. Sed & *flumina*, id eſt: magnæ & grandes tentationes, quibus ex importunitate diaboli quaſi forti fluminum impetu impingebatur, per potentiam & miſericordiam DEI compreſſæ, aut penitus deficiunt, aut etiam ita attenuantur, & moderantur, quòd prævalere ei ultra non poterunt. Unde autem hæc fluminum attenuatio, unde hæc rivorum exſiccatio veniat, ſequens verborum ordo myſticè inſinuat. Nam ſequitur:

Calamus, & juncus marceſcent. Quid B. per *calamum*, qui vacuus eſt, niſi cor hominis evacuatum jam ab amore ſæculi, & quid per *juncum*, qui fragilis eſt, niſi fragile & infirmum corpus hominis intelligi poteſt? Quomodo autem cor & corpus hominis marceſcere debeat, alus protinus verbis evidentiùs Propheta exponit, cùm dicit:

℣. VII. *Nudabitur alveus rivi à fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur, & areſcet, & non erit.*

Sicut per juncum, ita & per *alveum* corpus hominis intelligimus. *Nudatur* C. *alveus rivi à fonte ſuo*, quando homo verè & humiliter in confeſſione ſua aperit, quid & quantum, & quam turpiter in corpore & cum corpore ſuo peccaverit. Ibi verè, cùm ita ſemetipſum homo denudat, *omnis ſementis irrigua ſiccabitur, & areſcet & non erit*: quia anima ſive caro illa, quæ *irrigua* fuit in peccatis, *exſiccata* per pœnitentiam, emundata per confeſſionem, de perfecta peccatorum remiſſione gaudebit.

℣. VIII. *Et mærebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete ſuper faciem aquæ.* * D.

* *aliàs*: ſuper faciem aquarum emarceſcent. Confundentur &c. *ut in ſequenti* ℣.

Sunt *piſcatores* quidam, qui boni ſunt, ſancti videlicet Angeli, qui hominem de mari hujus ſæculi trahunt, creatorique ſuo reſtituunt. Sunt etiam *piſcatores* quidam, qui mali ſunt, contrarii videlicet ſpiritus, qui ſuggeſtionibus & immiſſionibus ſuis proceloſis peccatorum fluctibus ſemper hominem immergere ſatagunt. Nam cùm viderint, quòd ita in Domino progreditur homo ille, quem priùs piſcati fuerant, cujus cordi *hamum* deceptionum ſuarum fortiter infixerant, ſuper quem *rete*, id eſt: violentam coactionem ſuam *expanderant*, *mærebunt, & lugebunt*: quia humana ſalvatio intolerabilis eorum mœror eſt & tribulatio. Unde adhuc ſubditur:

*Marceſcent & confundentur, qui operabantur linum plectentes * & texentes ſubtilia.* ℣. IX.

* *aliàs*: pectentes.

Et erunt irrigua ejus flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos piſces. ℣. X.

Per *linum*, quod de terra naſcitur, homo, qui terrenus antea & carnalis fuerat, non injuſtè accipitur. Maligni autem ſpiritus *operatores lini* jure nominari poſſunt: quia hæc ſunt opera eorum, quòd hominem terrenum terrena ſapere, carnaliter vivere faciunt. Quomodo, *plectentes & texentes ſubtilia? Plectentes* in operatione, *texentes* in cogitatione. *Plectentes* in operatione dicuntur: quia peccatis peccata ſemper connectunt. *Texentes* in cogitatione dicuntur: quia malignis ſuggeſtionibus & immiſſionibus ſuis noxias & illicitas in corde hominis cogitationes cogitationibus contexunt, ut ex his *lacunas* ſibi, id eſt: corda & corpora hominum carnalia faciant, in quibus *piſces* ſuos, quod ſunt peccata & vitia, quibus ineſcantur, congregare & conſervare valeant. Sed *marceſcent*, & *confundentur*: *marceſcent* in converſione hominis: *confundentur* in perfecta converſatione hominis. *Et erunt irrigua ejus flaccentia*, quando & irriguitas malarum concupiſcentiarum, quæ intrinſecus in anima exuberabat, & irriguitas carnis, quæ per mala opera forinſecus emanabat, ita per gratiam DEI exhauſta fuerit, quòd nullis malignis ſpiritibus ad faciendas lacunas, ad capiendos piſces vel in anima, vel in corpore ejus locus remanebit.

CAPUT V.

Onus deſerti maris, ſeu de triplicis compunctionis gratia. In Cap. XXI. Iſaiæ.

Onus deſerti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili. ℣. I.

Viſo

℣. II. *Viſio dura nuntiata eſt mihi: qui incredulus eſt, infideliter agit, & qui depopulator eſt, vaſtat. Aſcende Ælam, obſide Mede: omnem gemitum ejus ceſſare feci.*

IN onere iſto quinto præſcribitur & oſtenditur nobis triplex compunctionis gratia, per quam homo, qui *deſertum mare* jam factus eſt, hoc eſt: qui deſerto & relicto ſæculo in amaritudine corporis & animæ DEO jam ſatisfacere cœpit, miſericorditer plerumque tangitur, & viſitatur. Compungitur enim aliquando ex ſola prævenientis Sancti Spiritus gratia, aliquando ex recordatione malorum deſideriorum, malarumque voluntatum, quibus in corde DEum offendit, compungitur aliquando ex recordatione malorum operum, quæ corpore contra DEum commiſit Hoc enim in exordio oneris hujus nobiliter exprimitur, cùm in perſona perfectè pœnitentis hominis, & in vera humilitate ſe ipſum agnoſcentis per Prophetam dicitur: *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili: viſio dura nuntiata eſt mihi.* Poſſumus hoc in loco congrua comparatione per *Africum* intelligere Spiritum Sanctum: quia ſicut flante Africo grandes & diverſæ tempeſtates oriri ſolent: ſic ſpirante & aſpirante Spiritu Sancto dura pridem peccatorum corda quaſi magnis quibusdam ac bonis turbinibus commota & excitata ad pœnitentiæ fletum mirabiliter & miſericorditer reſolvuntur.

Per *deſertum* verò intelligimus cor hominis jam perfectè deſerens Mundum & *deſertum* à Mundo: per *terram horribilem* ipſum corpus hominis, quo horribiliter peccavit Domino. Sicut enim *turbines* boni, ſuaves utique & juſtæ tribulationes ab Africo, hoc eſt: ex viſitantè & aſpirante Spiritu Sancto veniunt, quæ ſuaviter intrinſecus hominem afficiunt: Sic de deſerto illo, quod cor hominis diximus, alius quidam turbo etſi non æque ſuavis, tamen æque ſalutaris venit, quando multarum voluntatum atque deſideriorum, quibus in corde, quod per deſertum intelligendum diximus, nullo ſciente, ſed ſolo DEO inſpiciente multoties offendit, humiliter reminiſcens medullitus compungitur. Venit etiam *turbo alius de terra horribili*, quando mul-A.ta horribilia peccatorum contagia, quæ corpore commiſit, humiliter ad memoriam revocans horret & expaveſcit, & prævalido pœnitentiæ dolore quaſi forti quodam concuſſus turbine compunctus ingemiſcit.

Ex diverſis his turbinibus nunc ab Africo, nunc de deſerto, nunc de terra horribili venientibus *viſio dura nuntiatur* homini. *Dura* hæc *viſio* vera & perfecta peccatorum eſt recognitio. Nam antequam turbines iſti veniant, non poteſt homo videre, non poteſt cognoſcere ſe ipſum, non poteſt ſcire vel intelligere, B. quantum mali promeruerit apud DEum. Venientibus autem his turbinibus, ubi perfectè ſeipſum recognoverit, gemebunda cordis voce in ſpiritu & in animo contrito plerumque dicit in ſeipſo: *Qui incredulus eſt, infideliter agit, & qui depopulator eſt, vaſtat. Incredulus* quodammodo homo eſt, quando mala voluntate intrinſecus corrumpitur, *infideliter* agit, quando malam voluntatem malis operibus proſequitur. Hæc duo homo juſtus prædictis turbinibus feliciter exſuſcitatus in ſe ipſo plerumque reprehendit, accu-C.ſat, & punit, atque dicit: *Qui incredulus eſt, infideliter agit, & qui depopulator eſt, vaſtat.* Ac ſi dicat: Miſer tu ac gemende, recognoſce te incredulum: per omnimodam enim peſſimæ voluntatis nequitiam coram DEO interiùs ſorduiſti, tu enormitate ſceleratæ actionis ſicut infidelis infideliter contra DEum hucusque vixiſti. Sed & nunc, quod magis dolendum eſt, poſtquam converſus ad Dominum priſtinas transgreſſiones ſequentis pœnitentiæ & ſatisfactionis humilitate emendare atque delere debueras, factus es ſicut *populator devaſtans.* DEO enim D. honorem ſuum abſtuliſti, & bona ac virtutes, quas ex dono ejus acceperas, quibus gratiam DEI & priſtinæ incredulitatis atque infidelitatis tuæ indulgentiam & remiſſionem promereri potueras, tibi quaſi eſſent ex te, ſtultè attribuendo vaſtâſti. Sic, ſic dum & bona DEI ad memoriam revocat, & mala, quæ bonis ejus reddidit, anxiè examinat, quantò veriùs perpendit, quod meruit, tantò diſtrictioris pœnitentiæ lamentis ſeipſum conterit, & affligit rurſum ad ſe dicens intra ſe:

Aſcen-

Aſcende Ælam, obſide Mede, omnem gemitum ejus ceſſare feci.

Per *Ælam*, quod interpretatur *aſcenſus ejus*, ſuperbiam cordis non incongruè accipimus: per *Medos* autem, qui *tentantes* dicuntur, diverſæ tentationes carnis non injuſtè exprimuntur. Increpat homo perfectus primò *aſcenſum*, id eſt: cordis ſui ſuperbiam, per quam dum incautè ſe extollendo aſcendere contra DEum non metuit, ad peccatorum voraginem miſerabiliter deſcendere meruit. Increpat etiam malè *tentantes* paſſiones carnis ſuæ, quibus ſuperatus ac proſtratus DEum Creatorem ac Redemptorem ſuum totiens & totiens offendit. *Aſcende*, inquit, *Ælam.* Hoc eſt dicere: Tu malè aſcendens ſuperbia cordis mei, quæ à veræ lucis intuitu interiores oculos meos totiens excœcâſti, quæ DEum à me, & me à DEO Salvatore meo elongâſti, & expuliſti, *aſcende*, *aſcende*, inquam, intra cordis mei conſcientiam, *aſcende* ante oculos cordis mei, ubi ſemper te inſpiciam, ſemper confitendo pœniteam, pœnitendo amarè defleam. Sic cùm ſe pro elatione mentis defleverit, tentationes etiam carnis, quibus & per quas ad iniquitatis opera prolapſus eſt, pari humilitate deplorans ſubjungit, & dicit:

Obſide Mede. Quaſi dicat: Tu mea miſera tentatio, quæ me ùt infirmum, ùt enervem proſtraviſti, quæ tot & tantis, tamque facinoroſis peccatorum contagiis inquinatum reum DEO conſtituiſti, *obſide* me, more, inquam, obſidentis ſemper eſto coram me, quatenus indeclinabili obſidione tua, triſti & amara tui recordatione ſemper me opprimas, omni tempore me humiles, ſemper te inſpiciam, ſemper ex te, quod ad pœnitentiæ lamenta ſuccendar, habeam. *Omnem gemitum ejus ceſſare feci.* Ea, quæ mihi gemenda erant, nec gemui, ſicut debui, ſed *ceſſante gemitu* exultavi, & lætatus ſum in his, pro quibus flere & contriſtari debui.

℣. III. *Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis: corrui, cùm audirem: turbatus ſum, cùm viderem.*

℣. IV. *Emarcuit cor meum, tenebra ſtupefecerunt me.*

Verba hæc, quæ vera humilitas in corde perfectè pœnitentis format, ita diſtincta atque diſcreta ſunt, quòd quædam ad hominem interiorem, quædam ad hominem exteriorem ſatis congruè referri poſſunt. Cùm enim dicit: *Repleti ſunt lumbi mei dolore: corrui, cùm audirem, turbatus ſum, cùm viderem, emarcuit cor meum*, interioris hominis contritionem ſignat. Ubi autem ſubjungit: *Anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis, tenebra ſtupefecerunt me*, exterioris hominis afflictionem inſinuat. *Lumbi* enim *dolore replentur*, quando omnia interiora hominis ad pœnitentiam commoventur. Dolor iſte interior, dolor utique intimæ pœnitentiæ facit hominem audientem, facit eum videntem, facit eum marceſcentem. Nam dum perfecto pœnitentiæ dolore intus tangitur, intus repletur, audire incipit DEum creatorem ſuum, audire incipit intrinſecus, quid præcipiat, quid interdicat, videre per amorem DEum incipit, quem videre & diligere antea, neglexit. Ad internam hanc auditionem *corruit*, ad internam hanc viſionem *turbatur*, & *marceſcit*. *Corruit* à priſtina mentis elatione, *turbatur* ex nimio pœnitentiæ dolore, *marceſcit* ab omni ſæculi delectatione atq; amore.

Sed dum hoc modo intrinſecus dolore tactus fuerit, cùm ſic turbatus ab omnibus, quæ Mundi ſunt, feliciter emarcuerit, auxiliante ſupernæ pietatis gratia interioribus profectibus exterioribus reſpondet actibus, ſicut convenienter ex verbis illis colligere poſſumus, quæ & in medio & in fine præſentis hujus verſiculi intacta reliquimus. Nam poſtquam dixit: *Propterea repleti ſunt, lumbi mei dolore*, adiecit: *Anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis.* Rurſumque cùm diceret: *Corrui, cùm audirem, turbatus ſum, cùm viderem. Emarcuit cor meum*, addidit: *Tenebra ſtupefecerunt me.* Sed quæ eſt *anguſtia* hæc, qua poſt tantam interioris hominis perfectionem exteriùs poſſidetur? Vel quæ *tenebra* illæ, quibus *ſtupefactum* ſe dicit in exteriori homine? Vivit homo quaſi in quadam latitudine, quando laxè corpus ſuum tractat, quando pro libitu ſuo & deſiderio carnis cibis & potibus, ſomno, jocis cæteriſque, quæ caro concupi-

concupiſcit, plus æquo iudulget. Sed A. ſpatioſa hæc latitudo in quandam laudabilem & felicem *anguſtiam* tranſit, quando in his, in quibus priùs ſibi relaxaverat, ita ſe propter DEum angit, & anguſtat, quod non ſolùm illicita, ſed & licita & univerſa, ut ita dicam, quæ ſuavia & delectabilia carni ſunt, conſtanter propter DEum reſpuit, abjicit, atque contemnit. Talis iſte homo rectè dicere poteſt coram Domino, *Anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis.* Quaſi dicat: Anguſtiam hanc, cui me abjecta & deſpecta malè lata carnalis voluptatis dulcedine B. jam propter DEum ſubegi, feci poſſeſſorem meum, ut anguſtatus ſub ea & coarctatus ad inania carnis ultra non effluam, factaque eſt mihi ſicut *anguſtia parturientis*, ſicut anguſtia hominis parere deſiderantis: quia non ſolùm pro evadendo inferni ſupplicio, ſed & amore & deſiderio pariendi ex corde, pariendi ex corpore meo aliquid DEO placitum, DEO dignum, omne, quod latum in hoc Mundo eſt & jucundum, triſte mihi factum eſt & anguſtum. Poſt talem anguſtiam rectè C. ponitur:

Tenebræ ſtupefecerunt me. Per *tenebras* enim adverſitates carnis intelligimus: quia quando auget ſibi vigilias, jejunia, ſilentium atque flagella, hæc omnia quaſi *tenebræ* quædam ſunt, quæ eum mundanæ jucunditatis luci ſubductum, ſtupidum Mundo faciunt. *Stupor* hoc dicitur, cùm ſubito & inopinato pavore homo concuſſus extra ſe ducitur. Rectè autem homo perfectus quaſi *ſtupefactus tenebris* dicitur, quando per anguſtias atque adverſita- D. tes carnis conquaſſatus à ſe ipſo, ab eo, inquam, qui priùs fuerat, alienatus & immutatus, etiamſi Mundus ſit, jam non ſentit: quia mortuus ſæculo ſoli DEO vivere diligit. Unde aptè adhuc ſubjungit, & dicit:

Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.

Miratur etenim, & mirando deflet, ac conqueritur, tam ſtultè, tamque inſenſatè dies ſuos ſe expediſſe, pro brevi & inſtabili Mundi hujus delectatione & amore tanta bona perdidiſſe, tanta mala commeruiſſe. *Babylon*, inquit, *dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.* Babylon interpretatur *confuſio.* Et eſt, quaſi dicat: *Confuſa & confundens* terreni amoris delectatio, quæ me ùt *dilecta* dilectum poſſederat, ſibique ſubjugaverat, jam jamque *poſita eſt in miraculum*: antea dilecta jam abominabilis facta eſt mihi atque deſpecta. Mirabile enim & prorſus miſerabile judico à quoquam hominem cum tanto amore & deſiderio concupiſci hoc ac poſſideri, quod poſſidentem confundit, quod amittentem tantæ amaritudini atque dolori addidit. Sic fatuitatem ſuam humiliter conſideranti ac miranti, ut ad conſideranda etiam & penſanda Divinæ miſerationis opera ſenſum & intellectum convertere ſtudeat, ſequentibus verbis myſticè docetur, cùm dicitur:

Pone menſam, contemplare in ſpecula. ℣. V.

Per *menſam* poteſt intelligi Sacra Scriptura, in qua verè repoſitus ac reconditus eſt cibus fidelis animæ Propheta teſtante, qui ait: *Paraſti in* Pſal. 22, 5. *conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me.* Per *ſpeculam* autem, in qua, & ex qua homo longè & propè poſita contemplatur, purum cor, & pura anima aptè figuratur. *Appoſitâ menſâ contemplari* jubetur *in ſpecula*: quia adminiſtrata divinitus Sacræ Scripturæ fercula puris mundi cordis oculis apponere docetur, ut ex his ſapiat, & intelligat, quid Creatori & Redemptori ſuo debeat. Unde & adhuc ſubditur:

Comedentes & bibentes ſurgite Principes, arripite clypeum.

In *clypeo*, quo homo adverſus ictus & tela adverſariorum præmunitur, glorioſum ſanctæ crucis lignum, per quod inviſibilium inimicorum ſagittæ inviſibiliter eliduntur, & declinantur, congruè intelligitur. Lignum verò Dominicæ Cru-

Crucis exprimit & docet mortificationem A. carnis. *Comedentes*, inquit, *& bibentes ſurgite Principes.* Ac ſi dicat: Vos, qui jam *Principes* facti eſtis, qui relicto ſæculo principari ac dominari vitiis cœpiſtis, duriora Sacræ Scripturæ *comedentes*, aſſiduæ, inquam, meditationis dente frangentes & comminuentes, leviora, *ibibentes*, id eſt: in cibum & refectionem animæ transferentes, *ſurgite*, ſemper vos de infimis ad ſumma, de terrenis ad cœleſtia per deſiderium & amorem ſublevate. *Arripite clypeum*, carnis diligite mortificationem, meam humiliter imitantes B. paſſionem. Sed ſi durum tibi videatur ô homo clypeum juſtum arripere, ſi refugis paſſionis & mortis meæ imitator exiſtere:

℣. VI. *Vade & pone ſpeculatorem, & quodcunque viderit, annuntiabit tibi.*

Speculator iſte, qui nobis præcipitur, ut *ponamus* eum, intellectus noſter eſt, per quem quaſi in ſublimi ſpecula poſitos conſiderare, humiliter penſare nos convenit, quæ & quanta Omnipo- C. tens DEus creator cœli & terræ pro indignis nobis & peccatoribus ſuſtinuerit. Nam ſi in Auctorem noſtrum frequenter reſpicimus, ſi multiformes paſſionis ejus ignominias aſſiduè recolimus, quidquid ſe nobis obtulerit, totum pro ejus amore leve nobis & tolerabile erit. Igitur *vade*, inquit, *& pone ſpeculatorem.* Quaſi dicat: *Vade* per intellectum, *pone* per affectum. *Vade* miſericordiæ & miſerationis meæ dona in intellectu cordis tui dignè conſiderando & penſando: *pone* in affectum tuum, quantum pro te laboraverim, quanta dilectionis & ſalutis tuæ D. causâ ſuſtinuerim.

Ad hanc internæ exhortationis, & eruditionis Domini vocem ubi intrinſecus homo expergefactus & illuminatus totum intellectum ſuum ad DEum converterit, fit tandem, quod dicitur: *Et quodcunque viderit, annuntiabit tibi. Videt* quodammodo, quando univerſa pietatis ejus opera prudenter intelligere incipit: *quodcunque viderit*, *annuntiat*, quando ea, quæ de DEO ſcit, & intelligit, affectuoſa cordis devotione veneratur, & diligit. Sed quid videat, & videndo diligat, audiamus. Sequitur.

Et vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli: & contemplatus eſt diligenter multo intuitu. ℣. VII.

Et clamavit leo: ſuper ſpeculam Domini ego ſum ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus. ℣. VIII.

*Ecce iſte venit aſcenſor * alis vir bigæ equitum, & reſpondit, & dixit: Cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum ejus contrita ſunt in terra.* ℣. IX.

* *deeſt in vulgata:* alis.

In verbis iſtis, ſi ſubtiliter diſcutiuntur, omnia Chriſti Sacramenta comprehenſa & ſignata inveniuntur. Ibi ſanè Incarnatio, ibi ſingularis ejus, & ſpecialis in hac vita converſatio, ibi paſſio ejus & mors, ibi reſurrectio, ibi aſcenſio, ibi promiſſa, & peracta Spiritus Sancti deſcenſio, ibi ſecundus ejus adventus, ibi remuneratio electorum, ibi damnatio invenitur reproborum. In *curru* denique ſanctam ejus incarnationem ſatis congruè poſſumus intelligere: quia, qui in Divinitatis ſuæ ſubſtantia nec videri, nec moveri poterat, humanitatem noſtram ſuſcipiendo *currus* quodammodo factus eſt nobis, cui miſeri nos & imbecilles imponeremur, per quem, & à quo ad cœleſtis patriæ gaudia, unde ejecti eramus, miſericorditer reportaremur. Et benè quidem currus iſte *currus duorum equitum* nominatur. Per *duos* enim hos *equites* & DEus Pater, & DEus Spiritus Sanctus dignè figuratur. Nobiliſſimi iſti equites nobiliſſimo huic curru ſocia Deitate, individua unitate ſemper præſidebant, ſemper, ut ita dicam, inſidebant: quia idem Creator & Redemptor noſter Chriſtus JESUS, qui homo viſibilis in carne viſibili apparuit, cum inviſibili Patre & Spiritu Sancto coæternus, conſubſtantialis DEus ſemper permanſit. Recto autem ordine poſtquam dictum eſt: *Et vidit currum duorum equitum*, ſubjungitur:

Aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli. Intelligimus enim in *aſino* Judaicum populum, in *camelo* Gentilem. Incarnatus pro nobis DEus primò quidem factus eſt *aſcenſor aſini*, quando ex judaico populo electos diſcipulos, ſanctos Apoſtolos, cæteroſque fidei & doctrinæ illorum ſectatores & imitatores in agnitionem & dilectionem ſuam miſericorditer attraxit. Poſt hæc factus eſt etiam *aſcenſor cameli*, quando tortuoſum illum & deformem Gentilitatis populum ab Idolorum ſordibus abſtractum ad fidei ſuæ ſacramenta attractum dignum fecit, cui ſederet, quorum corda per fidem & dilectionem inhabitaret.

Nobilis hic aſcenſor aſini & aſcenſor cameli qualiter in hoc Mundo vixerit, quam diſſimilis cæteris hominibus vita & converſatio ejus fuerit, in ſequentibus Propheta manifeſtat, cùm dicit: *Et contemplatus & diligenter multo intuitu.* Hæc eſt vita JEſu. *Contemplatus eſt diligenter multo intuitu* à malis omnibus ſemper abſtinendo, multa bona ſemper operando. Vel *contemplatus eſt diligenter multo intuitu* vitam bonorum ad æternam remunerationem, vitam malorum ad æternam damnationem.

Et clamavit leo. Duobus his verbis ſacramentum paſſionis & reſurrectionis Chriſti breviter comprehenditur. Qui *clamavit* in paſſione, *leo* factus eſt in reſurrectione. *Clamavit* humiliter in cruce moriens, *leo* factus eſt potenter à morte reſurgens. Sed clamor talis taliter in cruce morientis quid gratiæ & beatitudinis Eccleſiæ contulerit, fortitudo leonis hujus cum tanta potentia reſurgentis, dicat ipſe, qui clamavit, dicat ipſe, qui reſurrexit.

Super ſpeculam Domini, inquit, *ego ſum ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus.* Brevi hoc verſiculo comprehenditur glorioſa ejuſdem Domini noſtri JEſu Chriſti aſcenſio, & promiſſa atque peracta Sancti Spiritus ad terras deſcenſio. Per *ſpeculam* enim ſpecioſa & præclara beatorum Angelorum, ſanctarumque animarum cum Chriſto jam in cœlo regnantium multitudo ſatis congruè accipi poteſt. Per *cuſtodiam* vero illam, quam *ſuam* cuſtodiam nominat, ſuper quam *totis* ſe *noctibus ſtantem* affirmat, præſen-

A. tem Eccleſiam in nocte mortalitatis hujus adhuc laborantem myſticè ſignat. *Stare* quidem *ſuper ſpeculam* Domini tunc incepit, quando poſt devictam mortem, poſt gloriam reſurrectionis exaltatus & elevatus ſuper omnes choros Angelorum verus DEus & verus homo ad dexteram Patris potenter conſedit. Sed & ſuper cuſtodiam ſuam ſtans erat *totis noctibus*, quando poſt aſcenſionem ſuam primitivam illam Eccleſiam, quam in nocte ignorantiæ, in nocte adverſitatis humanæ reliquit, Divinitatis ſuæ potentia inter adverſa Mundi cuſtodivit, donec

B. novo, & inaudito Sancti Spiritus jubare colluſtratos, & inundantis Divinitatis munere perfuſos & repletos contra omnia adverſa fortes & inſuperabiles dedit.

Hæc eſt perpaucis comprehenſa aſcenſionis ejus gloria, in qua in ſuperna illa & ſublimi ſanctorum Angelorum beatarumque animarum ſpecula ſtans jugiter per diem honoratur, adoratur, veneratur, ubi nox nulla, ſed dies continuus, nulla, inquam, ignorantia, ſed omnis ſcientia, nulla triſtitia, ſed perpes lætitia, nulla adverſitas, ſed continua

C. eſt proſperitas. Hæc eſt breviter comprehenſa Paternæ conſolationis ejus gratia, qua primitivam illam Eccleſiam dato deſuper Spiritu Sancto tunc conſolatus eſt præſignans & præmonſtrans, immò etiam confirmans miſericordiam illam, & miſerationem, qua ſuper cuſtodiam ſuam, univerſam videlicet Sanctam Eccleſiam, quam redemit, quam ad cuſtodiendum ſuſcepit, Paterna ſolicitudine adhuc cottidie invigilat.

Super cuſtodiam meam ego ſum ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus. Ac ſi dice-

D. ret: Licèt in aſſumpta humanitatis meæ forma ſupra cœlos, cœleſtemque dignitatem elevatus, & ad dexteram coæterni Patris coæternus Filius collocatus: nequaquam tamen obliviſcor, nec obliviſci valeo *cuſtodiæ meæ*, Eccleſiæ meæ, quam cuſtodire deboo *ſtans ſuper eam totis noctibus*, hoc eſt in omnibus adverſitatibus, anguſtiis ejus, ac tribulationibus ſemper & ubique indeficientibus miſericordiarum mearum ſuſtentando eam conſolationibus.

Præmiſſis & præſignatis Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſio-

nis

nis Chriſti ſacramentis qualis, quàm di- A. ſtrictus Judex quandoque redeat, ſequentibus mox verbis Propheta pronuntiat:

Ecce, inquit, *iſte venit aſcenſor alis vir biga equitum, & reſpondit & dixit: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum ejus contrita ſunt in terra.*

Ecce, inquit, *iſte*, qui clamavit in morte, qui leo factus eſt in reſurrectione, qui *aſcenſor alis*, id eſt: potentia Divinitatis ſuæ, ſive *alis*, id eſt: miniſterio Sanctorum Angelorum ſupra aſtra elevatus cum Patre & Spiritu Sancto regnat in B. cœlis, *Ecce iſte venit vir biga equitum*, hoc eſt: verus DEus & verus homo. *Venit* quidem *vir*, hoc eſt: in eadem humanitate, qua vir erat, qua homo judicatus eſt ab hominibus omne genus hominum judicaturus. Et benè quidem verbis Propheticis verba Angelorum congruunt, qui aſcendente eodem Domino noſtro adſtantibus diſcipulis dixerunt: *Hic JEſus, qui aſſumpts eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*

Act. 1. 11.

Nec prætereundum, quod dicitur: *Vir biga equitum.* Duo quidem genera C. equitum ſunt. Habet enim DEus Omnipotens equites ſuos in hoc Mundo, omnes videlicet electos ſuos, quibus ipſe ſedet, quibus dominatur. Habet & diabolus equites ſuos univerſos iniquos, quibus ipſe ſedet, in quibus regnat, quibus principatur. Veniet quandoque Dominus *vir biga equitum* judex bonorum atque malorum, *reſpondebitque & dicet: Cecidit, cecidit Babylon.* Reſpondebit bonis bona, reſpondebit malis mala. *Reſpondebit* bonos pro bonis æternaliter remunerando, *reſpondebit* malos pro malis æternaliter damnaudo. *Et dicit: Cecidit* D. *Babylon.* Caſus iſte Babylonis eſt confuſio æternæ damnationis. *Cadet Babylon*, quando electis ad æternæ beatitudinis gaudia collectis collectio malorum, quæ per Babylon intelligi poteſt, generali tranſacto judicio æternæ damnationis deputabitur ſupplicio.

In hoc ſanè caſu *omnia ſculptilia Deorum ejus in terra contererentur*: quia omnia deſideria reproborum, quæ hoc loco per *ſculptilia Deorum* intelligi poſſunt, ad nihilum ibi redigentur. Talis enim & tantus erit caſus ille Babylonis, ut etiamſi recta dici & eſſe poſſent deſideria eorum, qui erunt damnandi, exaudiri tamen à juſto judice DEO non poterunt: qua exaudiri non debebunt. Clamabunt, & non exaudientur, dolebunt, & non conſolabuntur. Tam horrenda, tamque metuenda extremi examinis diſtrictione myſticis his, ut diximus, verbis per Prophetam præſignata & prænuntiata ipſe, qui venturus eſt, Filius DEI ſermonem Prophetiæ ſuæ confirmans atque concludens malis & bonis, reprobis, & electis loquitur dicens:

Tritura mea, & filia area mea, quæ audivi à Domino exercituum DEO Iſraël annuntiavi vobis. ỳ. X.

Per *trituram* mali & reprobi non incongruè notantur. *Filia* autem *area* Domini omnes electi DEI dignè nominantur. Sunt enim mali & perverſi homines quaſi *tritura* quædam bonorum. Multimodis enim tribulationibus, & adverſitatibus, quas ab impiis electi in *area* præſentis vitæ patiuntur, more tritici mundantur, & purgantur, ut digni, qui in cœleſtibus apothecis reponi debeant, quandoque inveniantur. Cain erat tritura Abel: quia purgavit eum. Uxor Beati Job erat tritura ejus: quia dum per dolorem ſuperari & moveri ad impatientiam non potuit, verbis malè ſuadentis uxoris trituratus quodammodo & purgatus, magis ac magis laudari ac coronari à Domino promeruit.

Nec prætereundum, quod dicitur: *Quæ audivi à Domino exercituum DEO Iſraël, annuntiavi vobis. Dominus* nomen eſt timoris, *DEus* nomen amoris. Omnipotens creator dicitur *Dominus exercituum*, *DEus* dicitur *Iſraël*. Plurimorum enim *Dominus* eſt per timorem, paucorum verò *DEus* per amorem. A pluribus enim ſervili timore ut Dominus timetur, à paucioribus verò, id eſt: à ſolis Iſraelitis, à ſolis, inquam, DEum videntibus, & videre cupientibus pura mente ut DEus amatur. Illos ſanè, quorum Dominus eſt per timorem, *trituram ſuam* nominat: illos verò, quorum DEus eſt per amorem, *filiam areæ ſuæ* appellat. *Tritura mea*, inquit, *& filia area mea, quæ audivi à Domino exercituum DEO Iſraël, annun-*

annuntiavi vobis. Quaſi diceret: Tu pars malorum, quæ ad hoc poſita es, ut per te filii mei purgentur: & tu pars electorum, quæ *in area mea*, in area, inquam, præſentis ſæculi propter me triturandа es, & purganda adverſitatibus impiorum, *quæ audivi à Domino exercituum DEO Iſraël, annuntiavi vobis.* Ego, inquam, ego, qui DEus cum DEO omnia cum ipſo, in ipſo ſcio & audio, hæc *vobis annuntio*, hæc vobis dico, ut vos, qui mali eſtis, & voluntati DEI reſiſtitis Dominum metuentes, a malis reſipiſcatis: & vos qui boni eſtis, de bono in melius proficientes DEum ſicut DEum diligatis, ut B. cùm de area præſentis vitæ ſublati fueritis, ipſo auxiliante digni tandem inveniamini, qui cœleſtibus horreis inſeramini per ipſum in ipſo fine coronandi.

Hæc profectò vox DEI Omnipotentis ad ſalutis gratiam non modò bonos, ſed & malos inviſibiliter intrinſecus vocantis & admonentis tam valida tamque ſonora eſt, quòd non ſolum juſtos ad perfectiorem juſtitiæ normam ſublevat, & accendit, ſed ipſum etiam peccatorem ſoporatum in iniquitatibus, ac deſperatum miſericorditer ſuſcitat, ac vivificat, C. ita ut clamanti ad ſe Domino aurem cordis humiliter apponere incipiat, ſicut ſubſequentis oneris typo quaſi in perſona ipſius peccatoris Propheta manifeſtat, cùm dicit:

CAPUT VI.

In idem Cap. Iſaiæ. *Onus Duma, ſeu eorum, quos DEus è ſomno peccatorum ad emendationem vitæ ac morum excitat.*

℣. XI. *Onus Duma ad me clamat ex Seir: Cuſtos, qui de nocte: Cuſtos, qui * de nocte.*

* *Ita Cod. aliàs*: quid de nocte? &c.

℣. XII. *Dixit cuſtos: venit mane & nox: ſi quæritis, quærite: convertimini, & venite.*

* *Cod.* evigilantis peccatoris.

VErbis iſtis evigilanti * de ſomno peccati peccatori congruè præſcribitur *onus Duma*, quod interpretatur *ſilentium*; quia niſi ſedante ac reprimente manu Altiſſimi peccatum ſileat, & quieſcat in homine, vocem clamoris Domini interna aure cordis non poteſt comprehendere. Sedato tandem ſtrepitu vitiorum vocem Domini ac creatoris ſui audit & intelligit, & quid vel quare ſibi acclamet, A. vigilanter animadvertens atque diſcernens humiliter in ſe ipſo proclamat dicens:

Ad me clamat ex Seir: cuſtos qui de nocte: Cuſtos qui de nocte. Nomine *Seir*, quod interpretatur *hiſpidus* vel *piloſus*, hiſpidam atque piloſam peccatricis vitæ converſationem accipere poſſumus. Quam cùm homo peccator expergefactus à clamore DEI aliquantulum recognoſcere incipit, motus tandem pœnitentia flebiliter in hæc prorumpit verba: *Ad me clamat ex Seir.* Quaſi dicat ad ſe intra ſe: Per miſerationis & inſpirationis B. ſuæ gratiam acclamantem mihi Dominum intrinſecus audio *ex Seir*, id eſt: ex hiſpida & mala vita mea miſericorditer revocari ab eo me ſentio. Sed quid ultra tibi reſtat miſera anima? Si de impoſſibilitate conquereris, ſi ad reſiſtendum vitiis invalidum te, ac impotentem aſſeris, conſidera fortitudinem & potentiam vocantis. Et quis ille? *Cuſtos qui de nocte, cuſtos qui de nocte. Cuſtos* eſt, *qui* protectionis ſuæ cuſtodia ſemper ſuis invigilat, ne *nox* malæ delectationis eis prævaleat. *Cuſtos* eſt, *qui* potentia virC. tutis ſuæ *de nocte* pravæ & iniquæ operationis eos protegit, atque conſervat. Expergefacto hoc modo peccatore & illuminato vox aſpirantis gratiæ DEI validiùs ei intonat, quæ magis ac magis ad pœnitentiam eum ſuſcitat. Unde ſequitur:

Dixit cuſtos: Venit mane & nox.

Venit, inquit Dominus, *mane*, id eſt: tempus gratiæ meæ, per quam ſuſcitatus & illuminatus tandem recognoſcere cœpiſti, quam noxiè, quàm perditè *in Seir*, hoc eſt: in horrenda & gemenda D. carnalis vitæ cæcitate hactenus ſorduiſti. Sed ſi in hoc, & ſecundùm hoc viſitationis, & illuminationis meæ *mane* ambulare reſipiſcendo à malis neglexeris, *veniet nox*, nox utique priſtinæ ignorantiæ & cœcitatis, cui rurſum involvêris, *Veniet* etiam *nox* futuræ damnationis, cui ſublata omni ſpe ſupernæ diei æternaliter ſubjacebis. Quotquot autem noctem iſtam effugere, & ad æternæ gaudia lucis pertingere deſiderant, ſecundùm ſubjectam ejuſdem Domini & Redemptoris noſtri doctrinam, vitam, mores, & actus ſuos componere & inſtituere ſtudeant.

Si

Si quæritis, inquit, *quærite: convertimini & venite.* Quaſi dicat: Si à nocte & ignorantia vitæ præſentis ad me, qui ſplendor ſum lucis incommutabilis & indeficientis, tranſire *quæritis*, *quærite* attentiùs, *quærite* ſtudioſiùs. *Convertimini* vanam hujus ſæculi converſationem deſerendo, *venite* per bonam operationem mihi appropinquando. Quærite hoc in tempore per bonæ converſationis merita, unde in tempore illo, quod eſt ſine tempore, æterna vobis conquiratis præmia.

CAPUT VII.

In idem cap. Iſaiæ. *Onus Arabiæ, quo modus ad DEum redeundi ſignificatur.*

℣. XIII. *Onus in Arabia. In ſaltu ad veſperam dormietis in ſemitis* * *Dodanim.*

* *alias*: Dedanim.

℣. XIV. *Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti.*

POſt onus Duma congruo ordine ponitur *onus in Arabia*. Ille enim, qui in illo onera jubetur *quærere, converti & venire*, in onere iſto myſticè docetur, quomodo quærat, quomodo convertatur, quomodo venire debeat. *In ſaltu*, inquit Propheta, immò per Prophetam Dominus, *ad veſperam dormietis in ſemitis Dodanim. In ſaltu*, ùt novimus, beſtiæ ſunt. Ideoque non injuſtè præſens ſæculum, & beſtialem ſæcularis vitæ converſationem per ſaltum æſtimo intelligendum. *Dodanim* verò, quod *judicium* ſive *patruelis* interpretatum ſonat, Dominum noſtrum JEſum Chriſtum dignè figurat. Ipſe enim *patruelis* noſter, qui & Dominus noſter. *Patruelis* noſter non injuſtè dicitur: quia pater ejus Judaicus utique populus, ex cujus ſemine ſecundùm carnem naſci dignatus eſt, & populus Gentilis, ex cujus propagine nos proceſſimus, fratres quodammodo erant: quia ſecundùm dignitatem conditionis unum Patrem DEum Omnipotentem habebant. *In ſemitis Dodanim*, In ſemitis hujus patruelis noſtri omnis ille graditur, qui vias ejus, quantum poteſt, imitatur.

Nec prætereundum, quod dicitur: *In ſaltu ad veſperam dormietis in ſemitis Dodanim.* Verba iſta duobus modis notare & intelligere poſſumus: ſive ut homo *veſperam*, id eſt: finem beſtialis vitæ in ſemetipſo faciat, ſive ut ad *veſperam* illam, de qua ſcriptum eſt: *Veſpera & mane & meridie narrabo & annuntiabo*, Pſal. 54. 18. veſperam utique, in qua prædictus patruelis noſter JEſus Chriſtus Filius DEI occubuit, oculum cordis ſemper retorqueat, conſiderans, quid pro ſe indigno ſuſtinuerit, laborans etiam, ut aliquomodo paſſioni illius reſpondere poſſit. Quicunque hac voluntate & deſiderio Mundum deſerit, huic pius & miſericors Dominus tales doctores obviam mittit, per quos bonæ voluntatis ejus deſiderium adjuvetur, roboretur, ſtabiliatur. Unde ſequitur:

Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti. Sitienti aquam ferre eſt levioribus ſive planioribus Sacræ Scripturæ rivulis ſitientem & anhelantem ad vitam recreare, * & informare. Quod autem ſubjungit: *Qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti*, ita eſt, ac ſi dicat: Vos, quos *Auſter* ille ſuaviſſimus, quod eſt Spiritus Sanctus, flatu ac rore gratiæ ſuæ ſuaviter perflavit, ſalubriter irrigavit, *cum panibus*, id eſt: fortioribus cœleſtis doctrinæ epulis *occurrite*, & ſuccurrite huic *fugienti*.

* *Cod.* recitare.

℣. XV. *A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladii imminentis, à facie arcus extenti, à facie gravis prælii.*

Quatuor hæc quatuor nobis inſinuant, quæ Mundum, & ea, quæ Mundi ſunt, hominem fugere faciunt, timor utique & amor DEI, qui *gladiorum* nomine non injuſtè accipitur: timor mortis, quæ, cùm omnes homines certa maneat, per *gladium imminentem* congruè intelligitur: timor futuri judicii, quod meritò per *arcum extentum* figuratur, quia ſupra omne genus humanum quaſi fortiter feriens arcus terribiliter extendetur: ſuccedens judicio perpetuæ damnationis recordatio & formido, quæ quaſi *grave* & intolerabile *prælium* contra impios ſuſcitabitur, quando omnis, qui reprobus ibi inventus fuerit, æternis ſuppliciis deputabitur. In hoc ſanè prælio ne ſuccumbamus hoſtibus, ne mortis æternæ ſupplicium incurramus, hoc in tempore ſummo

mo ſtudio, ſumma ſolicitudine procuremus. A. Nunc enim tempus gratiæ eſt, ſicut myſticè oſtenditur, cùm protinus ſubinfertur:

℣. XVI. *Adhuc in uno anno mercenarii, & auferetur * onus gloria Cedar.*

* aliàs omnis.

℣. XVII. *Et reliquia numeri ſagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur.*

Unus iſte *annus* tempus præſentis vitæ convenienter exprimit, quod *quaſi annus mercenarii* eſt & dicitur: quia temporalibus vitæ laboribus quaſi felici quodam commercio homo ſalvandus ſibi B. comparat, unde æternaliter vivere cum DEO valeat. In hoc igitur anno ſi fideliter ſagacis more mercenarii laboravimus, à malè gravi onere peccatorum per gratiam DEI exonerabimur, ſicut myſticis nobis verbis promittitur in ſequentibus, cùm dicitur.

Et auferetur onus gloria Cedar. Nomine *Cedar*, quod interpretatur *tenebræ*, tenebroſum humani generis inimicum poſſumus accipere. *Onus* ejus & *gloria* peccata ſunt & vitia, per quæ, & in quibus contra DEum gloriatur. Lætitia enim & gloriatio ejus eſt, cùm onere vi- C. tiorum ita hominem depreſſerit, quòd ad DEum factorem ſuum nec per bona deſideria in corde, nec per bona opera in corpore conſurgere poterit. Sed dum miſerante tandem DEO & adjuvante reverſus per pœnitentiam fuerit, & in bonis actibus ſicut mercenarius æterni præmii avidus ſolicitè ſe exercere cœperit, *onus gloria Cedar auferetur*: quia qui pondere peccatorum depreſſus gloria diaboli erat, pœnitendo & ſatisfaciendo ejusdem diaboli fit confuſio, DEI verò gloria & exultatio:

Ibi etiam *reliqua numeri ſagittario-* D. *rum fortium de filiis Cedar imminuuntur*: quia malæ ſuggeſtiones, noxiæ delectationes, quibus *fortes* illi *ſagittarii*, ſpiritus utique maligni improvidum cor hominis fortiter ſagittant, ùt malè ſaucium vulnus iniquæ actionis infligant, quaſi *reliquiæ numeri ſagittariorum fortium* fiunt, quando ſolicitè ac diligenter homo conſiderat, & conſiderando enumerat, quid, quantum, quomodo peccaverit, quamdiu, quotiens nunc iniquis delectationibus, nunc perverſis actionibus DEO contrarius extiterit. Sic, ſic reliquiæ *enumerata* tandem *de filiis Cedar*, de his utique, qui ex filiis diaboli, ex filiis tenebrarum filii lucis & juſtitiæ facti ſunt, *imminuentur*: quia etſi auferri ex toto & caveri in hac vita nequeunt, *imminuentur* tamen, & ita per gratiam DEI temperantur, quod prævalere eis ultra non poterunt.

Dominus enim DEus Iſraël locutus eſt. Ac ſi dicatur: Omnipotens Creator *DEus Iſraël* adjutor utique & protector ſe videntium, ſe diligentium, ipſe eſt, qui hæc loquitur. *Loqui* ejus eſt operari ejus. Ipſe enim eſt, qui ineffabili pietatis ſuæ gratia hæc in ſalvandis ſuis operatur, ipſius eſt opus, ipſius ſit & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

CAPUT VIII.

Onus Vallis Viſionis, quod ii in ſe ſuſcipiunt, qui ſe in vita Religioſa laboribus exercent.

In Cap. XXII. Iſaiæ.

℣. I. *Onus vallis viſionis. Quidnam tibi quoque eſt, * qui aſcendiſti & tu omnis in tecta?*

* aliàs: quia.

℣. II. *Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans: interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello.*

POſt onus in Arabia congruo ordine poſitum eſt *onus Vallis Viſionis*. Homo enim ille, qui aliquando in Arabia erat, dum *campeſtris* & extraneus à DEO in ſaltu mundanæ converſationis beſtialiter vivebat (*Arabia* enim *campeſtris* dicitur) *Onus vallis viſionis* quodammodo ſuſcipit, quando relicto ſæculo univerſos ſpiritalis vitæ labores, quam per *Vallem viſionis* intelligimus, humiliter ac manſuetè portare cœperit. Sed & in hac valle viſionis tanta, heu! viciſſitudo eſt mutabilitatis, quòd is, qui modò proficit in virtutibus, modò deficit in virtutum profectibus, & qui nunc quaſi de interna DEI viſione lætatur, nunc ex malitia diaboli, modò ex propria infirmitate, modò aliorum hominum infeſtatione conturbatus ab internæ lucis intuitu retardatur.

Attamen qui verè *Vallis* eſt *viſionis*, hoc eſt: qui per veram humilitatem mentis ad viſionem tendit Omnipotentis, is inquam, cùm non videt, videtur, hoc eſt; cùm derelictum ſe à DEO & abjectum æſtimat, inopinata miſerentis DEI gratia

turium

rurſum illuminante ipſe ſibi ipſi oſtenditur, A. cùm verbis inedicibilibus audire ab eo meretur intrinſecus : *Quidnam tibi quoque eſt, qui aſcendiſti & tu omnis in tecta?* Per *tecta*, quæ eminent domibus, converſationem ſpiritalem accipere poſſumus. Et eſt, quaſi dicat : Tu omnis, tu inquam, *qui* corde & corpore, deſiderio & voluntate de convalle hujus ſæculi ad eminentem ſpiritalis vitæ converſationem *aſcendiſti, quidnam quoque tibi eſt?* Hæc Domini interrogatio eſt miſericors ejus illuminatio, qua miſericorditer hominem illuminat, ut perfectè cognoſcere ſeipſum incipiat. Interrogat quid ſit, B. quod patitur, reſpondensque ipſe ſibi pro homine cauſam paſſionum ejus ei innoteſcit, cùm protinus ſubjungit & dicit :

Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans. Quaſi dicat : Hoc pateris, hæc cauſa eſt, qua inutiliter circumfereris. * *Clamoris plena es* : quia modò ira, modò impatientia, modò moleſta importunitate, qua proximum conturbans conturbaris, quaſi malè ſonantis ſtrepitu clamoris inquietaris. Sed & ad majorem iniquitatis cumulum *urbs frequens* es, C. & meritò diceris : quia in corde & in anima tua, quæ urbs & habitatio DEI eſſe debuerat, *clamor* iſte frequenter reſonat. *Civitas* etiam *exultans*, civitas, inquam, extra ſaltans jure nominaris : quia ea, quibus malè intrinſecus circumfereris, malo corporis actu & habitu quaſi extra ſaltando exequeris. Vel etiam *civitas exultans* vocaris : quia pro his, quæ flere & ingemiſcere deberes, pro his extolleris, pro his gaudes & lætaris.

* *Ita Cod.*

Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello. Senſus tui, ſancta Epheſ. 6, 17. deſideria, & juſtæ voluntates, in quibus, D. & per quæ ſoli mihi vivere deberes, *interfecti* quidem ſunt, ſed *non interfecti gladio*, *gladio*, utique illo, *quod eſt Verbum DEI*, quo ab omnibus, quæ Mundi ſunt, interfici deberent. Nec *mortui* ſunt *in bello* : Rebellare enim contra vitia negligis, otio & deſidia torpeſcis.

℣. III. *Cuncti Principes tui fugerunt ſimul, dureque ligati ſunt.*

Cunctæ innocentes, caſtæ & ſanctæ cogitationes, ſenſusque tui interiores, quibus ſurrepentibus vitioſis cogitationum tumultibus principando & dominando obviare & contradicere deberes, *fugerunt ſimul*, & perierunt, *dureque ligati ſunt* : quia illaqueati & irretiti peccatorum funibus imbecilles & impotentes facti ſunt in virtutibus.

Omnes, qui inventi ſunt, vincti ſunt pariter : quia etſi quando quaſi inventis ſenſibus conſurgere ad DEum deſideras, retinentibus & retardantibus vinculis illis, quibus ſponte te illaqueâſti, pro velle tuo expediri non vales.

Procul fugerunt : quia diſſipati & diſperſi ad exteriora, minus ſufficiunt ad capienda bona interiora. Sed quando, aut quomodo inviſibilis DEus viſibili homini verba hæc loquitur, niſi quando aſpirantis & viſitantitis pietatis ſuæ clementia ipſum hominem ſibi ipſi rectè oſtendit, tactuque ſupervenientis gratiæ ſuæ verè pœnitentem humiliter ſe ipſum agnoſcentem facit? Hoc enim verba ſequentia figuraliter inſinuant, quæ quaſi ex ipſius hominis perſona omnem carnalis vitæ reſpuentis conſolationem dicuntur. Nam ſequitur :

Propterea dixi : Recedite à me, amarè flebo. ℣. IV.

Fit nonnunquam, ut infirmitatis ſuæ miſerias homo ſolicitè diſcutiens & conſiderans pro multimodis exceſſibus ſuis nunc humiliter in conſcientia ſeipſum damnet & accuſet, nunc quaſi de minus gravibus conſolando ſe apud ſe excuſet. Attamen verè perfectus homo ſuccedentes ſibi blandientium conſolationes cogitationum conſtanter repellit, atque ad ſolum pœnitentiæ fletum cor & corpus ſuum fortiter impellit, ac compellit dicens ad ſe intra ſe : Quia graviter me DEO peccâſſe, quia incredibiliter DEum ac Redemptorem meum offendiſſe cognoſco, *propterea dixi : Recedite à me, amarè flebo. Recedite à me* cogitationes conſolatoriæ, *amarè flebo*, nullum inane conſolationis blandimentum recipio.

Nolite incumbere, ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. Anima mea, quæ erat aliquando *filia populi*, filia utique ſanctarum cogitationum, filia ſanctorum deſideriorum, in quibus exercere ſe conſueverat, jam *devaſtata*, jam jamque virtutibus ſpoliata totius tranſitoriæ conſolationis dulcedinem mihi negat.

℣. V. *Dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum Domino DEO exercituum in valle viſionis.*

Dies iſte *interfectionis*, dies eſt ſupernæ viſitationis, quæ non injuſtè *dies interfectionis* nominari poteſt. Interficit enim malas voluntates, & noxia deſideria in corde humiliter pœnitentis. Eſt etiam *dies conculcationis*: quia corroborat hominem pariter, & illuminat, ut deſpicere poſſit & conculcare, quidquid contra DEum priùs amaverat. Fit etiam *dies fletuum Domino exercituum in valle viſionis*, quando pro his, in quibus offendiſſe ſe DEum meminit, per fletum pœnitentiæ humiliter in ſancta converſatione ſatisfacere Domino incipit. Et eſt, quaſi beata & verè pœnitens anima dicat in ſemetipſa: *Dies* iſte, id eſt: viſitatio & illuminatio ſupernæ pietatis & gratiæ, quæ me mihi oſtendit, quæ infirmitatis meæ miſerias videre me & cognoſcere fecit, erit mihi *dies interfectionis*, interficiens à corpore meo, quod malè hucuſque vivebat, erit mihi dies *conculcationis* conculcans & exterminans à corde meo, quod malè antea delectabat: erit etiam dies *fletuum Domino DEO exercituum in valle viſionis*. Semper enim flendo, ſemper pœnitendo ac DEO ſatisfaciendo abjectus mihi & deſpectus ero in humilitate ſanctæ hujus converſationis. Statimq; quid ſit, quod flere debeat, manifeſtat, cùm ſubjungit dicens:

℣. VI. *Et Ælam ſumpſit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudavit clypeus.*

Per *Ælam*, quod interpretatur *aſcenſus ejus*, malè aſcendens ſuperbia ſatis congruè accipitur. In *pharetra* autem anima hominis, in *curru* corpus hominis aptè figuratur. *Ælam*, inquit, *ſumpſit pharetram*. Ac ſi dicat: Animam meam, quæ pharetra DEI eſſe deberet, in qua colligenda, reponenda & cuſtodienda erant tela DEI, tela ſcripturarum, tela ſanctarum cogitationum, tela bonorum deſideriorum, quibus retundenda & conterenda eſſent arma & ſagittæ diaboli, *Ælam ſumpſit*: quia aſcendens contra DEum ſuperbia mea eam vitiavit, omneque robur virtutis ejus conſumpſit. Sed & *currum hominis equitis*, id eſt: corpus meum, cui eques ille nobilis, DEus utiq; & homo ſolus ſedere & dominari deberet, ſedem ſibi ſuperbia vendicavit. Ideoque *parietem nudavit clypeus*: quia duritiam cordis mei *nudavit*, immò deſeruit fortis protectio DEI, factaque eſt ſicut paries interpoſitus: quia ita me à DEO ſeparavit, quòd de interna ejus dulcedine & gratia nihil jam mihi ſapit. Sic, ſic humiliter recognoſcendo ſe & lugendo quantò ex intimis cogitationibus turbatur, tantò ſuaviùs divinæ reſpectu miſericordiæ conſolari meretur. Unde ex ipſius Domini perſona protinus ſubinfertur, cùm dicitur:

Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent ſedes ſuas in porta. ℣. VII.

* *Et revelabunt operimentum Juda, & videbis in die illa armamentarium domus ſaltus.* ℣. VIII. * *aliàs*: Et revelabitur &c.

Et ſciſſuras civitatis David videbitis: quia multiplicatæ ſunt. ℣. IX.

Et eſt, quaſi dicat: Quia jam perfectè te humiliatum coram me video, ſenſus corporis & animæ tuæ, quibus nihil antè niſi alta ſapiebas, jam ſicut *valles electæ* viſitationi meæ atque inhabitationi dignæ effectæ *plenæ quadrigarum erunt*. Intelligentia enim & ſcientia Evangelicæ doctrinæ docente me & infundente replebuntur. *Et equites ponent ſedes ſuas in porta.* Nomine *equitum* ſanctos prædicatores myſticè figurat, qui dum dicta quatuor Evangeliorum corde portantes, opere imitantes unum documento prædicationis, alterum exemplo bonæ actionis adeunt, equites Domini juſtè nominari poſſunt. *Equites*, inquit, *ponent ſedes ſuas in porta*. Quaſi dicat: Adminiſtrante me tibi intellectum & amorem verbi DEI, *equites*, id eſt: prædicatores mei *ponent ſedes ſuas in porta* cordis tui: quia quidquid ab eis audieris, tibi ſedebit. Totum enim ad profectum & utilitatem animæ tuæ tibi remanebit.

Et revelabunt operimentum Judæ. Juda interpretatur *confeſſio*. *Operimentum Judæ*, operimentum, ut ita dicam, confeſſionis ſancti prædicatores *revelant*, quando prædicatione ſua & doctrina innoteſcere ſibi ipſi hominem faciunt, ut infra *operimentum* illud, quo ſibi ipſi opertus quodammodo & abſconditus erat, ingrediatur, & peccata illa, quæ quidem ſcivit per experientiam, ſed neſcivit per intelligentiam ex-

ver-

verbis eorum quaſi revelato operimen- ro ignorantiæ ſciat, & intelligat, & perfectè detegere per confeſſionem incipiat. Revelato hoc modo operimento Judæ ſit tandem, quod ſequitur :

Et videbis in illa die armamentarium domus ſaltus. Et ſciſſuras civitatis David videbitis, quia multiplicata ſunt. Congruè tempus & hora *illa dies* nominatur, quando ad cognoſcendum ſe ipſum intra verba doctorum homo divinitus illuminatur. *In illa* enim *die videt armamentarium domus ſaltus.* Armamentarium dicitur, ubi arma reponuntur. Nec inconvenienter hoc in loco per arma diverſa peccatorum genera intelligimus. *Videt* utique, & videndo dolet, quod totum tempus vitæ ſuæ nihil niſi quoddam *armamentarium domus ſaltus fuerit*, hoc eſt, quòd beſtialiter vivendo armaturam diaboli, peccata utique & vitia laborioſè portaverit, & per hoc *civitatem David*, id eſt : animam ſuam diverſis peccatis quaſi *multiplicatis ſciſſuris* interruptam & corruptam vero illi David, verè manu forti, verè aſpectu deſiderabili abominabilem & inhabitabilem reddidit.

Fit autem plerumque, ut homo ſpiritalis peccatorem ſe humiliter recognoſcat, & ſubtracta tamen compunctionis gratia deflere ſe ùt peccatorem atque per lachrymas pro voto ſuo abluere nequeat. Pius autem & miſericors Dominus, ut altiùs militem ſuum informet, & inſtruat, ſubtiliùs adhuc eum ſibi ipſi oſtendit, cùm inviſibiliter & inedicibiliter eum commonere incipit, ut non modò malè facta ſua rememoretur, & doleat, ſed etiam, ubi bona minùs cautè egerit, hoc eſt : ubi inanis gloriæ ſurrepente vitio in bonis ſuis plus juſto ſe extulerit, & in malis ſuis minùs æquò ſe coram DEO humiliaverit. Hoc enim ſubſequentis myſterio capituli aptè innuitur, cùm ex ipſius perſona Domini quaſi præſentialiter hominem alloquentis immo & increpantis dicitur :

℣. IX. *Et congregâſtis aquas Piſcinæ inferioris.*

℣. X. *Et domus Jeruſalem numerâſtis, & deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.*

Et lacum feciſtis inter duos muros, & aquam piſcinæ veteris, & non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem ejus de longe vidiſtis. ℣. XI.

Aqua piſcinæ inferioris exprimunt concupiſcentias carnis : *domus Jeruſalem* bona opera hominis. *Et congregâſtis*, ait, *aquas piſcinæ inferioris*, hoc eſt : concupiſcentias concupiſcentiis accumulâſtis : *domos Jeruſalem numerâſtis* : quia qui ſine numero peccâſtis, bona opera veſtra numerâſtis, numerando ac magnificando incautè jactâſtis. *Deſtruxiſtis domos ad muniendum murum* : quia diſſipatis ſenſibus circa illicita vagando & diffluendo hanc, quam ſuſtinetis duritiam, quaſi murum adverſus vosmetipſos obfirmâſtis. *Et lacum feciſtis inter duos muros, & aquam piſcinæ veteris. Aqua* veteris concupiſcentiæ, veteris delectationis exhaurienda atque ſiccanda erat aqua novæ & cottidianæ compunctionis. Sed aqua hæc compunctionis facta eſt quaſi *lacus inter duos muros* : quia ſicut lacus aquam cœnoſam, aquam turbidam habet : ſic & vos *duobus muris*, duritia utique cordis & duritia corporis circumdati aquam non ex fonte limpidam, ſed quaſi ex lacu turbidam interdum habetis : quia ad puram & ſuavem illam, quam deſideratis, compunctionis gratiam needum pro voto veſtro pertingere meruiſtis.

Sed unde hoc vobis ? Ob hoc videlicet : quia *non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem ejus de longe non vidiſtis.* Ad DEum creatorem & factorem veſtrum *non ſuſpexiſtis*, ut propter timorem ejus malum declinaretis. Redemptorem & operatorem ſaluris veſtræ *de longè non vidiſtis* : quia amori & dulcedini ejus amorem & dulcedinem peccatorum prætuliſtis. Omnipotens igitur Dominus poſtquam ſic hominem, quem ſalvare decrevit, clementer increpatum, ſuaviter illuminatum intus tetigerit, qualiter poſtmodum vivere debeat, quaſi per ſe Propheta docet, cùm ſubjungit dicens :

Et vocabit Dominus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum ſacci. ℣. XII.

℣. XIII. *Et ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum.* A.

Vocatio DEI eſt inſpiratio DEI. Vocat primò per inſpirationis ſuæ gratiam hominem *ad fletum* cordis, poſtea *ad planctum* corporis, ut & corde pœnitendo defleat, & corpore dignis pœnitentiæ operibus fletui cordis reſpondeat. Vocat etiam *ad calvitium & ad cingulum ſacci*: quia vult, ut vitia mentis & corporis paulatim evellat, & abjiciat, atque forti vitæ cuſtodia, quam *cingulum* ſignificat, fortiter accinctus, futuros ſurrepentium vitiorum laqueos ſollicitè caveat. Sic, ſic decalvato homine & accincto fit tandem, quod ſequitur: B.

Et ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes. Per *vitulos* intelligimus laſciviam carnis, per *arietes* ſuperbiam mentis. Sive per *vitulos* exterioris hominis ſenſus, qui laſcivientis more vituli ſemper in præceps feruntur: per *arietes* interiores ſenſus intelligi poſſunt, qui exteriores ſenſus more arietis gregem præeuntis ſive ad bonum, ſive ad malum præcedere ſolent.

Et notandum, quod dicitur: *Ecce gaudium & lætitia. Gaudium* pertinet ad hominem exteriorem, *lætitia* ad hominem interiorem. Homo etenim perfectus, qui eo modo, ut prædictum eſt, decalvatus & accinctus fuerit, omne *gaudium* corporis æſtimat, ſummam cordis *lætitiam* deputat laſcivientes exteriorum ſenſuum motus per carnis continentiam comprimendo interficere, quod eſt *occidere vitulos*; & ſuperbientes interioris hominis ſenſus per veram mentis humilitatem voluntati & ſervituti DEI omnino ſubjicere, quod eſt *jugulare arietes.* Hujus etiam gaudium & lætitia eſt *comedere carnes & bibere vinum.* Gaudet enim obſcuriora & difficiliora Sacræ Scripturæ ſecreta, quæ intelligere per *carnes* poſſumus, aſſidua tractatione & retractatione quaſi quibuſdam dentibus confringere, & comminuere, & ad deſideratum intelligentiæ ſaporem convertere. Lætatur etiam *bibere vinum*, hoc eſt: vino ſenſus ſpiritalis, quod lætificat cor hominis, jugiter inebriari, ſicque inebriatus ab omnibus, quæ Mundi ſunt, prorſus alienari. C. D.

Ad hoc enim univerſos ſenſus ſuos monet & hortatur dicens ad ſe intra ſe: *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* Quaſi dicat: Si cibum noſtrum Sacram Scripturam per intelligentiam cordis & imitationem operis fecerimus, ſi vino ſenſus ſpiritalis & intellectus jugiter nunc, quamdiu in hac vita ſumus, potari & refici diligimus, ſerenum illud ſupernæ viſitationis *mane* ſuper nos orietur, cujus ſplendore colluſtrati ſæculo & vitiis ſæculi *moriemur*, & virtutibus vivere incipiemus. Vel etiam cum hodie præſentis vitæ tranſierit, in futuro quando *mane* illud ultimum, mane utique futuræ reſurrectionis advenerit, beata morte ei, quam nunc ſuſtinemus, corruptioni ita *moriemur*, quod nullam amplius corruptionis maculam experiemur.

Beatus & verè beatus, qui *onus vallis viſionis* ita portaverit, qui per prædictum fletum cordis, planctumque corporis decalvatus à vitiis, accinctus cuſtodia mentis & corporis ſic in ſpiritalis vitæ perfectione profecerit. Huic ſanè ſequens onus aptè ſatis congruit: quia non ſolùm ſe & ſua peccata, ſed & aliorum hominum in ſalo hujus ſæculi adhuc fluctuantium pericula deflet ac plangit, ſicut myſticè Propheta inſinuat, cùm quaſi ſub perſona eorum, qui ejuſmodi ſunt, ſubjungit, & dicit:

CAPUT IX.

Onus Tyri, quod eorum eſt, qui & ſua & aliena peccata deflent, omnesque ad pœnitentiam cohortantur. In Cap. XXIII. Iſaiæ.

Onus Tyri. Ululate naves maris: quia vaſtata eſt domus, unde venire conſueverant: de terra Cethim revelatum eſt eis. ℣. I.

Tacete, qui habitatis in inſula, negotiatio Sidonis: transfretantes mare repleverunt te * in aquis multis.* ℣. II.

* *alias*: negotiatores, &c.

* *Verba hæc*: in aquis multis, *in vulgatis editionibus referuntur ad Verſum ſeq.*

TYrus interpretatur *anguſtia.* Et congruè ſatis per Tyrum homo ille figuratur, qui deſpecta propter DEum ſpacioſa totius Mundi latitudine ſeſe in anguſtias dedit præſentis vitæ, ut ad amplitudinem cœleſtis patriæ DEO propitio mereatur pervenire. Per *naves* autem *maris* ſpiritalis quælibet converſatio non

non incongruè intelligitur: quia ſicut procelloſa maris tempeſtas tranſitur, mortisque periculum declinatur: ſic ſpiritales quælibet converſationes quaſi naves quædam ſunt, quæ periculoſa peccatorum flumina hominem transvehunt, perpetuæque beatitudinis ſtationi, ubi nullum mortis periculum erit, ſecurè invehunt. Poſſunt etiam per naves intelligi ipſi homines in ſpiritali vita ſpiritaliter viventes, ad unum eundemque perpetuæ ſalutis portum, uno eodemꝗ amore & deſiderio indefeſsè tendentes.

Domus autem, unde naves iſtæ venire ſolent, Mundum non injuſtè ſignificat. In hac enim domo naves iſtæ fabricantur: quia omnes, qui ad ſpiritalem militiam tranſeunt, ex hoc Mundo, & in hoc Mundo procreantur, & generantur. *Ululate*, inquit, *naves maris: quia vaſtata eſt domus, unde venire conſueverant.* Ac ſi dicat: O vos omnes, qui mare hujus ſæculi jam tranſiſtis, qui velis ſanctæ converſationis erectis ad locum cœleſtis patriæ tenditis, reſpectu miſerationis, pio affectu compaſſionis illos, quos poſt vos in ſæculo reliquiſtis, reſpicite, ſuper interitu eorum *ululate. Vaſtata eſt* enim *domus, unde venire conſueviſtis*: quia converſatio, & vita illorum, qui in hac domo, hoc eſt: in præſenti ſæculo iniquè vivunt, & in hac iniquitate perſeveraverunt, etſi nondum in re, jam jamque coram DEO damnata eſt in prædeſtinatione. Hanc ſanè ſententiam electorum ſuper interitu reptoborum confirmat quodammodo Propheta, cùm ſubjungit dicens:

De terra Cethim revelatum eſt eis. Cethim *mare congelaſcens* vel *confractum* interpretatur. Et ſicut duas habet interpretationes: ſic etiam duas myſticas in ſe continet ſignificationes. Ea namque parte, qua *confractum* reſonat, confractum per pœnitentiam & humiliatum cor & corpus electorum aptè figurat. Ea autem parte, qua *mare congelaſcens* dicitur, congelaſcentem in peccatis Mundum non incongruè notat. Et eſt ſenſus: Ne dubitetis ô miſeri de vaſtatione & damnatione veſtra, ſuper qua ululant, quam deflent ſancti & electi DEI. *De terra* enim *Cethim revelatum eſt eis.* Nam & ipſi aliquando in terra congelaſcentis utique Mundi, in quo nullus timoris aut amoris

A. DEI fervor eſt, fuerunt, atque ex ſuis, quibus ſubjacebant miſeriis, ignorare non poſſunt miſerias veſtras & pericula, quibus ſubjacetis, in quibus, ſi permanſeritis, procul dubio vaſtabimini: quia pœnis perpetuæ mortis, ubi vaſtitas totius boni, abundantia totius mali eſt, æternaliter condemnabimini. Poſt hæc rurſum inducitur perſona electorum ad pœnitentiam & converſionem pio cordis affectu eos exhortantium.

Tacete, inquiunt, *qui habitatis in inſula, negotiatio Sidonis.* Vos, qui ma-
B. rinis fluctibus, diabolicis videlicet tentationibus ex omni parte circumdati diverſis paſſionibus carnis tundimini, à malè fervente carnalium deſideriorum ſtrepitu quieſcite, quid vobis immineat, conſiderate. Omnis enim veſtra vita & converſatio *negotiatio Sidonis* eſt, negotiatio iniqui venatoris diaboli, qui venatur vos, ut *in inſula* præſentis ſæculi negotia ejus exerceatis, hoc eſt, ut vitiis & concupiſcentiis, quæ negotia ejus ſunt, in præſenti ſervientes negotiationis veſtræ præmium, perpetuæ mortis ſupplicium, ab ipſo in futuro recipiatis. Igitur quicun-
C. que es, qui ſalvari deſideras, inutilis venationis hujus ſive venatoris negotia fuge. Salvari enim non poteris niſi *tacente* & quieſcente ſtrepitu vitiorum ab inſula ſæculi, ſæcularisque converſationis receſſeris.

Transfretantes mare repleverunt te in aquis multis. Maligni ſpiritus, qui rete malitiæ ſuæ & nequitiæ ſupra mare ſæculi hujus expanderunt, *aquis multis*, id eſt: diverſis concupiſcentiis & vitiis *te repleverunt.* Ex hac inundantia aquarum omne, quod in Mundo eſt, tendit ad interitum. Nec mirum. Non eſt enim,
D. qui negotia DEI exerceat, non eſt, qui manu ſanctæ prædicationis, exemplo rectæ converſationis earundem impetum aquarum amoveat. Nam etſi eſt, qui nomen doctoris habet: diligens plus terrena quàm cœleſtia meritò doctoris caret. Ideoque rectè ei congruit, quod ſequitur:

Semen Nili, meſſis fluminis fruges ejus, & facta eſt negotiatio Gentium. ℣. iii.

Per *Nilum* fluvium, qui aquam non de cœlo, ut Beatus Hieronymus ſcribit, ſed de terra habet, talis doctor congruè intel-

intelligi valet, qui terrena plusquam cœleſtia diligit, caduca plusquam manſura bona requirit. *Semen* ejus eſt prædicatio ejus, *fruges ejus*, qui ex ſemine prædicationis & doctrinæ illius in cordibus ſubditorum oriuntur, *meſſi fluminis* rectè comparantur. More enim meſſis citò areſcunt, celeriter deficiunt. Sicque fit, quod ſequitur: *Et facta eſt negotiatio Gentium.* Fit prædicatio ejus in cordibus auditorum *negotiatio Gentium*, negotiatio utique peccatorum, dum corpora & animas, quas fidelis more negotiatoris DEO doctrina ſua lucrari deberet, B. malæ vitæ ſuæ exemplo DEO ſubtrahit, a via veritatis abducit. Sed ſicut de talibus gaudet, & lætatur diabolus: ſic de perfectis Mundi contemptoribus contriſtatur, & confunditur, ſicut conſequenter Propheta innuit, cùm vel in ſua, vel eorundem electorum perſona ſubjungit, & dicit:

℣. IV. *Erubeſce Sidon, ait enim mare: fortitudo maris, dicens: Non parturivi & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.*

Per *Sidonem* hìc ſicut & in præcedentibus C. malignum venatorem & deceptorem animarum diabolum intelligimus. Per *mare & fortitudinem maris* fortes ſpiritalis vitæ æmulatores accipimus, qui ideo & *mare & fortitudo maris* nominantur, quia mare quodammodo erant, dum ſæculari vitæ dediti ad ſcelera fervebant: *fortitudo maris* facti ſunt, dum tranſitis & calcatis marinis fluctibus, peccatis utique, & vitiis fortiter ac viriliter DEO vivere cœperunt. Tales utique ajunt Sidoni, ut *erubeſcat*, dum opera talia faciunt, de quibus erubeſcit & confunditur diabolus. D. Nam dum humiliter peccatores recognoſcunt eum, qui peccata ſuggeſſit, magnificè confundunt.

Non, parturivi, inquiunt, *& non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.*

Per *juvenes* intelligere poſſumus fortia virtutum opera, per *virgines* integritatem mentis. Et eſt, quaſi dicant: *Non parturivi* bona deſiderando, & ſi quando parturivi deſiderando, quod bonum fuit, *non peperi* exequendo bonis operibus, quod bonum deſiderium ſugA. geſſit. Sed & ſi peperi bono operi ad horam inſiſtendo, teneram inchoatæ operationis ſobolem ſuccedentium bonorum operum aſſiduitate *non enutrivi*, ſed victus tædio citiùs benè cœpta reliqui. *Nec ad incrementum perduxi virgines:* quia etſi quando integritatem, & incorruptionem mentis meæ incorrupto integritatis auctori Chriſto devovi, non ſervavi, ſed ab ea utpote nullo virtutum incremento confota & ad perfectum usque perducta citiùs animum revocavi. Hæc veræ pœnitentiæ verba, dum homo ille, qui *fortitudo maris* jam factus eſt, ſive corde interiùs, ſive corpore exteriùs dicere DEO & coram DEO cœperit, & confuſionem, & dolorem magnum malignis ſpiritibus ingerit, ſicut myſticè oſtenditur, cùm protinus ſubinſertur:

Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt, cùm audierint de Tyro. ℣. V.

Ægyptus, ùt ſæpe diximus, *tenebræ* interpretatur, & tenet figuram in hoc loco malignorum ſpirituum, inter quos, *cùm auditum fuerit* de perfecta converſione & laudabili converſatione electorum, *dolent, cùm audierint de Tyro*, hoc eſt: cùm intellexerint, quòd is, quem ùt proprii juris ſervum priùs poſſederant, per anguſtias præſentis vitæ, quibus in ſpiritali vita ſe propter DEum ſuppoſuit, ditione & dominio eorum ſe ſubtraxit. Hoc eſt eorum contritio, hoc eſt dolor eorum & afflictio. Sed quia electi quantò DEum diligunt, & cognoſcunt, tantò ardentiùs omnes homines ſalvari cupiunt, rectè adhùc quaſi ex perſona illorum ſubditur:

Tranſite maria, ululate, qui habitatis in inſula. ℣. VI.

Ac ſi dicant: O vos miſeri, qui tentationibus ſæculi diverſisque paſſionibus carnis tundimini, *tranſite maria* Mundum relinquendo. *Ululate, qui habitatis in inſula* ignorantiam, cœcitatem & periculum veſtrum humiliter cognoſcendo & pœnitendo.

Nunquid non hæc veſtra eſt, quæ gloriabatur à diebus priſtinis in antiquitate ſua? ℣. VII.

Mundus iſte, quem vos diligitis, cui vos ùt veſtro inhæretis, inſula utique eſt marinis fluctibus, id eſt: peccatorum inunda-

undationibus undique circumdata, & cir- A. cumfuſa, qui *à diebus priſtinis*, quo primum conditus eſt, *in antiquitate ſua gloriabatur*: quia in vetuſtate peccatorum, quam flere & lugere debet, malè usque modo lætabatur. Igitur quæcunq; anima glorianti huic in antiquitate ſua inſulæ congloriatur, plus vetuſtaten vitiorum quàm novitatem virtutum diligendo & ſectando, vix aut nullo modo ſalvari poterit niſi tranſito peccatorum flumine prorſus Mundo ſe ſubtraxerit. Unde protinus ſubinfertur:

Ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum. Neceſſe enim eſt, ut, qui e- B. juſmodi eſt, totis utriusque hominis affectibus alienum ſe faciat ſæculi hujus concupiſcentiis & voluptatibus, ſit advena & peregrinus Chriſti in terris, ſi cohæres ejus fieri quandoque vult in cœlis. Sed quia ſunt nonnulli, qui hoc ſalutis conſilium vix aut nullo modo recipiunt, ſemper impoſſibilitatem ſuam prætendunt, iſti, ut ad miſericordiam DEI, per quam multos ſalvavit, reſpiciant, & confugiant, ſequentibus quodammodo verbis admonentur, cùm dicitur:

℣. VIII. *Quis cogitavit hoc ſuper Tyrum quondam* C. *coronatam, cujus negotiatores Principes, inſtitutores ejus inclyti terræ?*

Quaſi dicatur: Si durum vobis videtur & impoſſibile propter DEum præſentis ſæculi gaudia relinquere, reſpicite Tyrum, reſpicite multa millia hominum, qui latas ſæculi vias propter DEum ſpreverunt, ſeſeque propter latitudinem regni cœleſtis in anguſtias præſentis vitæ ſponte dederunt. *Quis cogitavit hoc ſuper Tyrum?* Quis, rogo, cogitare aut ſperare poterat, ut ſic & ſic deponi atque humiliari poſſet ille vel iſte homo, cujus D. corona vel gloria incredibilis, & inaudita erat ſuperbia. *Cujus negotiatores Principes, inſtitutores ejus inclyti terræ.* Hoc eſt: cujus ſenſus exteriores vanitatem tantummodo, & inanem præſentis vitæ gloriam quærebant, cujus ſenſus interiores *inclyti terræ* fuerunt: quia non inclytam & incomprehenſibilem cœli dignitatem, ſed terrenæ, & tranſeuntis felicitatis gaudia dilexerunt.

℣. IX. *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam duceret univerſos inclytos terræ.*

Dominus exercituum, Dominus, inquam, Angelorum, & hominum, cujus cogitatio ipſa ejus eſt operatio, ipſe *hoc cogitavit*, ipſius miſericordiæ & miſerationis opus hoc fuit, *ut* malè gloriantem hominis *ſuperbiam* ad ima humilitatis *detraheret, & univerſos* ſenſus illius, qui erant, ùt diximus, *inclyti terræ*, terrena tantummodo ſapientes ac diligentes, *ad ignominiam* bonæ & laudabilis, quam pœnitentia operatur, confuſionis perduceret. Ipſe hoc operatur, quod homo beatus per *Tyrum quondam coronatam* deſignatus, confuſus in ſemetipſo, & humiliatus pro peccatis ſuis ſummam ignominiam deputat, quod quaſi ſummam prius gloriam eſſe crediderat. Sequitur:

Tranſi terram tuam quaſi flumen filia maris. ℣. X.

Ac ſi dicatur: quicunque es, qui ob infirmitatem & levitatem marinæ, id eſt: peccatricis & lubricæ vitæ tuæ *filia maris* es, & diceris, fluxa atque caduca ſæculi gaudia tranſeundo deſpice, ſtatum æternæ ſoliditatis require. Totum enim, quod in hoc Mundo diligitur, quaſi *flumen* quoddam eſt, quia citò tranſit, & finitur.

Non eſt ultra tibi cingulum. Si mutare vitam, & tamen ſæculum inhabitare volueris, *cingulum tibi non erit*: quia nulla cuſtodia, nulla ſecuritas, nulla in medio peccatorum evitandi & declinandi peccata erit facultas.

Manum ſuam extendit ſupra mare, conturbavit regna. ℣. XI.

Quis eſt hic, qui *manum ſuam ſupra mare extendit* niſi malignus hoſtis, qui omne ferè genus hominum ad interitum trahit? Qui etiam *conturbavit regna*: quia regnantes in peccatis & vitiis, ne ad verum lumen reſpicere velint, aut valeant, fraudis ſuæ nequitia intus turbare, intus excœcare conſuevit. Sed non eſt invalida manus Domini extenſam hanc manum diaboli confringere, & conturbata per eum regna ad quærenda & deſideranda perpetuæ ſerenitatis gaudia convertere. Unde & adhuc ſubditur:

Dominus mandavit adverſus Chanaan, ut contereret fortes ejus. Chanaan, quod interpretatur *commotio*, ſignificat bonam, & laudabilem quandam commotionem, quæ fit in homine, quando incipit movere ſe à malo ad bonum, à vitiis ad

ad virtutes. Et eſt quaſi dicat: Si tu, qui nobilis ad vitia, immobilis ad virtutes & virtutum opera, loco non vitæ, ſed mortis malæ hucusque ſtetiſti, jam te adverſum te movere volueris, hoc eſt: ſi relicto ſæculo & converſatione ſæculari ad ſpiritalis vitæ militiam tranſire volueris, dives in miſericordia *Dominus mandavit*, hoc eſt: repromiſit, *ut fortes tuos conterat*, ut malignos ſpiritus, qui ſub duriſſimo peccatorum vinculo detinent te, potenti Divinitatis ſuæ manu ad nihilum redigat.

℣. XII. *Et dixit: Non adjicies ultra, ut glorieris calumniam ſuſtinens virgo filia Sidonis.*

Tu, qui non ob meritum caſtitatis ſed ob ſterilitatem bonorum operum, bonarum virtutum *virgo*, id eſt: ſterilis, & infœcunda *filia Sidonis*, filia iniqui venatoris diaboli diceris, *non adjicies ultra, ut glorieris* in peccatis: quia niſi per veram pœnitentiam & converſionem humiliatus fueris, perpetuæ damnationis calumniam ſuſtinebris.

In Cethim conſurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. Cethim, ſicut ſupra diximus, *mare congelaſcens* dicitur, ſignificans Mundum congelaſcentem, ignem timoris & amoris DEI non habentem. *In Cethim conſurgens transfreta*: Quaſi dicat: Sit ſanè, ut in Mundo poſitus conſurgere ad bona opera, *transfretare* & declinare vitia, & cavere peccata incipias. *Ibi quoque non erit requies tibi. Requies tibi non erit ibi* à peccatis. Quoniam enim inter peccata converſaris, impoſſibile & omnino inevitabile eſt, ut peccatorum laqueis nunc volens, nunc nolens non irretiaris. Sed quid ultra reſtat?

℣. XIII. *Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit. Aſſur fundavit eam.*

Per *terram Chaldæorum*, qui *feroces* interpretantur, congregatio quorumlibet ſpiritalium aptè intelligitur, qui *feroces* aliquando & indomiti erant peccando, ſed & *feroces* nihilominus poſtmodum in ſpiritali vita ſunt ferociter peccata in ſemetipſis puniendo. *Ecce*, inquit, *terra Chaldæorum*, Ecce ante te ſancta & ſpiritalis converſatio & congregatio DEum timentium, ferociter contra ſe ſævientium! Ad terram hanc confuge, eorum A. exemplo vive. Si enormitatem ſcelerum tuorum expaveſcis, in his, & per hos conſolare, conſtantiam & humilitatem illorum imitare. *Talis populus non fuit* in ſuperbia, mentisque elatione præcipuus, ad peccata præceps & lubricus. *Aſſur fundavit eam*: quia malignus hoſtis, quem quaſi fundamentum, & pro fundamento cordibus ſuis ſuppoſuerunt, quocunque voluit, potenter eos movit.

At nunc confortati in Domino *in captivitatem transduxerunt robuſtos ejus, ſuffoderunt domos ejus, poſuerunt eam in ruinam. Suffoderunt domos ejus*: quia B. ſecreta cordium ſuorum, quæ per ſuggeſtiones & immiſſiones malarum voluntatum, per delectationes carnalium voluptatum quaſi familiare ſui juris domicilium, id eſt: *Aſſur* priùs inhabitabat, ſuffoſſis & effoſſis per veram pœnitentiam vitiis vitioſisque voluntatibus & deſideriis ita aptaverunt, & ſubegerunt virtutibus, quod nullus antiquo hoſti priſtinæ habitationis in eis patet locus.

In captivitatem transduxerunt etiam *robuſtos ejus*: quia peccata & peccatricia opera carnis, quæ *robuſti* ſunt diaboli (In his enim & cum his prævalet ho- C. minibus) proſtraverunt jam, & extinxerunt, & quæ ſubſiſtente fragili carnis materia ad plenum extinguere nequeunt, his quaſi *in captivitatem transductis* ita dominantur, ut, etſi ſurgant contra eos, & impetum faciant, prævalere tamen eis non valeant. Unde aptè adhuc ſubditur:

Poſuerunt eam in ruinam. Nam dum perfectus homo quaſi captiva tenet, & comprimit in ſe vitia illa, quæ non poteſt prorſus extinguere, ex hac captivitate fit *ruina* peccatorum, ſurgit & cre- D. ſcit in altum machina virtutum. Sed quia ſub primo hoc oneris hujus capitulo ſanctus Domini Propheta vaſtationem, imò & damnationem eorum, qui ſæculo adhuc, ùt dictum eſt, periclitantur, ſub perſona & voce electorum ululando atque gemendo deflevit: prævidens etiam vaſtationem, quæ ipſis plerumque electis & perfectis hominibus in ſpiritali vita accidit quaſi coram poſitos, in ſecundo hoc capitulo ad pœnitentiam hortatur, cùm dicit:

Ululate

℣. XIV. *Ululate naves maris: quia vaſtata eſt fortitudo veſtra.*

℣. XV. *Et erit in die illa: In oblivione eris ô Tyre ſeptuaginta annis, ſicut dies Regis unius: poſt ſeptuaginta autem annos eris Tyro quaſi canticum meretricis.*

Hæc verba Prophetæ, immò loquentis per Prophetam DEI Omnipotentis ad electam & dilectam quamlibet animam tunc fiunt, quando ipſo inſpirante conſiderata vaſtitate ſua priſtinum profectum, B. & imminentem jam jamque defectum ſuum ſolicitè homo cognoſcere incipit. *Ululate*, inquit, *naves maris: quia vaſtata eſt fortitudo veſtra.* Ac ſi dicat: Vos, qui emenſo magni maris flumine in ſpiritalis vitæ converſatione quaſi in navibus conſtituti ſumma fortitudine, & conſtantia ad portum cœleſtis patriæ tendere conſuevistis; *ululate* nunc: quia ſurrepente atque creſcente negligentiæ torpore & mentis deſidia ſolitæ vim fortitudinis minimè exercetis, ſed quaſi *vaſtati* priſtinis virtutibus, & evacuati deprimentis pondere carnis, ut imbecilles & infirmi C. ſubjacetis. Poſtquam hoc modo DEus hominem intrinſecus excitaverit, & illuminaverit, qualiter ad amiſſam fortitudinem redire debeat, ſequentibus mox verbis inſinuat, cùm dicit:

Et erit in die illa: In oblivione eris ô Tyre ſeptuaginta annis ſicut dies Regis unius. Septuagenarius numerus perfectam & conſummatam pœnitentiam ſignificat. Et benè quidem dicit: *In oblivione eris ô Tyre ſeptuaginta annis.* Novimus ſanè, quia ii, qui in publica pœnitentia ſunt, ab introitu templi, à communione ſanctæ Matris Eccleſiæ exclu- D. duntur, & non ſolùm ùt *obliti*, ſed & quaſi mortui infra ſtatutum pœnitentiæ tempus reputantur. Sic & homo ſpiritalis per Tyrum, ùt dictum eſt, figuratus, cùm ſpiritalium vaſtitatem divitiarum, quod virtutes ſunt, ſpiritalium exercitio laborum recuperare quærit, eſt quodammodo quaſi *in oblivione ſeptuaginta annis*, dum in pœnitentia ſua tanta ſe DEO humilitate ſubmittit, quòd ſe quaſi oblitum à DEO & coram DEO reputat, atque ab omnibus, quæ dulcia & delectabilia carni eſſent, ſubtrahens ſe indignum

A. ſe judicat, cui reminiſci in miſerationibus ſuis DEus Omnipotens debeat. In hac tamen oblivione eſt *ſicut dies Regis unius*: quia lucens & illuminans cuſtodia & protectio ſummi & optimi Regis, DEI utique Omnipotentis, quæ per *diem* hoc in loco poteſt intelligi, manet ſuper eum, inviſibiliter eum intus illuminans, miſericorditer exteriùs à peccato protegens atque conſervans. Sequitur:

Poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis. Quid, rogo, quid ſunt hæc verba Prophetæ, immò loquentis in Propheta Domini niſi doctrina quædam, qua *Tyrus*, id eſt: homo ille, cui totus Mundus ob amorem cœleſtis regni anguſtus eſt, ad humilitatem eruditur? *Poſt ſeptuaginta*, ait, *annos erit Tyro quaſi canticum meretricis.* Quaſi diceret: Non tibi ſufficit, ut perfectè pœnitendo ſeptuaginta annorum numerum compleas, niſi poſt peractam etiam pœnitentiam in eadem mentis humilitate & conſtantia perſiſtens *quaſi canticum meretricis* canere & frequentare ſtudeas. *Canticum meretricis canere* eſt aſſidua cordis contritione retractare, & quaſi præcinere ſibi ipſi, quàm turpiter, quam multipliciter à vero ſponſo ſuo Chriſto multociens fornicatus ſit. Sed nec hoc ad profectum homini ſufficit, niſi per aſſiduam etiam carnis mortificationem flebili cantico cordis reſpondeat. Unde aptè mox ſubinfertur:

Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita. ℣. XVI.

Quaſi dicat: Quia transgrediendo præcepta mea debitam mihi fidem non ſervâſti, ſemper te ùt *meretricem oblivioni traditam* reputa. *Sume citharam*, carnem tuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendo mortifica. *Circui civitatem* à ſanctis & juſtis, qui tecum ſunt, hominibus, qui civitas DEI dici & eſſe meruerunt, auxilium quærendo interceſſionis, exemplum ſumendo ſanctæ converſationis.

Benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui ſit. Malè cantâſti, dum deſpecto me atque relicto in peccatis exultâſti. Nunc autem *benè cane*, frequenta canticum, malè ſonantem in auribus

ribus meis vocem priſtinæ cantationis A. quaſi verſâ citharâ in vocem commuta aſſiduæ contritionis & compunctionis, *ut memoria tui ſit* apud me, hoc eſt: ut in miſerationibus meis multis & magnis te jam oblivioni traditam rurſum te colligam ad me. Sequitur:

℣. XVII. *Et erit poſt ſeptuaginta annos: viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes ſuas.*

Viſitatio hæc, qua *poſt ſeptuaginta annos Tyrum Dominus viſitat*, eſt inæſtimabilis inexhauſtæ ſuavitatis ejus abun- B. dantia, qua animam per amaritudinem pœnitentiæ ſauciatam ineffabiliter recreat, & lætificat, *reducitque eam ad mercedes ſuas*, quando ei inter ipſam dulcedinis ſuæ gratiam laboris ſui præmium deſideratam tribuit indulgentiam peccatorum. Sed quantumcunque homo ex gratia & dono DEI proficiat, tamen quia vivere non poteſt ſine peccato, quamdiu in corpore peccati ſubſiſtit, aptè ſubjungitur:

Et rurſum fornicabitur cum univerſis regnis terræ ſuper faciem terræ. In- C. telligimus per *terram* ipſum corpus hominis, per *regna terræ* interiores ſenſus hominis, qui ob dignitatem ſpiritus, qui velut Rex & dominator terræ, id eſt: exteriori homini præſidere & imperare deberet, *regna terræ* meritò nominantur. Anima utique, quæ poſt longam oblivionem & abjectionem ad deſideratos diu & optatos cœleſtis ſponſi amplexus tandem ſe receptam gaudebat, rurſum *cum univerſis regnis terræ fornicatur*, quando in interioribus ſenſibus ſuis aut per malas cogitationes, aut per malas voluntates, vel etiam illicita D. deſideria peccato condelectatur. *Fornicatur ſuper faciem terræ*, quotiens ſenſibus corporis viſu videlicet & auditu, guſtu odoratu, & tactu contrarium quid vel indignum cœleſtis ſponſi amori admittit.

Et notandum, quòd priùs eam, quæ in ſpiritu, & poſtea hanc, quæ in corpore fit, fornicationem deſignans, *& rurſum* inquit, *fornicabitur cum univerſis regnis terræ*, Et mox addit: *Super faciem terræ*. Nam etſi eſſet quis, qui corpore corporisque ſenſibus peccato non inclinaretur, rarus valde vel etiam nullus eſt, qui interioris hominis ſui caſtitatem & integritatem ita conſervare valeat, quin aliqua ei corruptionis macula ex diverſis animi motibus accedat, & inhæreat. Attamen quia intolerabile hoc divortium, quod ex hac, de qua jam dictum eſt, cordis corporisque fornicatione inter DEum & animam fit, non libenter ſed violenter ſpiritalis homo multoties patitur, citiùs redire in gratiam ſponſi, & dilecti ſui per pœnitentiam & lachrymas mitigare feſtinat offenſam: ſicque impletur, quod ſequitur:

Et erunt negotiationes ejus & mercedes ejus ſanctificata Domino. ℣. XVIII.

Per *negotiationes ejus* intelligere poſſumus transgreſſiones & peccata, quibus DEus offenditur: per *mercedes ejus* remiſſionem peccatorum, qua DEus Omnipotens pœnitentiam & ſatisfactionem ejus piè remunerat. *Erunt negotiationes ejus & mercedes ejus ſanctificata Domino*: quia mox, ut ex humili corde pœnituerit, & ingemuerit, tam mala, quæ illicitè commiſit, quam bona, quæ in emendationem & ſatisfactionem illicitorum exhibuit, Domino ſanctificantur, quia ad laudem & honorem DEO reputantur.

Non condentur, neque reponentur: quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur usque ad vetuſtatem. Quid per ea, quæ teſte Domino *non condentur, neque reponentur*, niſi exceſſus & peccata electorum in ſpiritali vita DEO militantium deſignatur? Hæc quidem in hac vita *nullatenus reconduntur*. Ipſi enim ſe accuſant, ipſi ſe judicant, ipſi ſe damnant, ipſi cottidianis pœnitentiæ lamentis ſemetipſos affligentes, ipſi diſtrictæ ſpiritalis vitæ & conſuetudinis diſciplinæ ſubjacentes, culpas ſuas DEO produnt in oratione. Ipſi etiam humiliter eas confeſſoribus ſuis aperiunt in confeſſione. Cùmque ſic abſcondita ſua cottidie produnt, nihil ſibi relinquunt, quod in futuro *reponatur*, hoc eſt: quod in extremi examinis diſtricta ſeveritate publicandum puniendumq; reſervetur. Unde aptè adhuc de talibus ſubjungitur:

Quia

Quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur usque ad vetuſtatem.

Habitare coram Domino dicuntur, quia per laborioſa ſpiritalis vitæ exercitia, per ſancta & cottidiana cœleſtis patriæ deſideria Divinæ Majeſtatis conſpectibus quaſi præſentes cottide aſſiſtunt, ſicque habitantibus coram ſe cohabitat ipſe pius & miſericors Dominus: quia piæ miſerationis reſpectu ſuper eos invigilat, ipſe labores eorum conſiderat, ipſe numerat. *Eritque negotiatio eorum, ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur usque ad vetuſtatem*: quia ubicunque injuſtæ negotiationis aliquid congregâſſe ſe, ac comportâſſe meminerint, illud quodammodo *comedunt*: quia ne appareat coram Domino, amarè recogitando, ſortiter pœnitendo ac puniendo cibum ſuum faciunt: quia cottidie ſe in fletibus paſcunt. *Manducant in ſaturitatem* plenè & perfectè & ſufficienter intrinſecus pœnitendo. *Veſtiuntur usque ad vetuſtatem* ad tegenda & abſcondenda ea, quæ pœnitent, decoris juſtitiæ operibus usque ad finem vitæ viriliter inſiſtendo.

Poſt onus Tyri, quod pro modulo noſtro exponendo jam tranſcurrimus, congruo ordine *onus jumentorum Auſtri*, quod decimum eſt in numero, ponitur: quia ſpiritales homines, perfecti Mundi hujus contemptores, qui verè habitant coram Domino, quorum negotiatio eſt, ut manducent, ſicut diximus, in ſaturitatem, & veſtiantur usque ad vetuſtatem, iſti ſunt verè *jumenta Auſtri*, jumenta Spiritus Sancti qui per Auſtrum deſignatur. Ipſe enim eos valido inſpirationis ſuæ impulſu de lato & ſpacioſo ſæculi campo in Tyrum, id eſt: in anguſtam ſpiritalis vitæ ſemitam compulit, non ut requieſcant ibi, ſed ut ſub diverſis oneribus, ſub innumeris laboribus ac tentationibus à priſtina ferocitate ſua manſueſcere addiſcant. Has nimirum tentationes myſticis verbis Propheta enumerando proſequitur dicens:

CAPUT X.

In Cap. XXX. Iſaiæ.

Onus jumentorum Auſtri, hoc eſt, eorum, qui anguſtam ad cœlum viam amplectuntur.

A. *Onus jumentorum Auſtri. In terra tribulationis & anguſtia leæna & leo ex eis, vipera & regulus volans, portantes ſuper humeros jumentorum divitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum, qui eis prodeſſe non poterit.* ỹ. VI.

Ægyptus enim fruſtra & vanè auxiliabitur, ideo clamavi ſuper hoc: Superbia tantùm eſt, quieſce. ỹ. VII.

PEr *terram tribulationis & anguſtia* terra & locus ſpiritalis cujusque ac perfectæ converſationis non inconvenienter accipitur, B. quam *jumenta illa Auſtri*, jumenta utique Spiritus Sancti vinculo obedientiæ ſubjugata incolunt, quæ per præſentis vitæ tribulationes & anguſtias ad latiſſima æternæ jucunditatis paſcua tendunt. Per *leænam* verò & *leonem*, *viperam*, *regulumque volantem* quatuor peccatorum incrementa notare poſſumus, quorum primum eſt delectatio peccati, quæ per *leænam* ſignificatur, ſecundum conſenſus peccati, qui ob fortitudinem, quo robuſtos etiam quosque interdum proſternit, aptè *leoni* aſſimilatur, tertium operatio peccati, quæ C. comparata *viperâ* repentino morſu animam interficit, quartum ſcandalum peccati, quod aptè *regulo volanti* æquiparatum quantò velociùs diſcurrit, tantò perniocioſiùs multorum animas ſcandalizat, & pervertit.

Quatuor hæ beſtiæ *in terra tribulationis & anguſtia ſunt* quaſi *portantes ſuper humeros jumentorum divitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos.* Poſſumus *in gibbo camelorum* intelligere cor peccatorum tortuoſo exuberans tumore vitiorum, qui dum ſuſcepto ſuper ſe jugo obedientiæ ad ſuſcipienda & porD. tanda ſpiritalis diſciplinæ onera in terra tribulationis & anguſtiæ ſponte humiliari incipiunt, *jumenta Auſtri, jumenta*, ſicut diximus, Spiritus Sancti jure nominari poſſunt, clamantes Domino cum Propheta atque dicentes: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Pſal. 72. 22. Super horum jumentorum humeros leæna & leo, vipera, regulusque volans *divitias ſuas*, quod diverſa peccata ſunt & vitia, portant quodammodo, dum ipſi perfecti homines cottidie oculis ſuis ſolicitè proponunt, & opponunt, quidquid aut ex delectatione aut conſenſu vel opere peccati commiſerunt,

vel ubicunque ſcandalo proximis fuerunt, A. & per hoc duro & difficili cottidiani laboris pondere ſemetipſos deprimunt, & affiiciunt. Sed & *ſuper gibbum camelorum portare theſauros ſuos* dicuntur, quando collectos & congeſtos ex eisdem quatuor peccati incrementis malarum cogitationum, iniquarum voluntatum, nec non & deſideriorum theſauros in corda ſua idem electi ſubtiliter rememoranda coacervant, non ut delectentur in eis, ſed ut dignis pœnitentiæ fletibus puniantur pro eis.

Nec prætereundum, quod, poſtquam dixit: *Portantes ſuper humeros jumentorum divitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos*, addidit: *Ad populum, qui eis prodeſſe non poterit.* His ſanè verbis apertè datur intelligi: quia vitia hæc, B. quæ ſub nomine leænæ atque leonis, viperæ & reguli volantis notavimus, comprimi quidem poſſunt, ne homini ſolito more prævaleant: extingui ita non poſſunt, quin iterum atque iterum contra hominem inſurgant. Semper enim ad hoc tendunt, ut jumentum Spiritus Sancti à via veritatis & juſtitiæ reflectant, atque *ad populum, qui eis prodeſſe non poterit*, ad populum utique malignorum ſpirituum ſubito & inopinato C. impetu ſuo divertant. Sed *populus iſte prodeſſe eis non poterit*, dum regente ac cuſtodiente Spiritu Sancto cœpta via homo graditur deſpiciens & abjiciens, quidquid ei diabolica machinatione opponitur. Unde adhuc ſequitur:

Ægyptus enim fruſtra, & vanè auxiliabitur. Aſpirante enim & adjuvante gratia Spiritus Sancti callida ac tenebroſa ſuggeſtio malignorum ſpirituum, qui per *Ægyptum*, quod interpretatur *tenebra* deſignantur, ut vana & inutilis ab eo refutatur. Unde & aptè mox in ſequentibus ex ejusdem hominis perſona dicitur: *Ideo* D. *clamavi ſuper hoc: Superbia tantum eſt, quieſce.* Quaſi dicat: quidquid populus iſte obtendit, totum ad malitiam tendit. *Ideo clamavi ſuper hoc: Superbia tantum eſt, quieſce. Quieſce* tumultuoſis eorum immiſſionibus per delectationem & conſenſum intrinſecus conſentiendo, *quieſce* à malis operibus, quæ & tibi mortis periculum, & proximis ſcandalum generent abſtinendo. Quies verò hæc quia non niſi per aſſiduam carnis mortificationem poſſidetur, aptè in ſequentibus oſtenditur, cùm protinus ſubinſertur:

Nunc ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud. ℣. VIII.

Poſſumus intelligere per *buxum* carnem maceratam per pœnitentiam, per *librum* memoriam hominis vel conſcientiam. Et eſt, quaſi pius & miſericors Dominus dicat homini intrinſecus: *Ingreſſus* ad te intra te peccatorem te ſemper recognoſce. *Scribe ei ſuper buxum*, ſtabili & perfecta pœnitentia macerare carnem tuam non deſine, & quidquid illud eſt, per quod oculos majeſtatis meæ offendiſti, *illud diligenter in libro exara*, illud in corde & conſcientia humili ſemper pœnitendum ſubtiliter rememora.

Et erit in die illa noviſſima in teſtimonium usque in ſempiternum. In die noviſſimo, cùm de tenebris ad lucem, de morte ad vitam tranſieris, contra minacem impetum inimicorum *erit tibi* temporalis hæc pœnitentia *in teſtimonium usque in ſempiternum.*

Populus enim ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem DEI. ℣. IX.

Qui dicunt videntibus: Nolite videre, & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. ℣. X.

Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſraël. ℣. XI.

Paucis his verbis æterna DEI ſapientia breviter comprehendit, atque diſtinxit univerſa incitamenta malignorum ſpirituum, quibus adverſus electos DEI ſe erigunt, quæ expoſitione quidem non indigent. Meliùs enim ea intra nos cognoſcimus, quàm dictis aut ſcriptis exprimere poſſimus.

Populus provocans ſunt: quia homines ſemper ad hoc *provocant*, ut injuſtè contra DEum agendo *iracundiam* & indignationem ejus ſuper ſe ſuſcitent, & commoveant. *Filii mendaces* ſunt: quia mendacium diligunt. *Filii nolentes audire legem DEI*: quia & ipſi eam execrantur, & audire eam ac cuſtodire volentes ſubvertere conantur. *Qui dicunt videntibus: Nolite videre, & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt*: quia multiplici fraudis ſuæ nequitia excæcare homines ſolent, ne recta videant, ne rectè viſa & intellecta rectis operibus exequi valeant, & quoscunque obtuſa mentis acie veri-

veritatis viæ ſubducere poſſunt, his quaſi imperioſa voce pertinaciter inſiſtunt dicentes: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me ſemitam, declinate à me viam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël.* Hæc ſanè malignorum ſpirituum verba nihil aliud ſonant, nihil aliud inſinuant, niſi qualiter per multimoda inſtigationis ſuæ argumenta errori ſuo eos addicere, & ſubjicere valeant.

Sed quia pius & miſericors conditor & eruditor humani generis hæc ſubtiliſſima atque inevitabilia dæmonum machinamenta oſtendit, ſicut jam dictum eſt, & aperuit, ut contra fraudem & malitiam eorum electos ſuos vigilantiores, circumſpectioreſque redderet: nunc etiam, ut ineffabilem pietatis ſuæ dulcedinem inſinuet, qua conflictum ſuorum cottidie conſiderat, & penſat, quaſi potenti contra eoſdem dæmones invectione inſurgens ſubjungit dicens:

℣. XII. *Propterea hæc dicit Sanctus Iſraël: Pro eo, quod reprobâſtis verbum hoc, & ſperâſtis in calumniam & tumultum, & innixi eſtis ſuper eo.*

℣. XIII. *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, requiſita in muro excelſo.*

Ac ſi dicat: O vos maligni ſpiritus, fraudulenti deceptores animarum, qui *reprobâſtis verbum* veritatis ab initio, & *ſperâſtis in calumniam, & tumultum, & innixi eſtis ſuper eo: iniquitas hæc*, per quam animas ſalvandorum meorum cepiſtis, *erit vobis ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo.* Ego enim fortis & potens, ego miſericors, ego clemens potenter interrumpam, ego, ſicut interrumpitur murus, omnem munitionem, immò ſecuritatem veſtram, qua habitare in eis, & poſſidere eos ſperâſtis, manu potentiæ meæ confringam atque diſperdam. *Quoniam ſubitò, dum non ſperatur, veniet contritio ejus.*

℣. XIV. *Et comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione pervalida* *

* *aliàs* prævalida.

Nomine *figuli* ſe ipſum, qui hæc loquitur, Creator & Redemptor noſter vult intelligi. Hujus *figuli lagena* eſt quodammodo omnis creatura. Ipſe enim noſter figulus: nos figmentum ejus. Ipſe factor noſter: nos factura ejus. *Lagena figuli* hujus quaſi *contritione pervalida conteritur*, quando lutea illa maſſa, quod eſt homo,

A. quæ noxio vitiorum ardore induruit, rore Spiritus Sancti perfuſa & emollita ad compunctionis & pœnitentiæ lamenta medullitus reſolvitur. Hæc eſt prævalida illa contritio, qua optimus ille noſter figulus lagenam, deſperatum urique peccatorem miſericorditer conterit, per quam congeſtam peccatorum machinam hinc & inde interruptam forti miſerationis ſuæ manu disjicit, atque diſpergit, ſicque fit, quod ſequitur:

Et non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea: quia B. exhauſto de *fovea* cordis cœnoſo humore concupiſcentiæ carnalis, quæ per *aquam* poteſt intelligi, noxiæ etiam delectationis *incendium* in carne, quæ per *teſtam* accipitur, mediante ac refrigerante Spiritu Sancto ſopitur atque reſtinguitur, ita duntaxat, ut ignis pœnitentiæ fortiter ardens intrinſecus in corde pravæ delectationis *igniculum teſta* carnis non patiatur accedere. Quod autem intulit dicens:

Quia hæc dicit Dominus exercituum. ℣. XV.

Per hoc præcedentia verba ſua quodammodo confirmat, ut nullus propter enormitatem ſcelerum de miſericordia C. DEI diffidat, ſi relicto tandem peccato ad eum, qui verè miſericors eſt, redire curaverit. Unde aptè adhuc ſubjungit:

Si revertamini. & requieſcatis, ſalvi eritis. Ac ſi patenter dicat: Si relictis vitiis ad me DEum & Salvatorem veſtrum *reverſi fueritis*, & poſtpoſitis tumultuantibus carnalium deſideriorum ac voluptatum curis in me & ſuper me, qui vera requies ſum, *requieſcere* volueritis, æternæ vos ſaluti reſtituam, de præteritis criminibus ſalvando vos & emundando, atque contra perſequentium vos malignorum D. ſpirituum violentam impugnationem potentia virtutis meæ miſericorditer confortando.

In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. (Si) ſurrepentibus, perſtrepentibuſque vitiis nec conſentaneis cogitationibus interiùs, nec perverſis actionibus exteriùs reſponderitis: Inſuper etiam ſpe firma, fide integerrima mihi ſoli, qui ſperantibus in me, & de miſericordia mea præſumentibus adjutor indeficiens aſſiſto, perfectè adhæſeritis, infirmabuntur & peribunt à facie veſtra fortiſſima nequiſſimi hoſtis machinamenta.

VEN. THOMÆ ABBATIS VERCELLENSIS SANCTI ANDREÆ

Ord. S. Bened.

COMMENTARIUS HIERARCHICUS IN CANTICUM CANTICORUM,

Ex Cod. MS. Exempti Monaſterii
Mellicenſis nunc primùm in lucem productus
à P. Bernardo Pez.

Digitized by Google

INCIPIT VERCELLENSIS SUPER CANTICA CANTICORUM.

CAPUT I.

ỳ. I. *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

DEiformis animæ gemitus amativi, veraque vox iſta (eſt) in theoriis intellectualibus ſe exercitantis, & omni deſiderio ad unitionis pacem ferventiſſimè anhelantis. Unde labore mentalis exercitii fatigata, & aliqua illius quietis prælibata dulcedine in tam lætabundum prorupit ſuſpirium, ſicut vini ebullientis ardorem patientis impatientia ſtimulata: *oſculetur me oſculo oris ſui.*

Ac ſi dicat: delectet me ſponſus meus experientia unitionis ſuæ.

Pulchrè ſiquidem Deiformis anima *oſculo oris*, hoc eſt: experientia unitionis ſui prædulciſſimi dilecti, cujus ſic amore languet, & concupiſcentia ardet, appetit *oſculari* ſive delectari, ut eò quieſcat ſuaviùs, quò fuerit unita dulciùs. Non autem puto eſſe ab re, quòd per *oſculum oris* unitionis experientia deſignatur. Nam ſicut os inſtrumentum eſt, in quo ſapida omnia deputantur: ſic in unitione conveniunt &, experiuntur delectationes omnium virtutum & illuminationes. Sicut verò ſapor cibi accepti citò tranſit, remanet tamen alimentum ad conſervationem naturæ: ita quidem ſuavitas & dulcedo in unitione percepta tranſit, ſed virtus illius intelligibilis nutrimenti ibidem deguſtati permanet fortificans & conſolidans animam ad fortiora & ſolidiora percipienda nutrimenta, ipſamque ſimul promovens ad ſpiritualia incrementa. Hinc eſt, quòd per B. Dionyſium

A. nobis traditur in Angelica Hierarchia 15. capitulo: *Guſtativas autem intellectualium alimentorum adimpletiones & Divinorum nutrimentorum proventuum ſuſceptivum.* Quaſi dicat: nos dicimus guſtativas virtutes in Angelis ſignificare repletionem & abundantiam Divinarum dulcedinum & ſaporum, & ſuſceptibilitatem affectualem incrementorum intelligibilium ſive ſpiritualium ex ſuſceptis luminibus hujuſmodi. Et ſic intellectualiter creſcimus, ſicut materialiter ex virtute cibi.

B. Videtur tamen non immeritò poni, quod dicit ſponſa: *oſculetur me*, in tertia perſona, & non: *oſculare* in ſecunda, quaſi non ad dilectum ſuum, ſed ad alium ſermonem dirigere videatur. Ad quod ſic dici poteſt ſalva reverentia intelligentiæ ſanioris, quòd animæ Deificatæ & vivæ, voces ſuas in occulta Divinorum ſpectaculorum extendenti, videntur eſſe omnes ſine apprehenſione & perceptione de Divinis, ſicut quædam vivæ voces, ipſam tanquam per interpoſitam perſonam ad anteriora clamore mirabili advocantes. Unde ipſis ſicut ſibi ſine vo-
C. ce loquentibus locutionis vicem rependit dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Aut certè vox eſt Cherub mentis noſtræ ad ſupercœleſtes ſubſtantias porrecta, quarum legibus per amoris exceſſum & per operationem tam mentalium quàm materialium familiariter eſt ſociata. Itaque Dilecto deſiderio Sponſæ ferventi & precibus pro ſe interpellantibus Angelorum ſatisfacere cupiente, cauſamq; qua-

quare ſe oſculari appetierit, ſciſcitante, reſpondet Sponſa:

℣. II. ***Quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.***

Ac ſi dicat: intellectualia ſunt magis dulcia, quàm ex materialibus aſſumpta exercitia: quia ſuaviores ſunt tuæ intelligibiles diſtributiones lac ſupermentalis dulcedinis continentes ferventi deſiderio devotionis; & magis ex odore ſuo intelligibili mentis olfactivam confortantes, quàm optimæ affectiones ex variis materialium confectionibus confectæ.

Dubium quippe non eſt, Divinam B. bonitatem animas intellectualium exercitiis deditas ſuis ſuperpleniſſimis *uberibus*, hoc eſt: diſtributionibus dulciformiter educare. Benè autem ſponſa hæc ipſa *ubera meliora* dicit fore *vino*: quia eorum dulcedo & ſuavitas omnis noſtræ affectionis & devotionis ex materialibus rebus confectæ, quantumcunque ferventis, per *vinum* deſignatæ, ſuperat ſuavitatem & dulcedinem. Emanat enim ab ipſo Thearchiciſſimo JEſu, quem Divinus Dionyſius c. 4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ arbitratus eſt *ſubſtantialiter beneolentem intelligibilibus beneolentibus diſtributioni-* C. *bus Divinæ delectationis noſtrum intellectuale implentem.* Unde quia non ſolùm tales diſtributiones ſunt dulciſſimæ, ſicut lactis ſupermentalis ſuavitatis contentivæ & propinativæ, ſed etiam odorifluæ: ideo benè addit, eas eſſe *fragrantes unguentis optimis*, hoc eſt: ex ſuo intelligibili odore magis olfactivam mentis noſtræ virtutem confortantes, quàm ipſæ valde bonæ affectiones ex variis materialium confectionibus confectæ.

Conſuetudo namque eſt virorum ſpiritalium ex variis contemplationum D. conſiderationibus quaſi multis granis (&) ſpeciebus conficere ſibi affectiones optimas ad ſpiritum delectandum: quorum tamen fragrantia nullo modo poteſt fragrantiæ diſtributionum intellectualium comparari. Fluunt enim ab ipſo fragrantiſſimo JEſu: Quia juxta B. Dionyſii ſententiam Eccleſ. Hierarch. c. 4. *frontalis exiſtit copia beneolentium ſuſceptionum proportionibus Hierarchicis ad Deiformiſſimam intelligentiam, reddens Diviniſſimas fragrantias*, in quibus cœleſtes mentes ſuaviter delectatæ & ſanctis ſuſceptio- A. nibus adimpletæ alimento intelligibili utuntur. Sic igitur ex verbis ſponſæ duo poſſunt notari, effectus circa intelligibilia *ubera*, videlicet ſuavitas & dulcedo, quibus delectatur guſtus. Similiter fragrantia, qua excitatur olfactus. Felix certè, qui ad tantæ devenit animæ puritatem, ut talia ubera ſugat ſicut verus Divinæ bonitatis filius, & in Divinorum exercitio jam perfectus! Ne autem imperfectis adhuc animabus poſſit deſolationis materia generari, quia tali nutrimento non aluntur, alius per ſponſam proponitur eis cibus earum congruens parvitati. Ait enim:

Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.

Quaſi diceret: quædam pinguis & lata conſideratio ſunt creaturæ tuæ: & idcirco animæ rudes in intimis exercitiis unguenti jam quadam affectione tibi adhæſerunt &c.

Meritò per *oleum effuſum* univerſitas creaturarum viſibilium deſignatur: quia per ipſam quaſi per ignem & latam & claram conſiderationem in DEI notitiam devenimus, ſicut per nomen in cognitionem perſonæ. Nam juxta Pauli verbum *inviſibilia DEI à creatura Mundi* Rom. 1. 20. *per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Et propter hoc rudes animæ exercitiis Divinorum, quæ pro inconſuetudine nondum habent exercitatos ſenſus, ſicut ſpirituales ad percipiendum ſolidum cibum Divinarum diſtributionum, ſed adhuc lacte conſiderationis materialium ſe nutriunt, jam maxima quadam affectione ipſi dilecto ſuo incipiunt adhærere, quia tale eis manuductivum ruditati earum congruens miniſtravit. Unde beatus Dionyſius tradit 1. cap. Angelicæ Hierarchiæ: *non eſt*, inquit, *poſſibile noſtræ menti ad immaterialem illam ſurſum excitari cœleſtium hierarchiarum imitationem & contemplationem, niſi ipſa mens noſtra ſecundùm conditionem præſentis cæcitatis materiali manuductione utatur, apparentes quidem pulchritudines non apparentis decoris imagines reputans, & ſenſibiles bonos odores expreſſiones intellectivæ diſtributionis, & immaterialis luminis donationis imaginem materialia lumina.* Quaſi diceret: ſi quiſpiam Divinæ pulchritudinis

nis aut intelligibilis diſtributionis vel ſplen- A. doris cupit fieri contemplator, neceſſe eſt, eum per conſiderationem materialis pulchritudinis & ſenſibilis boni odoris, & viſibilis claritatis ad hoc ipſum devenire.

Aut certè aliter dicere poſſumus: *Nomen* Dilecti eſt *oleum effuſum*, ut per nomen ipſius clariſſimæ deſignentur illuminationes, per quas in nobiliſſimam quandam devenimus DEI cognitionem,
Pſ. 138. 6. de qua Pſalmus: *Mirabilis*, inquit, *facta eſt ſcientia tua ex me*, id eſt: cognitio. Hoc eſt: ex iis, quæ in me exteriùs operaris, B. ſive ſint intellectivæ luminis diſtributiones, quarum manuductione veni in hanc digniſſimam DEI cognitionem, ut vocem ſuperlucentem lucem, & ſuperſplendens lumen (Namque tradente Dionyſio de Divinis Nom. c. 4. *Didicimus lumen intelligibile bonum dici propter hoc quidem, quòd omnem ſupercæleſtem mentem implet intelligibili lumine*) Sive etiam ſint ſapores & dulcedines, ex quarum dulciſſimo guſtu voco eum dulcem & ſuavem juxta Theologiæ ſenten-
1. Petr. 2, 3. tiam, qua dicitur: *Si tamen guſtâſtis, quoniam dulcis eſt Dominus Chriſtus.* C.
Pſ. 33. 9. Et Pſalmus: *Guſtate & videte* &c. Et benè tale nomen dicitur *oleum effuſum* &c. quia dubium non eſt, hujuſcemodi DEI nobiliſſimam cognitionem fore velut quandam intelligibilem diſtributionem totaliter impinguantem, & dilatantem, & per totum ſe diffundentem ad ipſam ſuaviter & dulciter diſponendum. Et revera tale oleum in ſe effuſum ſenſe-
Pſ. 22. 5. rat, qui dicebat: *Impinguâſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* Quaſi dicat: taliter mentem meam Divinarum pinguedinum dulcedine ſaginâſti, ex quo fit, ut ipſe po- D. tus intelligibilis, qui mentalis extaſis eſt factus, modò clarior videatur. Quia verò quantò clariora ipſa Deiformis intelligentia ampliùs de Divinis experitur, tantò deſiderat majora experiri, ideo benè per ſeipſam adjungit:

℣. III. *Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum*

Ac ſi dicat: virtute tui radii eleva me ſuper me, & ſic ego & cæteræ virtutes mentales proſpiciemus in fragrantia Divinarum tuarum diſtributionum.

Attende igitur quomodo Deiformis intelligentia poſtulat à dilecto, ut *ſe trahat poſt ſe*: quia nullatenus eſt poſſibile ſuper ſe poſſe elevari ipſam, niſi virtute intelligibilis radii mediante, qui ipſius intelligentiæ eſt veraciter abſtractivus, ſapienter directivus & dulciter unitivus. Abſtrahit enim eam à materialibus, dirigit per intelligibilia, & unit Divinis. Abſtractionem autem ſequitur labor: directionem comitatur ſplendor: unitioni aſſociatur dulcor.

Cùm enim anima de viſibilibus ad inviſibilia promoveri debet, neceſſarium eſt primùm ipſam pati quandam violentiam, quod ſignificatur per verbum: *trahe*. Unde cùm ei aliquod objectum primum offertur, fit in extaſi, & tunc multum laborat & fatigatur corpus. In tantum enim anima Divini radii calore ſuccenſa gaudet viſione intellectualium, ut ſecundum ſe totam illi objecto ſit intenta, nec ita, ùt conſuevit, agit in corpus: propter quod oportet ipſam à ſuo immutari vigore. Unde & Sanctus Job
ait: *Cùm ſpiritus*, inquit, *me præſente* Job. 4. 15.
tranſiret, inhorruerunt omnes pili carnis meæ.

Notandum autem eſt, quòd in ipſa ſui directione per intelligibilia, multa ei objecta apparent, ut ſunt lumina ſplendidiſſima, corpora refulgentiſſima, quæ videntur glorificata, inæſtimabilis pulchritudinis, ut Maria glorioſiſſima cum cæteris ſanctis. Plerumque verò talibus ſuperdulciſſima Virgo diverſimodè conſuevit apparere. Unde nulli dubium eſſe debet, quin per ipſius ſpecialiter ſuperdulciſſimam bonitatem contemplationis gratia conferatur. Ipſa enim eſt illa intellectualis Aquila, quæ provocat ad volandum pullos ſuos, expandens alas ſuas, & aſſumens eos atque portans. Sed qui ſunt iſtius Aquilæ pulli, qui ad volandum provocantur, niſi devoti Dominæ noſtræ, qui ab ea ad contemplandum excitantur? Quos benè aſſumere eſt atque in humeris portare: quia ipſos ſuis bonis illuminationibus regit, dirigit, & ſuſtentat, donec ad perfectionem duxerit viſionis.

Si autem quæritur, quid ſibi velit Sponſa, quòd ait: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, dicendum eſt, quia per hoc cæterarum virtutum mentalium nomi-

nominantur profectus ad abſtractionem & elevationem intelligentiæ. Non enim ipſa ſola in DEum proficit & elevatur, ſed cum ipſa omnes animi virtutes Deificantur & excitantur ad *odorem unguentorum*, hoc eſt: ad experientiam fragrantiæ Divinarum diſtributionum. Nam elevantur cum elevata, trahuntur cum tracta, currunt cum currente, olfaciunt cum olfaciente, guſtant cum guſtante. Talis enim naturæ guſtus eſt Divinorum, ut ipſam animam impatienti quodam deſiderio accendat & ſuſcitet, ita ut nullatenus quieſcere poſſit, donec bravium ſui deſiderii fuerit conſecuta. Hoc eſt, quòd ſponſa noſtra odore unguentorum intelligibilium vehementer excitata tam diu poſt dilectum ſuum currit, ut ipſius beatis unitionibus meruerit inebriari. Ait enim:

Introduxit me Rex in cellaria ſua.

Quaſi dicat: familiariter me admiſit Sponſus meus ad ſecretam experientiam unitionum ſuarum.

Animadvertendum eſt hìc, quoniam Deiformis anima primò *trahitur*, ſecundò *currit*, tertiò *introducitur*. Trahendo autem purgatur, currendo illuminatur, introducendo perficitur. Siquidem nihil aliud eſt ſponſam à rege introduci, niſi ad Thearchici radii imperium ad Divinarum unitionum ſecretam experientiam familiariter admitti. Quæ benè unitio eſt per *cellaria* deſignata: quia ibi adeò Deiformitate inebriatur, ut mirabiliter ſe neſciendo ſciat, & ſciendo neſciat, ſicut prævia ſuavitate ab uſu rationis totaliter abſorpta. Comeduntur illic pinguia, & bibitur mulſum ſive muſtum ex ſui fortisſima virtute totaliter alienativum. Inſuper etiam continuè in hujusmodi dictis cellariis reſonat vox dilecti: *Comedite amici mei, & inebriamini chariſſimi.* Unde fit, ut eò ampliùs inebrientur, qui in eiſdem ſunt introducti, quò ad hoc ipſum per dilectum inſtantiùs admonentur. Cant. 5. 1.

Aut certè per *cellaria* dilecti intelligere poſſumus diverſas ſupercœleſtium Hierarchias, plenisſimas quidem multis dulcisſimis & ſuavisſimis, & beneolentibus diſtributionibus, in quibus

A. tunc Deiformis intelligentia à rege introducitur, cùm ad intimam contemplationem & inveſtigationem virtute Divini radii admittitur, & ſic ipſa cum cæteris virtutibus mentalibus inebriata, & demum ad ſe reverſa clamet & dicat:

Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum ſuper vinum. ℣. IV.

Quaſi dicat: tu eris amodo materia exultationis & lætitiæ noſtræ, memorantes tuarum intelligibilium diſtri-

B. butionum dulcedinem, quæ omnis materialis conſolationis ſuperat ſuavitatem.

Vide, quomodo anima intelligibilibus cellariis introducta vix in alia aliqua te poteſt exultare & lætari, præterquam in ſuo dilecto ſuperdulcisſimo crucifixo, qui ejus introductionis cauſa extitit & inebriationis. Unde ad ipſum ſicut ad verè jocundum & lætabundum objectum omnes vires animæ recurrunt, ut in ipſo exultent & delectentur memores lactis uberum ejus, hoc eſt: ſuperdulcisſimè dulcis Deitatis intelligibilium

C. diſtributionum, quibus in ſecreto cellario abundantisſimè & delicatisſimè ſunt depaſtæ.

Quæ benè ubera dicuntur eſſe *ſuper vinum*: quia ſupermentalium influitionum ſuavitas omnem materialem conſolationem, per *vinum* deſignatam, ita abſorbet, ut de cætero in comparatione illius pro nihilo reputet, nec etiam in memoriam adducat. Superfluit enim etiam beata ſuavitas ex dilecti uberibus inceſſanter, ad cujus fluxum omnia intima animæ feliciter irrigantur, irrigata impinguantur, impinguata inenarrabili exulta-

D. tione adimplentur. Et tunc verè dici poteſt illud Propheticum: *Et juſti epulentur & exultent in conſpectu tuo.* Quare *epulentur juſti?* Quia dulcedo uberum dilecti ſuaviſſima. Quare *in conſpectu DEI?* Quia facies ſuavisſima & ſplendidisſima. Quare *delectentur in lætitia?* Quia ſocietas cœleſtis amantisſima. Talibus igitur ac tantis Sponſa noſtra in dilecto ſuo delectabilibus conſideratis, per quæ facilè ſanctorum virorum amorem vendicet ſibi, ait deinde: Pſal. 67. 4

Recti

Recti diligunt te.

Hic viri illi, qui per ſimplicitatem intellectus atque affectus ad contemplandum cœleſtia ſunt electi, tibi dilecte mi, amore inſeparabili copulantur.

Siquidem ſimplicitas affectus eſt ipſius diſſimilitudo à materialibus deſideriis; & aſſimilatio ad Divinas delectationes. Similiter ſimplicitas intellectus eſt ipſius diſſimilitudo & puritas à phantaſiis & ignorantiis, & aſſimilatio ad ſuperſplendentem radium. Hæ autem duæ ſimplicitates pariunt & efficiunt in anima rectitudinem Deiformem, hoc eſt: ſuſpenſionem & directionem intelligentiæ in DEum, hinc inde nullatenus declinando, ſed ſeipſam ad verè pulchrum & bonum viriliter erigendo. Et tales profectus ſunt, qui juxta beati Dionyſii ſententiam in Epiſtola ad Titum ſufficiunt tranſire mentis ſimplicitate & contemplativæ virtutis bonitate ad ſimplicem & ſupernaturalem & ſupercollocatam ſignorum veritatem.

Quomodo igitur hi *recti* non *diligant* tam ſuperdulciſſimum radium, non diligant, ſive ei amore inſeparabili non copulentur, ad quam tota virtute ſe erigunt, dirigunt & extendunt. Erigunt namque ſeipſos à materialibus abſolvendo, dirigunt poſt illuminationes intelligibiles gradiendo, extendunt ipſum radium affectuoſiſſimè amplexando, & ſeipſos ad ipſius irradiationes copioſiſſimas ſuſcipiendas pro viribus dilatando. Quia verò quantò validior eſt extenſio interior ad ſuperiora, tanto major fit extenuatio circa exteriora, ideo ſponſa ad rudes animas, ipſas alloquitur taliter confortando.

℣. IV. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.*

Ac ſi diceret: labore materialium actionum ſum exteriùs denigrata, ſed interiùs beatis pulchritudinibus dealbata, ô ſimplices animæ contemplationi cœleſtium deditæ, ſicut habitacula mœroris variis diſciplinis expoſita, & ſicut tentoria ſummi regis multis coloribus adornata. Nigredo corpus afficit per macerationem, ſed anima dealbatur per contemplationem.

A. Tunc quippe eſt materiale corpus animæ Deiformis, præſertim dum ipſa labori mentalium actionum eſt intenta, modò macerando denigrari, ipſam verò Divinis ſplendoribus dealbari, ſicque formoſiſſimam reddi. Tunc enim exteriorum ſenſuum delectatio totaliter ad interiorum ſenſuum convertitur delectationem. Unde opus eſt exteriora macerari & mortificari ratione ſuperiùs aſſignata. Convenit autem dici, duos eſſe ſenſus in intellectu, viſum videlicet & auditum, tres autem in affectu, ſcilicet guſtum, tactum, & odoratum, qui omnes uno B. modo ex hoc, quòd anima Divinorum inhæret contemplationi, ad ſua objecta ferventiſſimè ſuſcitantur, viſus ad ſplendores, auditus ad Divinas inſpirationes, guſtus ad dulciſſimos ſapores, tactus ad leniſſimas ſuavitates, olfactus ad fragrantiſſimas fragrantias ſuperolentes. In talibus autem actionibus ſicut anima ſenſibiliter & potiſſimè delectatur, ſic corpus importabiliter & quàm plurimùm cruciatur, ac per hoc, ùt dictum eſt, *denigratur.*

Qualis verò ſit iſta denigratio, & C. qualiter fiat animæ decoloratio, per has duas ſimilitudines: *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*, pulcherrimè declaratur. *Cedar*, enim, quod *mœror* declaratur, filius extitit Iſmaël, pro nequitiis ſuis ſemper in tabernaculis habitans, quæ ob frequentiam imbrium & caloris valde denigrabantur. Congruè ergo per *tabernacula Cedar* Deiformium animarum corpora ſunt intelligenda, quæ eis in ſervitutem redacta diſciplinis cœleſtibus exponuntur, atque vehementiſſimè denigrantur. Priùs enim per Divinas diſciplinas facienda eſt purgatio, D. quam intellectualis illuminatio infundatur, ùt, ſicut de tabernaculis Cedar, fiat *pellis Salomonis* anima Deiformis. Nam quantum exteriùs denigratur, tantum interiùs decoratur.

Hinc eſt, quòd ſponſa noſtra non ſolùm tabernaculis Cedar propter exteriorem diſciplinam, ſed etiam pellibus Salomonis propter virtutum ſplendorem ſe fore ſimilem gloriatur, ita ut ſub culmine Divinarum virtutum ejus quaſi ſub variis pellibus vel tentoriis non dedignetur habitare & quieſcere pacatiſſimus

Sponſus ejus & quietiſſimus beatiſſimus Crucifixus.

Vel certè dicere poſſumus, dilectam tunc eſſe *nigram, ſicut tabernaculum Cedar*, quando vitæ activæ diſciplinatiſſimis laboribus eſt ſubjecta. Tunc verò *formoſa ſicut pellis Salomonis*, quando vitæ contemplativæ decorantibus & pulchrificantibus ſplendoribus eſt totaliter mancipata. Ne verò poſſent rudes animæ æſtimare, hanc ſponſæ denigrationem potiùs ex vitiis quàm ex virtute procedere, iterum eis dicitur per dilectam:

℣. V. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim: quia decoloravit me Sol.*

Quod eſt dicere: nolite meæ conſiderationi multum intendere, quàm ſim macerata, quoniam calor & ſplendor Divinæ contemplationis me totaliter denigravit.

Nam ſicut Sol materialis duplicem habet effectum, exurendi vid. & lucendi: ita quidem Divina contemplatio per *Solem* deſignata exteriorem hominem, ùt tactum eſt, mortificat & obfuſcat, omnem in eo carnalitatis humiditatem penitus exſiccando: interiorem verò vivificat & clarificat ipſam diſtributionum Divinarum dulcedinibus depaſcendo, illuſtratione radiorum intellectum perfundendo. Hinc eſt, quòd per Divinum nobis traditur Paulum: *Licèt*, inquit, *is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur*, id eſt: actuali humore paulatim vacuetur, *tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem*, id eſt: luciformiter de claritate in claritatem transmutatur. Propter quod alibi dictum eſt: *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt &c.* Quaſi diceret: quanquam mortis imaginem veraciter præferatis exteriùs, tamen cœleſtis vitæ ſplendorem intus bajulatis, eò utique glorioſiùs, quò latentiùs. Itaque conſequenter dum interior homo ad cœleſtia ſublimatur, exteriorem non eſt dubium ſuis privari delectationibus per intelligentiam Deiformem. Propterea benè ſubjungitur:

2. Cor. 4. 16.

Coloſſ. 3. 3.

Filii matris meæ pugnaverunt contra me.

Ac ſi dicat: motus rationis meæ materialia uniformiter cuſtodientes mihi cujuſdam contentionis litigium intulerunt.

A. Attende benè verba iſta, ſcilicet intelligentiæ Deiformis ſe de inordinatis rationis motibus conquerentis. Quam rationem ipſa intelligentia dicit *matrem ſuam*: quia materno quaſi affectu per ipſius diſcretionem reſervatur & cuſtoditur, ne ad ipſas materiales egrediatur paſſiones, aut ad aliquas alias diſſimilitudines, per quas intelligentiæ claritas poſſit violari.

Si verò quæris, qui ſint iſti *filii* rationis, qui pugnam Deificatæ intelligentiæ movere non verentur, dicendum eſt, eos eſſe quoſdam motus inordinatos inferioris partis rationis, qui ſemper ipſi intelligentiæ contradicunt, & cum ea litigant, eò quòd ipſa velit in cœleſtibus commorari & in theoriis intellectualibus exerceri, quod valde ſenſualitati grave eſt & moleſtum. Propter quod ipſa motus ſuos adverſus intelligentiam inducit, ut vel ſic continuis clamoribus moleſtata à contemplatione cœleſtium ad contemplationem materialium retrahatur. Unde meritò per eandem intelligentiam ſubinfertur:

B.

Poſuerunt me cuſtodem in vineis; vineam meam non cuſtodivi.

C.

Quod eſt dicere: deputaverunt me ſpeculatricem in materialibus creaturis. Sed hanc talem ſpeculationem materialem minimè cuſtodivi vel conſervavi.

Notandum ſanè, quòd vix aut unquam intelligentia jam per unitionem ad Hierarchicum radium Deificata poteſt ad contemplationem rerum materialium declinare. Contingit tamen interdum ipſam ab inordinatis & imperfectis rationum motibus compelli tum propter ſui exterioris hominis compaſſionem, tum etiam propter ſui modicam remiſſionem, ut ſpeculationi rerum materialium intendat. Quæ materialia benè à ſponſa per *vineas* deſignantur: quia ex earum attenta contemplatione non eſt dubium, botrös ſuaviſſimæ & pleniſſimæ meditationis colligi, ex quibus exprimitur vinum ferventiſſimæ devotionis, quod etiam efficax ſit ad animas inebriandas. Hinc quendam Theologum novimus tradidiſſe Habacuk: *Domine conſideravi opera tua & expavi*, hoc eſt: præ attenta ex ſpeculatione & conſideratione materialium in quendam extaticum ſtuporem incidi.

D.

Hab. 3. 2. ver. LXX.

cidi. Proinde etiam puto per Pſalmos (Pſ. 142. 5. 6. & 7.) dici: *meditatus*, inquit, *ſum in omnibus operibus tuis*. Sed quid tibi ex hoc? *Expandi manus meas ad te* propter nimiam exultationem; *anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*, propter ſenſusprivationem: *defecit ſpiritus meus*, ob rationis abſorptionem. Meritò igitur per *vineas* ſpeculationes materialium deſignantur, ex quibus nobis provenit calix ſic immutans præ admirationis exultatione, ſic alienans præ ſenſus privatione, & ſic inebrians præ rationis abſorptione. Verùm quia longè meliores, majores, & ſuaviores ſunt delitiæ intelligentiæ Deiformis erga cœleſtium contemplationem, ideo iis benè tecti in vinea poſiti *vineam ſuam non cuſtodiunt*: quia talem ſpeculationem materialem longo tempore minimè obſervant. In ſe igitur reverſa & cœleſtium amore & dilecti ſui ſuccenſa, quaſi nimis evagaverit per vineas, ait ad dilectum:

℣. IV. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium meorum.*

Ac ſi dicat: per tui illuminationem mihi notifica ſuperamabilis Crucifixe, cui ſum amore inſolubili glutinata, quis ſit locus tuæ ſuperdulciſſimæ refectionis & ſuperſuaviſſimæ quietis in ſuperferventi ardore & ſuperſplendenti lumine Deitatis, ne inutiliter contingat me proficiſci poſt ſimplices & multiplices illuminationes te ſemper concomitantium Angelorum.

Pulchrè ſiquidem poſtulat Deiformis ſponſa à ſuo amabili Crucifixo, vel à Divino radio, cui amore inſolubili copulatur, ut per bonas ipſius irradiationes ſibi debeat indicare, *ubi paſcat, ubi cubet in meridie*, hoc eſt: quiſnam eſt locus ſuæ dulciſſimæ refectionis & ſuaviſſimæ quietis in ſuperardenti ardore & ſuperſplendente lumine Divinitatis. Hoc autem competit, ut famelica valeat ſatiari, ut inquieta valeat tranquillari ad ſenſum ſupercalidi ardoris & viſionis tam ſuperfulgentiſſimæ claritatis. Novit enim (Geneſ. 43. 16.) intellectualem Joſeph JEſum Chriſtum occidi victimas & inſtrui convivium præcepiſſe, quia ſecum comeſturi ſunt fratres ſui. Unde tam inſtantiſſimè petit ſibi indicari, *ubi paſcat, ubi cubet in meridie*,

A. id eſt: ubi ſuperdulciſſimè & pacatiſſimè diſtributionibus reficiat, & pacificet mentes in ardore ſuperlucenti, & lumine ſuperardenti ſuperbeatiſſimæ Divinitatis. Dicit enim Dionyſius Angelic. Hierarch. c. 7. quòd *primus cœleſtium ſubſtantiarum exercitus eſt in circuitu DEI & circa DEum ſine medio ſtans, & indeſinenter ambiens æternam ipſius cognitionem ſecundùm ſupernam, ut in Angelis ſemper mobilem, collocationem: multas quidem & beatas purè videns contemplationes, ſimplicibus & immediatis ſplendoribus illuminatus, & Divino nutrimento adimpletus. Multa primò*
B. *eis datur effuſione: una autem invariabili & unifica Thearchica epulationis unitate, multa autem communione DEI & cognitione dignus habitus.* Hujus profectò Ordinis Spiritus non eſt dubium cum Dilecto epulari & accumbere *in meridie*, ſicut Divino illo (nutrimento) ſuperdulciſſimo pleniſſimos, adimpletos, & pacifica DEI communione dignos habitos, nec non ſplendoribus ſimplicibus & immediatis illuſtratos, quorum unum ad *paſtum*, alterum ad *accubitum*, reliquum verò ad *meridiem* exiſtimo referendum. Dum
C. enim Divino nutrimento adimplentur, cum dilecto *depaſcuntur*. Cùm verò unifica & pacifica communione ejus digni habentur, cum eo *accubant*. Ut autem puriſſimis ſplendoribus illuſtrantur, *in meridie* procul dubio collocantur.

Ne tamen crederetur, ſponſam talem petitionem expoſtulâſſe potiùs ex curioſitate quàm juſta neceſſitate, cauſam adjungere curavit, dum intulit: *ne vagari incipiam poſt gregem ſodalium tuorum.* Hoc eſt: ne contingat me inutiliter proficiſci poſt ſimplices & multiplices illuminationes te concomitantium & tibi fide-
D. liter adhærentium Angelorum. Ratum enim habet Deiformis anima, quòd omnem delitiarum ſuperat dulcedinem & ſuavitatem *depaſci & accubare in meridie* cum dilecto. Unde & ſibi videtur inutiliter proficiſci, dum ſemper ſequitur ſimplices & multiplices Angelorum concomitantium illuminationes, & ad ipſius paſtum & accubitum meridianum nullatenus pervenire: ſic quoque pro nihilo reputat minari ad interiora deſerti, niſi uſque ad montem DEI Horeb perducatur, ubi cum dilecto valeat ſatiari, ſatiata quietari in meridie plenū luminis & ardoris.

 Si

Advertendum eſt, quoniam idcirco
dilectus *equitatum ſuum* cœleſtem Ange-
licorum ſpirituum militiam nominavit,
quia ipſi Hierarchicæ legis freno tota-
liter reguntur, & Divinæ ſuavitatis ſuper-
dulciſſimum & ſuperſplendidiſſimum ſur-
ſum ferens pondus ſuſtinent inceſſanter.
Sic autem per Hierarchicam legem re-
guntur, & per Divinum pondus oneran-
tur, ut tamen, ad quæcunque voluerint,
ſint habiles, & liberiores ad pergendum,
& aſcendendum, quò libuerit, leviores.
Talis namque naturæ Hierarchicæ lex eſt,
& pondus Divinum, ut quò illi aliquis
ſtrictiùs ligatus fuerit, reddatur liberior,
& qui homo magis ab ea oneratus fue-
rit, ſurſum agilis extollatur.

Quantæ verò venuſtatis hic *equita-
tus* fuerit *in Pharaonis curribus* ſive dia-
bolicis agminibus, tanta præſulgens pul-
chritudine & tanta præeminens fortitudi-
ne ad informandam animam, quæ illum
interdum ex contemplationis ſuæ cacu-
mine meruerit contemplari, minimè cen-
ſeo requirendum. Nec enim poſſem
aliqualiter explicare tantæ pulchritudi-
nis reſulgentiam, aut tam eximiæ forti-
tudinis præeminentiam: ad cujus aſpe-
ctum univerſi *currus Pharaonis*, intelle-
ctuales theorias pro poſſe eludentis &
diſſipantis, penitus ſubvertuntur. Pul-
chrè autem huic tali *equitatui* ſponſi, id
eſt: cœleſti Angelorum militiæ amica
ipſius Deiformis anima comparatur, quod
ipſa eſt non ſolùm liberativis Hierarchi-
cis ſubjecta legibus, & ſurſum ferenti Di-
vino ponderata onere, verùm etiam ipſo-
rum Angelorum præſulgenti pulchritu-
dine & præeminenti fortitudine adeò
redunita, ut ipſis agminibus (&) Pharaö-
nis curribus quaſi intellectualium caſtro-
rum acies videatur. Quoniam autem
quantùm Deiformis anima ſit Angelicæ
militiæ ſimilior, tantùm etiam ſit in ſuis
affectionibus mundior, ideo benè ſubin-
fertur:

℣. IX. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.*

Ac ſi dicat: affectiones tuæ ſunt de-
core pudicitiæ adornatæ ſicut unius ſolius
Divini radii communicatione contentæ.

Quoniam principales Deiformes
diffinitiones, quæ per ſponſæ genas de-
ſignantur, duæ ſunt, cognitio videlicet
A. & affectio, quarum una ſummè lucens
verum reſpicit: altera ſummè delectans
optimum intuetur. Harum autem ge-
narum pulchritudo & rubor pudicitiæ
ipſarum eſt decor, quo ſponſa mirabili-
ter venuſtatur. Nam altera pulcherrimis
ſtillis luminis: altera glorioſiſſimis ſtillis
dulcedinis decoratur, ita ut facilè cor
ſponſi tanta illectum pulchritudine vul-
neretur.

Sed quid ſibi vult, quòd hæ genæ
ſicut turturis pulchræ fore dicuntur, niſi
quia Deiformis animæ agnitio & affectio
unius ſolius & ſimplicis Divini radii uni-
B. tione inſtar turturis ſunt contentæ, in
quo perfecta & plena luminis & dulce-
dinis diſtributio invenitur? Nihil enim
eſt aliud Thearchicus radius, quàm lu-
men dulcorans & dulcedo illuminans,
quemadmodum per Theoriam nobis tra-
ditur: *Dulce*, inquit, *eſt lumen & delecta-* Eccli. 11. 7.
bile oculis videre Solem. Ita etiam di-
cendùm eſt de intellectu & affectu ani-
mæ Deiformis, ut non aliud ſit Deifica-
tus intellectus, quàm lux ardens: nec
aliud affectus, quàm ardor lucens, hoc
ipſum virtute ſuperſubſtantialis radii, cui
C. unimur, faciente, in quo lumen à dulce-
dine, vel dulcedo à lumine niſi fortè ſe-
cundùm effectum, nullatenus æſtiman-
dum eſt diſcrepare. Quia verò non ſuf-
ficit habere pudicas affectiones, niſi per
eas ad DEum intelligentia continuò ex-
tendatur, ideo benè ſubjungitur per di-
lectum:

Collum tuum ſicut monilia.

Quod eſt dicere: continua exten-
ſio uniformitatis in DEum ipſam inve-
nientibus diſtributionibus ſimilatur.

Luce quippe clarius conſtat, quo-
D. niam quò ipſe plus Cherub mentis no-
ſtræ in Divinam altitudinem ſe exten-
derit contemplationis gratiâ, eò ampliùs
Divinis diſtributionibus quaſi pulcherri-
mis quodammodo monilibus adornatùr.
Hoc nobis per Divinum traditur Diony-
ſium de Divin. Nom. c. 1. quod *ſecun-
dùm proportionem uniuscujusque mentium
revelantur Divina & inſpiciuntur.* Pro-
portionem autem mentium vocat unius-
cujusque Deiformis animæ magnam vel
parvam extenſionem in DEum, juxta
quod Divinæ largiuntur influitiones. Un-
de ergo ait dilectus *collum* ſponſæ, id eſt:
exten-

extenſiones ejus in DEum ſuis monilibus A. pulchritudine eam munientibus & ornantibus diſtributionibus aſſimilari: Quia quò magis in ipſum DEum extenditur, eò abundantiùs ipſa diſtributionibus perfunditur, ac per hoc eis vehementiùs aſſimilatur. Talis enim naturæ ſunt Divinæ diſtributiones, ut ipſam, quam perfuderint, intelligentiam ad ſui trahant ſimilitudinem, ita ut Deifica ob perfuſionem Deificarum diſtributionum valeat appellari. Itaque cernentes ſupercœleſtes ſubſtantiæ, Deiformis animæ conſodales, ipſam ſe in Divina pro viribus extendere, atque in earum imaginem trans- B. formari, ut hoc ipſum faciliùs poſſit, ajunt ei:

℣. X. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Ac ſi dicat: intelligentias ſapientificas ad tui facilem ſurſum actionem excitabimus intelligibili lumine perſtillatas.

Congruè quidem per *murenulas aureas*, quæ ornamenta ſunt aurium, Divinæ intelligentiæ deſignantur, in quarum ſuaviſſimis tinnulis auditus ſpiritualis admodum delectatur: nec ſolùm au- C. ditus, imò tactus & viſus. Tactus quidem, quia *aurea*, hoc eſt, per Divinum ſaporem dulcifluæ & ſapientiſſimæ * ipſi affectui: viſus verò, qua *vermiculatæ argento*, id eſt: luciſluæ ſive intelligibili lumine perſtillatæ ipſi intellectui. Hoc autem non eſt dubium mediante bona actione Angelica actitari & fabricari ad facilem ſurſum actionem animæ boniformis. Valde enim ſurſum ſunt activæ Divinæ intelligentiæ, quæ totaliter ſunt dulcoreæ propter *aurum* ſapientiæ ad dilatationem affectus, & totaliter fulgoreæ propter *argentum* intellectus refulgentiæ D. ad illuminationem intellectus; ex qua dulcoratione & irradiatione fit, ut ſponſa noſtra in tantum elevetur, ut præ nimia Divinæ dulcedinis experientia & immenſitatis refulgentia totaliter quaſi liquefacta liqueſcat, & amore miro exardeſcat, ita ut odor ſuavitatis ejus uſque ad dilecti accubitum diffundatur. Unde merito per eandem Deiformem animam ſubjungitur:

* ſ. Sapientiſſimæ.

℣. XI. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus meus dedit odorem ſuavitatis.*

Quod eſt dicere: dum ſapientiſſimè me regens & dirigens Thearchicus radius in quiete ſuæ beatitudinis permanet, charitas mea humiditate vigens, & caliditate flagrans ſua redolentia ſuaviſſima vaporavit.

Non enim ſemper ſuperſubſtantialis Divinæ bonitatis radius adminiculo ſuæ bonæ manuductionis Deiformem animam regens & dirigens potentiſſimè ei illuceſcit, ſed *accubat* interdum, hoc eſt: ab actione ſuæ irradiationis quieſcit, nec quaſi impotens ad continuè operandum, ſed velut providus & ſapientiſſimus ad ipſam intelligentiam ardentiùs excitandam. Itaque cùm ejuſdem animæ Deiformis amoris flagrantiâ nardus humilis & redolens incipit vaporare in naribus ſponſi quietiſſimè accubantis, tunc nimirum excitatur eò vehementiùs ad ſui irradiationes emittendas, quò ſuaviùs charitate tam humili, & tam flagrantiſſima vaporat.

Si verò dicat ei rex, quid eſt hoc, quod agere præſumſiſti, reſpondere ei quidem poterit illud Theologicum: *Sicut cinamomum & balſamum aromatizans* Eccl. 24. 20 *odorem dedi ſuavitatis*, id eſt: ut te accubantem excitarem: *quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris*, ut tui irradiationes ad me perfundendam provocarem.

Aut certè per regis *accubitum* recipi poteſt quietiſſima Thearchici radii unitio ad intelligentiam Deiformem, ex qua inenarrabilis fragrantia in ipſa anima generatur, ita ut *quaſi balſamum non* Ibid. 21. *mixtum* fiat odor ejus tam ſuaviter evaporans. Quia verò ad experientiam ſupermentalis unionis ſequitur amaritudo corporalis mortificationis, nec non & amplexus inſeparabilis dilectionis, ideò benè additur per eandem:

Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Ac ſi diceret: cauſa mortificationis meæ mihi eſt ſuperamabilis radius Divinus: inter affectum & intellectum meum habitabit.

Benè quidem idcirco ſponſa noſtra ſuperdiligibilem Thearchicum radium fore dicit ſibi *faſciculum myrrha*, quod fit quando ad ſuperdulcem ipſius contemplationem totaliter eſt intenta, ut nullam

nullam exterioris hominis agat curam, eam ipſo in amore ſuo abſorbente. Ob hoc maluit dicere *faſciculum*, & non *faſcem*, quòd ſic eam dulciter & leniter abſorbet, ne *myrrham* ſuæ mortificationis percipiat ſicut à ſe alienata, & ipſius ſuavitate dulciſſima delibuta. Eſt enim extaſim faciens Divinus amor juxta B. Dionyſii ſententiam de Divin. Nom. c. 4. *Non dimittens ſui ipſorum eſſe amatores ſed amatorum.* Propter quod magnus Paulus Divini amoris incontinentiam participans ait Divino ore: *vivo ego: non ego: vivit in me Chriſtus*, ſicut verus amator extaſim paſſus.

Gal. 2. 20.

Quid verò ſibi velit, quod ſubdit: *inter ubera mea commorabitur*, facilè hoc intelligit, qui hujuſmodi amoris extatici in ſe ipſo virtutem eſt expertus. Sic enim interiorem hominem totaliter vendicat, ut ſemper eam dulcedinibus quoad affectum, & luculentiſſimis illuminationibus quoad intellectum afficiat & delectet, quod eſt *dilectum inter ubera commorari.*

Vel ut attentè hoc accipias, tunc dicendus eſt dilectus jugem commorationem inter ubera Deiformis animæ agere, quando ipſa in eum continuè afficitur per amorem, vel etiam excitatur per Scripturæ meditationem, quorum unus eſt affectus, reliquum verò intellectus. Sponſa itaque dilectum inter ubera tam ſuaviter amplexante, & in eum tam feliciter delectante ait:

℣. XIII. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

Ac ſi dicat: pleniſſima & ſuaviſſima materia flagrantiſſimæ devotionis eſt mihi ſuperamabilis Crucifixus in Scripturis Divinis.

Sciendum quippe eſt, ſuperdulciſſimum & ſuperbeatiſſimum Crucifixum omnium Divinarum Scripturarum eſſe totale ſubjectum. Unde in eis quaſi *in vineis Engaddi* continuè Deiformis anima ſe exercens, ut cognoſcat inſidias tentationis, & balſamum colligat charitatis, totaliter inebriatur, ita ut fiat ei dilectus velut *botrus cypri*, hoc eſt: plenæ & ſuavis devotionis materia ad intellectualiter operandum. Niſi enim plena & ſuavi & fragranti devotionis di-

A. ſtributione ſancta anima repleretur, dum in Scripturarum vineis elaborat, nullatenus poſſet mentalium operum laborem ſuſtinere, ſine quibus ad veram Divinorum contemplationem & unitionem nequaquam poterit pervenire.

Igitur ſi cupis, quòd dilectus fiat tibi quaſi *cypri botrus* per plenam & ſuavem & redolentem devotionis diſtributionem, *in vineis Engaddi* te exerce. Quia præterquam in eiſdem omnimodæ devotionis plenitudinem non poteris recipere. Hinc eſt, quòd divinus tradit Dionyſius in Epiſtola ad Titum: B. *Intelligibilia videbis eloquia rori & lacti & vino & melli aſſimilari. Rori quidem propter refrigerantiam, & vitæ ipſarum generativam virtutem, augmentativam quidem ſicut in lacte, etiam reviviſicativam ſicut in vino, mundativam verò ſimul & confirmativam ſicut in melle, qui omnia, ut ait Sapientia, donat ipſis ad ſe accedentibus copioſè & indeficienter alimentorum affluentiam elargiens & ſupermanans.* Cernens itaque ſponſus dilectam ſuam fore Divinarum Scripturarum & mentalium theoriarum botris inebriatam, ac C. per hoc pulchrificè decoratam, ait:

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. ℣. XIV.

Quod eſt dicere: valde admirabili viges pulchritudine puritatis in motibus amativis & in mentalibus theoriis: & obtutus tui ſunt in Divina ſimplices & devoti.

Hanc triplicem pulchritudinem vehementer diligit, & diligendo admiratur D. ſponſus in anima Deiformi, purum videlicet fervorem in amativis motibus, & caſtam attentionem in theoriis ſive operationibus mentalibus, nec non puritatem, ſimplicitatem, & devotionem in Divinorum reſpectibus, quod per columbinos oculos deſignatur. *Ecce*, inquit, *tu pulchra es amica mea*, per purum ſcilicet fervorem amativorum motuum: *ecce tu pulchra* per puritatem operum mentalium: *oculi tui columbarum* per puram & ſimplicem devotionem Divinorum obtutuum. Ad ſecun-

dum verò illuminatio, id eſt: ad mentales theorias: ad tertium verò perfectio, ſcilicet Divinorum reſpectus. Nam purgatio eſt ad illuminationem, purgatioque potiſſimè per ſuſpiria amoris fit: illuminatio autem eſt ad perfectionem adductio, quæ per mentalis fit attentiones operationis. Perfectio autem eſt Deificationis conſummatio, quæ perficitur per ſimplicitatem Divinæ viſionis. Hinc eſt, quod perfectos dicit beatus Dionyſius Angelic. Hierach. c. 1. *Glorioſos autem factos viros ex imperfecto traductos, & participes factos inſpectorum ſanctorum perfectiva ſcientia objectorum ſive ſpectaculorum Divinorum.* Ex quibus perfecta ſcientia in Deiformi intelligentia generatur.

Quòd verò omnis animæ pulchritudo non à ſe naturaliter, ſed à ſponſi pulchritudine eſt procedens, ideo benè per ipſam ſubinſertur animam boniformem.

℣. XV. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi & decorus.*

Ac ſi dicat: valde formoſus es, amor mi, per reſulgentiam luminis Deitatis: valde etiam ſpecioſus per decorem purpureæ humanitatis.

Ex his duabis dilecti pulchritudinibus univerſa eſt Deiformis animæ pulchritudo derivata. In prima autem pulchritudine, ſc. in reſulgentia ſuperſplendentis luminis Deitatis deficit anima ſupernaturaliter: in ſecunda verò proficit in decore ſuperdelectabilis purpureæ humanitatis ſicut ſibi connaturali. Nam per hanc conſequitur progreſſum de claritate in claritatem aſcendendo, quemadmodum tradit Sanctus Dionyſius in Eccle. Hierarch. c. 3. *Thearchica bonitatis infinitiſſima benignitas & per ſe operantem, ut convenit bono noſtro, non recuſavit providentiam, ſed in vera participatione noſtrorum omnium facta ſine peccato, & humili noſtro unita cum propriorum inconfuſo & immaculato perfectiſſimè habitu, ad ipſam nobis communionem ſicut ejuſdem generis de cætero donavit, & propriorum monſtravit*

A. *participes bonorum. - - Nam noſtra quidem mentis obſcurum implevit copioſiſſimo & Diviniſſimo lumine, & informe Deiformibus ornavit pulchritudinibus, & animæ exceſſum ſic ab omnibus abſolvendo, & Divino lumini ineffabiliter uniendo.* Hinc eſt, quod nobis luculenter per eundem Sanctum Dionyſium reprobatur de Divin. Nom. c. 7. *Et eſt rurſum Diviniſſima DEI cognitio, qua eſt per ignorantiam cognita ſecundùm unitionem ſupermentalem, quando mens ab omnibus aliis recedens poſtea & ſemetipſam dimittens unita eſt ſuperſplendentibus ra-*
B. *diis inde & ibi non ſcrutabili profundo ſapientia illuminata.* Itaque Deiformis anima in Deitatis lumine tam ſuperdelectabiliter quieſcente, ac per hoc ſe dilecto ſuo ſuperfeliciter uniente ait:

Lectulus noſter floridus.

Quod eſt dicere: noſtræ quietis exceſſus ex meo amore & tui unitione contextus flagrantiſſimis irradiationibus & dulcedinibus eſt reſperſus.

Siquidem per ferventiſſimum amo-
C. rem dilecti interiùs boniformiter operantem, & Thearchicum radium dulciformiter unientem *lectulus* ſupermentalis quietis fabricatur, quem intellectualis Judith diligenti exercitio debet *in ſuperiora domus ſuæ*, hoc eſt: Deiformitatis proprio collocare, ut illic *cum puellis ſuis*, puriſſimis affectionibus, non tam libenter quam feliciter valeat commorari. Floribus quippe eſt, hoc eſt: flagrantiſſimis & beneolentibus irradiationibus & dulcedinibus reſperſus, adeò, ut præ nimia ſuavitatis amœnitate
D. & voluptate alter in amplexus & oſcula reſolvatur alterius. Profectò ille *lectulus* non per delectationis ſuavitatem, ſed per brevitatem moræ *parvus*, in quo cum Petro & Pſalmigrapho licet fortiter exclamare: *bonum eſt nos hic eſſe: hæc requies mea.* Orans igitur ſponſa in lectulo habitationis & quietis gloriæ ſuæ, dirigens viſum in ſuperiora domus ſuæ ait ſecum accubanti dilectiſſimo JEſu Chriſto crucifixo:

Judith. 8. 5.

Matth. 15. 4.

Pſ. 131. 14.

Tigna

℣. XVI. ***Tigna domorum noſtrorum Cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina.***

Ac ſi dicat: fortiſſimæ irradiationes ſtationum noſtrarum intelligibilium imputribiles ſunt: & flagrantiſſimæ Divinæ inſpirationes redolent ſuperſuaviſſimè.

Meritò per *tigna domorum*, quæ trabes ſunt, hinc inde culmen ſuſtentantes, fortiſſimæ irradiationes ſtationum intelligibilium deſignantur, quorum bono adminiculo ipſæ eædem ſtationes ne corruant, conſervantur. Sed tu quæris: quæ ſunt iſtæ ſtationes? Dicendum eſt; quoniam Deiformis anima deſertum intelligibilis regionis ingreſſa, more populi Iſraelitici ad nutum Divini radii proficiſcitur, ſuas manſiones & ſtationes commutando, ac per hoc de claritate in claritatem, Divinam ſe transformando imaginem. Cujus claritatis major adeptio & imaginis transformatio ſtationum intelligibilium eſt commutatio, quæ fieri habent per manuductionem Divini radii intelligentiam dirigentis. Et de tali ſanè habitatione intelligibili poteſt illud verbum Divinum ad beatum Job dici: *Cui dedi in ſolitudine Domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis*, id eſt: habitationes & ſtationes in regione intelligibilium, quæ paucis eſt pervia. Harum autem domorum tigna benè dicuntur eſſe *Cedrina*: quia Divini radii potiſſimæ illuminationes ipſas jugiter ſuſtentantes & ornantes incorruptibiles quidem & fragrantiſſimæ ſunt virtutes, ſicut quæ ab incorruptibili quidem & beneolentiſſimo fonte Thearchici luminis emanant.

Job. 39. 6.

Sed quid ſibi vult ſponſa, dum ait: *domorum noſtrarum*, niſi quia ſicut & ædificatione, ſic etiam inhabitatione tales habitationes ſunt ſibi & dilecto communes. Similiter autem ædificant ſponſus & ſponſa, & ſimiliter habitant ſicut amore ardentiſſimo copulati & unitione inſeparabili colligantur.

Verùm illud non eſt prætermittendum, quia per *laquearia cypreſſina Divinæ* inſpirationes dicimus inſinuari. Nam ſicut ipſa laquearia quidam ſunt aſſeres tignis inhærentes, & decorem domui exhibentes: quædam Divinæ revelationes ſemper hærent Theoricis irradiationibus per tigna deſignatis, ita ut nunquam Divina revelatio & inſpiratio ſine Thearchico lumine vel ipſum lumen ſine hu-

A. juſmodi inſpirationibus eſſe poſſit. Tanta verò ex talibus revelationibus redolentia ſuaviſſima & decor eximius in ipſis intelligibilibus ſtationibus emanat, ut ſemper inenarrabilis ibi redoleat ſuavitas, & ſplendeat claritas, in quibus Deiformis anima vehementiſſimè delectatur. Miro enim & indicibili modo hæ Divinæ revelationes ſua intelligibili fragrantia ſuaviſſima attrahunt in Divina; & leniſſimis quidem & ſine ſono vocibus ipſam intelligentiam alloquuntur, quas impoſſibile eſt intelligere niſi animæ, quæ ex frequenti converſatione Divina linguam didicerit

B. Angelicam, & profundum egerit & tenuerit ſilentium in ſeipſa. Ut autem quietiſſimum ſilentium tenuerint omnia intima animæ Deiformis, tunc hi cœleſtes ſermones à regalibus ſedibus Angelorum proſilient in medium, animam ipſam totaliter vocibus ſimul & luminibus adimplentes. His profectò *laquearibus cypreſſinis* ſuaviſſimis & attrahentiſſimis revelationibus Divinis perornatus fuerat, qui dicebat: *Audiam, quid in me loquatur Dominus*, hoc eſt: diligenter, etſi leniter attendam revelationes Divinas in auribus

Pſal. 84. 9.

C. intelligentiæ dulciter & ſuaviter reſonantes, ac per hoc ipſum feliciter excitantes. Sequitur

CAPUT II.

Ego flos campi & lilium convallium. ℣. I.

VOlens dilectus ſponſam ſuam promovere ad altitudinem contemplationis mediante exercitio actionis, nec non ad præeminentiam puritatis per meritum humilitatis, ut ad hoc ipſum alacriùs & ferventiùs ſuſcitet, tam ipſius contem-

D. plationis, quàm actionis, tam puritatis quàm humilitatis, oſtendit ſe fore & materiam & ſubjectum dicens:

Ego flos campi & lilium convallium.

Ac ſi dicat: quia ego ipſe ſum dulciſſimus ſponſus ô anima Deiformis, ſum decor & odor contemplationis, pullulans de exercitio dilectionis, inſuper ſum candor puritatis de profunditate oriens humilitatis.

Pulchrè quidem ſuperamabilis radius ſe aſſerit eſſe *florem campi*: quia ipſe eſt omnis noſtræ contemplationis decor dele-

delectans dulciter, & odor fragrans ſua-A.viter, pullulans ex campo mentalium actionum. In hoc autem qui ſe neglexerit exercitare, nunquam florem decoris & odoriferæ contemplationis intra arcanum ſuum ſentiet pullulare. Qui autem fortiter in ipſo laboraverit, citò edet de generationibus ipſius. Hinc eſt, quod ſanctus DEI Patriarcha Jacob vocatus eſt *Iſraël*, quia de operatione factus eſt luculentiſſimus contemplator. Sic enim bonam Theologiam legimus tradidiſſe:

Num. 24. 17. *orietur ſtella ex Jacob*: hoc eſt: contemplationis gratia illuminativa ex actione purgativa. Ipſa enim actio ſeparat animam à ſuis contrariis: ſeparata verò à ſuis propriis tenebris purgatur, & ad priſtinam puritatem & innocentiam reducitur, ita ut inter ſe & DEum nihil habere medium videatur.

Quia verò tantæ puritatis eminentiam non eſt dubium niſi ex profunditate exurgere humilitatis, ideo benè dicit dilectus ſe eſſe *lilium convallium*, hoc eſt: candorem noſtræ totalis puritatis, quam nullatenus reperire eſt niſi in *convalle* humilis ſanctitatis. Tantò igitur eſt in agro actionis fortiùs laborandum, & in con-C.valle humilitatis profundiùs deſcendendum, quantò ſcimus dilectum noſtrum in illo ſicut contemplationis florem pullulare, & in hac velut lilium germinare. Itaque ad vocem ſponſi perfecta anima in Divorum puriſſimam contemplationem ſe ipſam fortiter elevante & in aculeatis impreſſionibus in imaginationes phantaſticas irruentibus nihilominus viriliter perſiſtente, ait ſibi dilectus:

℣. II. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.*

Quod eſt dicere: quemadmodum candor perfectæ puritatis perficitur inter aculeos humanæ paſſibilitatis: ſic Deiformis intelligentia inter viſiones phantaſticas diabolicæ pravitatis, vel imaginariæ impuritatis.

Flos ſiquidem perfectæ puritatis, flos per candoris lilium deſignatus ex vero fontis amore procedens non ſolùm *inter lilias & ſpinas* humanæ paſſibilitatis non deficit, ſed multùm proficit omnino permanens incorruptus. Hinc nobis beatus Dionyſius in epiſtola ad beatum Joannem Evangeliſtam ait: *Videmus*, inquit, *hìc aliquos jam Deificatos veritatis exiſtentes amatores. Ab affectu quidem materialium recedunt: in omnium autem malorum omni libertate & in omni actione Divinorum bonorum univerſorum pacem diligunt & ſanctificationem, ex præſenti vita futuram incipiunt, ut decet Angelos in medio hominum converſari cum impoſſibilitate omni & omni nominatione & ſanctitate & aliis bonis.* Ex his verum patet, quàm perfecta puritas aut bonitas communia aſpernetur, & conſimilibus delectativis abrenuntiet, ita ut inter illa B. cum omni impaſſibilitate permaneat incorrupta, & inter hæc Angelicè proficiat omni ſanctitate delibuta. * Benè ergo ait ſponſus: *Lilium puritatis proficit inter* ſpinas humanæ fragilitatis. * *Cod.* de libatè.

Non nunquam verò diabolo procurante, aut imaginativa vi miniſtrante fit, ut, dum Deiformis intelligentia in Divinum radium ſe extendit, in ipſo primordio extenſionis quibuſdam viſionibus phantaſticis infeſtetur, ut, ſi fieri poſſet, contemplationis & unitionis ſuperdulciſſimis fructibus privaretur. At ipſa ſicut in ſpirituali militia boniformiter edocta, non ignorans ejus aſtutias, qui ſe in angelum lucis transfigurat, evolans ſuper ipſas, per medium earum viriliter tranſeundo, & ipſas pedeſtri ſubjectione fortiter conculcando ſuperſplendentibus radiis ſe conjungit, tantò phantaſticis illis viſionibus facta ſublimior, quantò intelligibilium regio ab imaginabilium regione eſt altior. Itaque Deiformis anima in alta regione intelligibilium exiſtente, & in ſponſi ſui pulchritudinem contemplante laudes ei rependit dicens:

D. *Sicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios.* ℣. III.

Sicut ſpiritualis ſenſus inter cortices Scripturarum: ita ſuperſubſtantialis Divinus radius refulget inter Angelos.

Vide, quoniam idcirco per *malum* exiſtentem *inter ligna ſylvarum* ſpiritualis ſenſus inter cortices litterarum latitans figuratur: quia ſicut non eſt poſſibile capere de dulciſſimis & beneolentibus fructibus mali niſi inter ſive per ligna ſylvarum: ſic ad flagrantem dulcedinem ſpiritualis ſenſus non eſt poſſibile pervenire

nire niſi mediante cortice litterarum. A. Nam, ùt ait Dionyſius de Divinis Nom. c. 4. *Oportet videre ſecundùm rectam rationem, quod elementis & ſyllabis & dictionibus & lineis & orationibus utimur propter ſenſus, ideo ſtultum & irrationabile arbitror non virtuti intentionis intendere, ſed dictionibus, quod Divina non volentium intelligere eſt proprium.* Quòd ſi ſonos lenes ſuſcipiendos tranſibiles usque ad aures extra continent, nec tranſire ſinunt ad animæ ipſorum intellectuale, eisdem circa labia & auditus ipſorum extra reſultantibus ſonis, hi profectò tales plerùmque ſuavitate & redolentia & flagrantia mali, id eſt; B. experientia ſpirituali privantur nolentes modicum in penetratione duri litterarum corticis laborare.

Revera igitur aſſerendum, quòd ſicut verè pulchrior, dulcior, & ſuavior eſt malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus radius ſuperſubſtantialis Hierarchicus inter Angelos. Quomodo enim inter illos dulcior, ſuavior, imò pulchrior, & pulcherrimus, dulcisſimus & ſuavisſimus ſic dicendum participative, cujus pulchritudine ſunt pulchræ, dulcedine & ſuavitate flagrantes, ùt de eis tradit Divinus C. Dionyſius de Divinis Nom. 4. c. *Superſubſtantiale pulchrum pulchritudo dicitur propter traditam omnibus exiſtentibus juxta proprietatem cujusque pulchritudinem, & ſicut univerſorum conſonantia & claritatis cauſa ad ſimilitudinem luminis cum fulgore immittens univerſis per verſificans fontani radii ipſius traditiones.*

Eſt ergo *dilectus inter filias*, ſicut Divinus radius inter Angelos, non ſicut illuminatus inter illuminatos, ſed ſicut ſuperirradians ſuper irradiatos, ſuperdulcorans inter dulcoratos, fragrans inter odoriferatos: quod ſatis apertè verba Dionyſii de- D. clarant de Divin. Nom. c. 4. *Lumen*, inquit, *intelligibile dicitur, quod eſt ſuper omne lumen bonum ſicut radius fontanus & ſupra & citra manans luminis effuſio, omnem ſupermundanam mentem ex plenitudine ipſius ſupra illuminationes & intellectiones ipſarum totas virtutes renovans, & omnes excedens, eò quòd ſuperextendatur omnia comprehendens, & ſimpliciter omnis virtutis illuminationem, ſive omnem virtutis illuminativa donationem, ſicut principaliter lucens & ſuperlucens in ſe ipſo coaſſumens & ſuperhabens.*

Sciendum autem, quòd hujusmodi ſuperfontani radii illuminationes non ſolùm ſunt ſuperilluminativæ, ſed dulcorativæ & ſuavificativæ & omnis boni operativæ affectionis intellectualibus & rationabilibus mentibus, & hoc * diſtributione. Igitur Deiformis anima per ligna ſylvarum ad ſuavitatem mali per manus filiorum ad domum ſui dilecti ſuperdulcisſimi manuducta ait:

Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis eſt gutturi meo.

Quaſi dicat: ſub ænigmatica viſione dilecti, quem * ardenti deſiderio optaveram, requievi, & experientia ſuavitatis ejus eſt delectabilis guſtui meo intelligibili.

* *Cod.* quam.

Si quæratur, quare per *umbram* dilecti ejus ænigmatica viſio deſignetur, dicendum eſt: propter obſcuritatem, quam ibi patitur intellectus, & refrigerium vel quietem, quæ ibidem affectui exhibetur. Non enim in claritate patet intellectus, ſed ſicut obſtaculo & obſcuritate intelligibilium velaminum impeditus. Quieſcit tamen, & refrigeratur affectus juxta illud: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Pſal. 54. 7. Ubi niſi *ſub umbra illius, quem deſideraverat anima mea?* Nec enim aliter hujusmodi umbræ quies obtinetur, niſi per ardentes gemitus amativos, qui per pennas columbæ à Pſalmigrapho deſignantur. Quia verò quantò Deiformis anima ſub tali umbra quieſcit & ſedet ſuaviùs, tantò non eſt dubium eam guſtare dulciùs, ideo benè ait:

Fructus ejus dulcis gutturi meo.

Hoc eſt: experientia & fruitio ipſius ænigmaticæ viſionis dilecti valde eſt delectabilis palato meo intelligibili, per quod non ſolùm dulciter delectatur, ſed etiam vehementer provocatur ad majores ipſius dilecti diſtributiones & inſpirationes.

Hinc eſt, quod Divinus tradit Dionyſius de Divin. Nom. 4. c. *Guſtantibus lumen & magis deſiderantibus, magis ſe ipſum immittit, & abundantius ſuperfulget, quoniam dilexerunt multum: & ſemper intendit ipſas mentes ad anteriora ſecundùm ipſarum adreſpectum proportionem atque ſui, ſecundùm quod ipſæ mentes magis vel mi-*

minus proportionata ſunt ad ipſum lumen recipiendum. Sponſa itaque noſtra umbra dilecti ſuaviter quietata, & ipſius fructibus dulciter recreata, atque per hoc Divinæ unitionis experientia inebriata ait:

℣. IV. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ut ordinaret in me charitatem.*

Ac ſi diceret: ad intimam ſuam beatæ unitionis experientiam Divinus radius me admiſit, & ſecundùm legem Hierarchicam in me diſpoſuit Divinum amorem.

B. Attende, quoniam ideo per *cellam vinariam*, in quam ſponſa ſe à regali radio aſſerit introductam, intimum & privatum Divinæ unitionis ſignificatur: quia ibi inveniuntur intellectuales vegetes Divini amoris, ſuaviſſimi quoad potandum, & fortiſſimi quoad alienandum ſive extra ſe ſtatuendum, & in DEO collocandum. Cùm enim non poſſit homo DEI viſione frui, dum vivit humanè dicente DEO noſtro: *Non videbit me homo & vivet*, (Exod. 33. 20.) neceſſarium eſt, ut per exceſſum ſuavitatis & fortitudinis Divini amoris abſorbeatur in DEum, jam non humanè ſed

C. Divinè vivens, & ſic Deificatus videat DEum ſeſe Deificantem, id eſt: ſe ſibi aſſimilantem. Nam, ùt ait B. Dionyſius Eccl. Hier. c. 1. *Deificatio eſt ad DEum, ſicut eſt poſſibile, aſſimilatio & unitio.*

Ne autem putet Divini amoris ſuaviſſimum & fortiſſimum vinum ſic Deiformem animam inebriâſſe, & non ſobriam reddidiſſe, propterea benè dicit: *Ordinavit in me charitatem*, hoc eſt: ſecundùm legem Divinam vel Hierarchicam diſpoſuit in me amorem Divinum, ut jam non ſub humana, ſed ſub Divina lege cum Angelis incipiam militare, qui

D. immediatè Divinæ legi ſubduntur. Anima enim, dum nec adhuc exuit veterem hominem, ſub humana lege laborat tanquam ſub pædagogo. Dum autem exterior homo per eam in ſervitutem redigitur, interior paulatim libertati mancipatur Divinæ. Exuto verò veteri homine & novo induto ſecundùm poſſibilem aſſimilationem & unitionem ad Divinum radium, ipſam legem contemnit tanquam ſibi conſulens, in primis non perſeverare rudimentis, & jugum ſibi obligationis imponens. Sic itaque Divinæ libertati

A. ſive Hierarchicæ legi mancipata totam & totaliter ſe in Divinum more Angelico refundit amorem, ita ut ab ipſo totaliter agatur & ordinetur juxta illud Divini Apoſtoli verbum: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* (2. Cor. 3. 17.) Et: *qui ſpiritu DEI aguntur, hi filii DEI ſunt*, (Rom. 8. 14.) id eſt: qui per Divinum amorem reguntur, totaliter ordinantur, & diſponuntur, quia libertati, dilectioni & hæreditati Divinæ ſunt mancipati. Libertati quidem: quia à diſſimilitudinum jugo liberati: dilectioni verò, quia per Divinum amorem adoptati: hæreditati autem, quia ad æternam gloriam præparati.

B. Igitur de tantis ac talibus beneficiis in unitione perceptis Deiformi anima admirante, & propter hoc ſui ipſius exceſſum præ ſuavitate nimia patiente ait ſibi adſtantibus Angelis:

Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo. ℣. V.

Quaſi dicat: odoriferis & candidiſſimis irradiationibus me fulcite, dulciſſimis & ſuaviſſimis diſtributionibus me vallate, quia præ nimio ardoris amore deficio.

C. Manifeſtè ex his verbis perpendi poteſt ebrietas ſponſæ noſtræ. Nam conſuetudo eſt ebrioſi, ut quò plus bibit & inebriatus fuerit, eò amplius bibere appetit & inebriari ſicut omnis rationis acumine deſtitutus. Proinde eſt, quod dicit dilecta anima boniformis in tantis unitionis delitiis conſtituta, tanquam neſcia rationis, ad hoc ſe poſtulat à dilecti contubernalibus *floribus ſuffulciri, malis conſtipari*, hoc eſt: fragrantiſſimis & mundiſſimis illuminationibus farciri, dulciſſimis & ſuaviſſimis diſtributionibus vallari, ut hinc ſuperabundet caſtiſſimi Divini

D. luminis refulgentia, inde ſupernatet mentalis dulcedinis abundantia, ſicque meritò illud Davidicum valeat exclamare: *Dixi in exceſſu mentis meæ: omnis homo mendax.* (Pſal. 115. 2.) Qui quidem exceſſus ſatis per verbum ſubſequens declaratur, quo ſe aſſerit amore languere, hoc eſt: præ nimio ſui amoris in amore deficere, quaſi dicens: in tantum amorem ſitio, ut ipſe amor ſit in me actio patiens, dum in amore langueo, & paſſio agens, dum amorem amo. Quid niſi amando langueat, & languendo amet Deiformis anima propter ſponſum, cùm ipſe eam ad hoc

ipſum

ipſum ſtimulet & inflammet, propterea, quòd, ùt ſanctus ait Dionyſius de Divin. Nom. 4. c. *Qui fortes ſunt in Divinis, ipſum zelotem appellant ſicut excitativum ad zelum deſiderii ipſius amativi, & ſicut zelotem ipſum demonſtrantes, per quem ſunt deſiderata zelabilia, & ſicut proviſis ipſis exiſtentibus zelabilibus: & totaliter pulcbrum eſt & bonum, & amabile, & amor, & amatur in pluribus, & bono præcolloca-tur, & perpulcbrum & bonum eſt, & gignitur.* Quia verò poſſet quis admirari, unde ſponſæ proveniat tanta vis amoris, ut ſe propter eum languere dicat, ideo B. benè per eam ſubjungitur:

℣. IV. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Quod eſt dicere: Operatio intelligibilium ſub Deiformitate mea & fortis unitio Divinorum meam intelligentiam ſibi totaliter colligavit.

Non immeritò quidem dilectus *lævam* ſuam *ſub capite* ponit, hoc eſt: operationem intelligibilium ejus Deiformitati ſubjicit, ut ſic fortiter ſuſtentetur, ne ad paſſiones materialium prolabatur, quod valde perfectæ animæ præcavendum eſt, ne contingat illi, ſicut per ſanctum Dionyſium nobis traditur Eccl. Hier. c. 4. *Si enim ab unius contemplatione & unitione illuminati ad uniformem & Divinam congregationem uniamur, non quidem ad diviſibiles ſuſtineamus decidere concupiſcentias, ex quibus materiales & paſſibiles inimicitia creantur adverſus id, quod ſecundùm naturam eſt conforme.* Tamen quia admodum grave eſſet Deiformi animæ ſemper per operationem intelligibilium fatigari, niſi etiam interdum pacatiſſima unionis quiete potiretur, eſt etiam, quòd per *dexteram* dilecti ſe in- D. nuit amplexatam, hoc eſt: per fortem unitionem Divinorum ſuam intelligibilitatem dulciformiter collocatam, ſive præ nimia amoris & dulcedinis ſuavitate totaliter abſortam.

Hoc enim prudenter eſt advertendum, quòd operatio ſive exercitatio intelligibilium ab actu rationis & diſcretionis omnino alienavit animam Deiformem, ſeu Theoriis aſſuetam ſpiritualibus Divinorum. Nec enim aliter juxta beati Dionyſii ſermonem de Divin. Nom. c. 7. illa poſſumus intelligere, ſive ad eorum

A. beatam experientiam pervenire *in nobis exiſtentibus, ſed penitus nobis ex nobis factis, totaliter Deificatis.* Quapropter notandum, quòd in Divinis nulla eſt actio ſive operatio, ſed omnimoda paſſio: in intelligibilibus actio ſimul & paſſio: in materialibus verò plus actio quàm paſſio invenitur. Ubi autem omnimoda paſſio, ibi totalis ebrietas invenitur & alienatio. Ubi autem actio ſimul & paſſio, ibi aliqua inebriatio. Ubi demum plus actio quàm paſſio, ibi animæ fervens quædam devotio in Divina. Qui ergo in converſatione materialium ſe exercet, cum dilecto accumbit: qui verò in intelligibilibus, *lævam ejus* habet *ſub capite*: qui autem Divinis unitus, ipſius *dexterà amplexatur*, & ultra quàm explicari poſſit, ſuaviſſimis diſtributionibus deliciatur, ita ut ſe ipſum neſciat. Proinde eſt, quod B. Dionyſius de Myſtica Theologia c. 1. de DEO unitiſſimo ait: *Tunc,* inquit, *ab omnibus abſolvitur viſis & videntibus, & ad caliginem ignorantiæ intrat, quæ vera eſt myſtica caligo, in qua excludit omnes cogitativas ſuſceptiones, & in non palpabili omnino & inviſibili fit, omnis exi-* C. *ſtens ejus, qui eſt ſuper omnia, & nullius eſt neque ſui ipſius neque alterius, omnino autem ignoto vacatione omnis cognitionis ſecundùm melius unitus, & in eo, quòd nihil cognoſcit, ſuper mentem eſt cognoſcens.* Ex verbis B. Dionyſiii, quanquam occultè, oſtenditur, quòd Divina unitio etſi privat animam Deiformem viſu & ſenſu mentali, quòd non eſt perceptibilis: non tamen ſupermentali, quoniam ſemper fit perceptibilis. Videns itaque dilectus ſponſam præ nimia amoris dulcedine taliter inebriatam, & ſomno unitionis ſopitam, ait conſodalibus ejus:

Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas cervosque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit. ℣. VII.

Ac ſi dicat: obnixè vos rogo ô animæ, pacificæ viſioni anhelantes per altas ſententias intellectusque Divinorum, ne à Divinis abſtrahatis, neque in exterioribus occupetis animam Deiformem, donec ſibi videbitur expedire.

Animadvertite, quoniam dilectus filias Jeruſalem, id eſt: rudes adhuc animas

mas in Divinis tamen ad ipſorum, hoc eſt: A. Divinorum cognitionem ſeipſas mancipantes per duo adjurat, ne ſponſam ſuam, videlicet animam Deiformem per Divinæ unitionis experientiam ſopitam moleſtent inquietando, ſive eam ſuſcitando per abſtractionem à Divinis, ſive etiam evigilare faciendo per exteriorum exercitiorum occupationem. Et primum quidem eſt altitudo ſententiarum, quæ per *capreas* alta petentes deſignantur: ſecundum verò eſt celeritas in altitudinem Divinorum, quæ per *cervorum* velocitatem figuratur. Quaſi dicat ſponſus: En vos non vultis averti à ſpirituali venatione B. altarum ſententiarum & celeritate intellectuum Divinorum, cùm in illis laboratis: ſic nec dilectam avertatis à dulciſſimis paſtibus ſuæ venationis: quem paſtum vel quam venationem ſicut cum magno labore cœpit, ſic in ejus ſuaviſſima perfectione & perfruitione quietiſſimè requieſcit. Nam ùt bona tradit Theologia Eccl. 5. *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum ſive multum comedat*, hoc eſt: dulcis eſt ſapor contemplationis intellectualiter ſe exercitantis, ſive magna ſive parva ſit ejus apprehenſio in Divinis. Hinc etiam alibi dicitur Prov. C. 3. *Si dormieris, non timebis: quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus.* Quod eſt dicere: ſi ſopore contemplationis uſus fueris, poteris mentis ſecuritate quietè & ſuave quieſcere.

Non igitur excitanda eſt ſponſa tantis delitiis occupata, *donec ipſa velit*, id eſt: quouſque ſibi placuerit aut videbitur expedire. Habet namque perfecta anima intelligentiam Deiformem, ſecundùm quam ad ſimilitudinem cœleſtium ſpirituum omnium agendorum modum & ordinem conſpicit & tempus. Ejus- D. dem enim legis eſt cum ipſis Angelis, quia & ipſi per Deiformem intelligentiam ſcientiam ſenſibilium habent juxta B. Dionyſium ſic dicentem c. 1. de Div. Nom. *Etenim & Angelos dicunt ſcire eloquia ea, quæ ſunt in terra, non ſolùm ſenſu ipſa cognoſcentes ſenſibilia quidem exiſtentia, ſed ſecundùm propriam Deiformis mentis virtutem & animam.*

Si verò quæritur, ubi hoc videbat ſponſa, dicendum, quia in lumine increa-
Gen. 1. 4. to, in quo videtur omne lumen, & in illa luce, in qua *vidit DEus lucem, quòd eſſet bona*: in quo etiam & per quem videtur omnis alia lux, non ſolùm lux à tenebris, ſed etiam lux à luce. Sponſa igitur in amplexibus dilecti tam ſuaviter quieſcente, & pro quiete ipſius ipſas adoleſcentulas tam ſolicitè deprecante excitata ad ejus vocem ait: ℣. VIII.

Vox dilecti mei.

Quaſi dicat: Divini radii inſpiratio eſt iſta pro mea quiete adoleſcentulas deprecantis.

Dubium quippe non eſt, animam Divinæ lucis radio unitam non ſolùm videre in illa, quid DEus agat in ſeipſam, ſed etiam quid in aliis propter ſe ipſam. Claritas enim Divini radii intelligentiam perluſtrantis virtute ſua omnia ſcrutatur etiam profunda DEI: ideoque *ſpiritualis* 1. Cor. 2.
judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur, 15. & 10.
quomodo ſanctus ait Paulus: *Nobis autem revelavit DEus per ſpiritum ſuum.* Quid revelavit? Non ſolùm occulta actuum humanorum, ſed etiam Divinorum. Unde benè adjungitur:

Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.

Quod eſt dicere: valde mirabiliter ſuperſubſtantialis radius ſe diffundit, ſuæ beatæ lucis veſtigium fortiter imprimens primis, & illuminatioribus Angelis: minùs verò copioſè perfundens inferiores ſubſtantias.

Siquidem nihil aliud eſt, dicere Deiformem animam in contemplationis altitudine conſtitutam de dilecto: *ecce iſte venit*, niſi Hierarchici radii diffuſionem mirabilem & ſui ipſius diſtributionem vehementiſſimè admirari. Non enim de loco ad locum ſe movendo, ſed ſemper in eodem modo, in identitate ſua, ſemper admirabiliter permanendo ſuæ beatiſſimæ lucis radios in ſubſtantias Angelicas diffundit, quemadmodum cœleſtis tradit Dionyſius de Thearchica bonitate Eccli. Hier. c. 3. *Omnibus*, inquit, *Deiformibus mentibus proportionaliter elucet citra ſe ipſam verè exiſtens, & à propria non mota totaliter identitate.* Sic ergo mirabiliter Divinus radius veniens nullatenus localiter ſe movendo *ſalit in montibus*, id eſt: ſuæ ſuperlucentis (lucis) veſtigium fortiter imprimit primis ſive altioribus ſubſtantiis. Nam copioſiùs Divinæ bonitatis radios ſuſcipiunt primæ ſubſtantiæ quàm ſecundæ, ſicut DEO propinquiores,

quiores. Quæ quidem propinquitas ſolùm ſecundum majorem DEum ſuſcipiendi aptitudinem judicatur juxta B. Dionyſium ſic dicentem in Epiſtola ad Demophilum: *Etenim unusquisque ornatus eorum, qui circa DEum ſunt, Divinior eſt magis abſiſtente, & luculentiora & magis illuminantia ſunt lumini magis propinqua: & non localiter accipias propinquationem, ſed ſecundùm recipiendi DEum aptitudinem.*

Cùm igitur Angeli primi ordinis ad DEum ſuſcipiendum ſint cæteris aptiores, ac per hoc altiores, meritò in eis ſuperſubſtantialis radius tanquam *in montibus* dicitur *ſalire*, & inferiores quaſi *colles tranſilire*, quod majorem eis ſui ſuperſplendentis luminis diſtributionem confert quàm iſtis. Minus enim ſunt apti ad ſuſceptionem ſuperadditæ claritatis, quia minùs participant de indita ſive naturaliter ſibi data. Hinc eſt, quod nobis metaphoricè loquitur B. Dionyſius in Ang. Hierar, c. 13. *Solaris*, inquit, *radii diſtributio ad primam materiam benè diſtribuentem vadit omnibus clariorem, & per ipſam manifeſtiùs facit reſpondere proprios ſplendores. Accedens autem ad groſſiores materias obſcuriorem habet diſtributivam manifeſtationem ex illuminatarum materiarum ad luminis donationem delativum habitum inopportunitate.* Ita etiam nunc ſecundùm hanc bonam rationem dicendum, quòd fontalis Divinæ claritatis radius abundantiùs & copioſiùs ſe ipſum diſtribuit ad ſubſtantias clariores ſive ad ipſum ſuſcipiendum aptiores ob fortem habitum inditæ claritatis ipſarum. Propter quod meritò in ipſis *ſalire* quaſi *in montibus*, iſtos verò ſicut *colles*, id eſt; minùs aptas dicitur *tranſilire*. Itaque quoniam Divini radii diſtributio ſolùm modificatur juxta proportionem affectus vel intellectus ſubſtantiarum cœleſtium, ideo convenienter ad hoc ſubjungitur per eandem animam Deiformem:

℣. IX. *Similis eſt dilectus meus capreæ, binnuloque cervorum.*

Ac ſi dicat: Thearchici ſplendoris amativus proceſſus ſe conformat acutæ affectioni, celerique intellectui Angelorum.

Quid enim per *capream* alta expetentem, ſummitates & ſpecus artiſſimas penetrantem, quàm Angelica affectio figuratur, quæ Divinarum eſt altitudinum illuſtrativa, & Thearchicorum occultorum penetrativa? Huic benè dicitur dilectus ſimilari: quia tantum nimirum ſuſcipit diſtributionis, quantum habet proportionis. Nam ille materialis calor juxta beati Dionyſii ſententiam Angel. Hier. c. 13. magis ſe ipſum diſtribuit ad magis ſuſceptiva, & ad ipſius aſſimilationem facile convenientia & duci facilia; ad ſubſtantias autem conformatas aut nullum aut obſcurum quoddam ſignificativæ operationis veſtigium manifeſtatur. Quanto magis igitur Angelica affectio eſt ad ſurſum agendum liberior & agilior, & ad ardua penetrandum acutior, tantò profectò fit ei ſuperamabilis radius Divinus ſimilior.

Rurſus quid congruentiùs per *binnulum cervorum*, qui facilis ad currendum eſt, ſignificatur, quàm puriſſimus intellectus Angelorum, qui agillimus eſt ad omnia Divina ſpectacula contemplandum? Cui benè dicitur dilectus ſimilari. Quia juxta Divinam trutinam ſive menſuram ad legem Hierarchicam tantum ſibi infunditur luminis, quantum habet ad ſuſcipiendum aptitudinis. Ita namque ſe habet ſuperſubſtantialis ſol, ſuperſplendens radius ad ſua illuminata, ſicut materialis ſol ad ſua ſubjecta. Hinc nobis traditur per beatum Dionyſium de Divin. Nom. c. 4. *Divinæ bonitatis manifeſta imago magnus iſte & totus ſplendens & ſuperlucens ſol ſecundùm multa reſonantia boni, quicunque illi participant, illuminat & ſuperexiſtentium habet lumen ad omnem viſibilem Mundum ſurſum & deorſum propriorum radiorum ſplendores, & ſi aliquid ipſis non participat, hoc non eſt infirmitatis aut pravitatis illuminativæ diſtributionis ipſius, ſed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem.* Ita quidem de intellectualibus Angelicis eſt dicendum, quod tantum à ſuperlucenti & toto ſplendenti Thearchico lumine radiantur, quantum ipſi proportionaliter elevantur & extenduntur ad ipſius influentias ſuperdulciſſimas capiendum.

Quia verò non ſolùm ſupercœleſtes ſubſtantiæ participes ſunt & capaces Divinæ claritatis, ſed etiam animæ rationales,

nales, ideo per ipſas ad nos veniens Divinus radius ait ſponſæ:

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Quod eſt dicere : ſuperamabilis Thearchici ſplendoris radius uniformiter perſeverat poſt impuritatem noſtræ materialitatis interdum præbens ſe reſpiciendum per magnas luminoſitates, interdum proſpectum ſuum largiens per crebros lucis ſuæ radiolos.

Meritò quidem per *parietem* noſtrum humanæ materialitatis impuritas deſignatur, per quam prohibetur ſuperlucentis ſolis claritas immediatè in Deiformem animam radiare. Cujus pro tanto ſolis radius dicitur *poſt parietem* ſtare, quia in ſuo eſſe ſuperclariſſimo, quo poſt intelligentiam perſeverat, paratus eam totaliter & immediatè perluſtrare, niſi eadem noſtræ materialitatis ei velut paries velit obſiſtere. Unde dicendum, quod quamdiu Deiformis anima dependentiam habeat à proprio corpore, non poterit DEum immediatè contemplari, quod ſatis per verba B. Dionyſii Angel. Hierar. c. 4. declaratur : *Si quis*, inquit, *dicat per ſe ſine medio quaſdam fieri Sanctorum apparitiones, diſcat hoc ſapienter ex ſanctiſſimis eloquiis, quòd nullus viderit, nec videbit homo vivens vultum DEI. Apparitiones autem ſanctis facta ſunt ſecundùm convenientes DEO quadam proportionales viſiones & manifeſtationes.* Unde benè ſponſa noſtra ait dilectum *proſpicere per feneſtras*, & *proſpicere per cancellos* : quia nunc per magnas luminoſitates & luculentias reſpiciendum ſe præbet, ſicut intelligentiis admodum depuratis: nunc autem per erebros radiolos luceſcentes & cancellos proſpectum ſui elargitur ſicut animabus minùs puris.

Ex his notare poſſumus, quòd nihil aliud eſt reſpicere vel videre DEum niſi videre videntem vel reſpicientem ſe. Unde notanter ait : *Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*, quaſi dicat : ſive magnis ſive parvis à Divino radio illuminationibus perluſtremur, non tamen propter hoc eum nos, ſed ipſe nos videt. Quod utique non eſt eum videre. Sunt autem aliqui, qui ad tantum amoris exceſſum & ad tantam animi pu-

A. ritatem devenerunt etiam in hac vita, ut ipſum velamen intellectuale, quo ſuperſplendens Divina claritas occultatur, ante oculos ipſorum intellectuales tenuiſſimum reddatur: interdum etiam removetur juxta illud Deificati Apoſtoli verbum : *Nos autem revelata facie gloriam* 2. Cor. 3.
Domini contemplantes in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. 18. Quod eſt dicere : remota omni impuritate faciem inrelligenriæ velante, glorioſi Thearchici radii elaritatem ſpeculamur per unitionem ad ipſam in eandem,
B. noſtram intelligentiam tranſmutantes, tanquam ad ipſum radium manuducti.

Eſt autem duplex facies, ſcilicet intelligentiæ & DEI, quarum una, ſeilicet intelligentiæ cotridie in viris ſanctis revelatur ad DEum intellectualiter contemplandum. Altera verò ſolùm revelanda eſt in futuro. Prima verò velatur per noſtræ materialitatis impuritatem propter dependentiam animæ ad corpus. Hanc tamen illi habent aliqualiter revelatam, qui per exceſſum Divini amoris Deificati ſuam ſie dependentiam in DEum tranſtu-
C. lerunt, ut plus quaſi à DEO dependeanr quàm a eorpore. Sed quis talis eſt? Et laudabimus eum. Secunda autem facies, ſcilicet DEI revelatur per ſuffuſionem nimiæ claritatis. Tanta enim eſt diffuſio radiantium ſplendorum intellectualium, ut ipſa ſuperclaritas tenebræ videatur, per quam ne videri poſſit, ſuperlucens DEI facies occultatur. Hinc eſt, quod ſanctus ait Dionyſius in Epiſtola ad Dorotheum miniſtrum : *Divina caligo eſt inacceſſibile lumen, in qua habitat DEus inviſibilis exiſtens propter excedentem claritatem, & inacceſſibilis idem*
D. *propter exceſſum ſuperſubſtantialis luminis effuſionis.* Ita dilecto *poſt parietem* intellectualis ænigmatis latitaute, & ſponſam ſuam nunc magnis irradiationibus, nunc parvis illuminationibus ad reſpiciendum ſuſpendente ait :

En dilectus meus loquitur mihi. ỳ. X.

Acſi diceret: ſuperdiligibilis radius ſuus ſplendoribus quaſi ſine verbo & ſine ſono vocis me alloquitur.

Verè res eſt multipliciter admiranda, quoniam divinus radius non ſolùm eſt lumen, ſed verbum & vox: lumen illuminans, non illuminatum : verbum

pro-

proferens, non prolatum: viva voce vox intonans, lumen illuminans non illuminatum ad DEI viſionem, verbum benè inſtruens Divinorum intelligibilium & immaterialium rationem: vox vivaciter excitans ad ſurſum actionem, quemadmodum per Divinum Dionyſium traditur Eccle. Hier. c. 4. *Subſtantia*, inquit, *beneolens ab igneis & mundiſſimis ſubſtantiis ad manifeſtationem ſurſum movere diligit, & diviniſſimas ipſius inſpirationes in ditiſſimis diſtributionibus donat ſeipſos ſupermundanè evacuantibus.* Quid autem ſit iſta ſupermundana evacuatio à Divina inſpiratione per diſtributiones Angelicas in Deiformem animam procedens, additur ſebſequenter:

Surge, propera amica mea, formoſa mea, columba mea, & veni.

Quod eſt dicere: fortiter te ſuper te ipſam eleva, & viriliter accelera anima Deiformis, quæ mihi es per dilectionem ardentiſſimam *amica*, per intentionem ſimpliciſſimam conjuncta, per omnium virtutum perfectionem aſſociata, & ad Divinam ſupermentalem unitionem feſtina.

Attende, quoniam non ſine cauſa duplex ſponſæ vocatio, ſcilicet de materialibus ad intellectualia, de intellectualibus ad Divina in his duobus verbis diſtinguitur: *ſurge propera &c.* Triplex interponitur nominatio per *amica, formoſa, columba* nomen deſignata. Nam quia difficillimum eſt animæ materialium actioni intentæ ad intellectualia *ſurgere*, quod eſt ſe ſupra ſe elevare, ideo ipſa à dilecto *amica* nomine nuncupatur, quaſi diceret ſponſus: ſi viriliter à materialium actione conſurrexeris, meis ſuaviſſimis amplexibus quaſi *amica* chariſſima potieris. Propter quod ſanctus Dionyſius Timotheum ad hoc ipſum excitans ait Myſtic. c. 1. *Tu autem amice Timotheo circa myſticas viſiones forti contentione ſenſus derelinque & intellectuales operationes, omnia ſenſibilia & intelligibilia.* Hoc autem, quòd ait *ſenſus derelinquendos forti contentione*, notat difficultatem abſtractionis ſenſuum à ſenſatis.

Quòd verò dicit omnimodam derelictionem intelligibilium, hoc eſt *properare* ſive viriliter accelerare per ferventes gemitus amativos ac ſimplices inten-

A. tionum intuitus. Ideo ad ipſum feſtinanter poſt relictionem à materialibus monita eſt *properare*. *Columba* nomine appellatur, ac ſi dicatur: ideo per intellectualia moneo te properare, quia te continuè video per amativos gemitus fervere, & ſimplicitate intentionis pollere. Quoniam autem ad ſupermentalem Divini radii unitionem nullatenus eſt venire niſi per mundam ſanctarum virtutum perfectionem, idcirco (ut) ad ipſam ſua perveniret * ſponſa, *formoſa* nomine eſt nuncupata, quaſi ſic dicatur: quia te conſpicio omnium ſanctarum virtutum
B. habitu habere decorem & formam, ideo te ad Divinam & ſuperbeatam & ſuperdulcem unitionem jubeo venire, quæ non niſi formoſis intelligentiis condonatur.

* Cod. pervenire.

Ad hanc triplicem vocationem profectò valde deberet ſe uniusquisque viri ſancti anima diſponere & humiliare, ut ſic cum Divino Paulo poſſit illud verbum ſuaviſſimum exclamare: *vivo ego* ſuper ſenſibilia ſenſibiliter: *jam non ego* ſenſibilis ſenſibiliter, ſed intelligibilis intelligibiliter: *vivit verò in me Chriſtus*, quia Deificatus & unitus Deificatam vitam ago. (Galat. 2. 20.)
C. Hujus triplicis bonæ vocationis ſi volumus eſſe participes, ad continentiam amoris Divini & fervorem eſt laborandum, per cujus fortitudinem ſuper nos elevamur, quod eſt *amicam ſurgere*, per cujus illuminationem circa intellectualia operamur, quod eſt *columbam properare*, per cujus ſuaviſſimam flagrantiam Divinis unimur, quod eſt *formoſam venire*. *Surge* autem dicitur, quia non eſt materialibus inhærendum. *Propera*, quia per materialia proficiendum: *veni* ad intus quieſcendum.

Hoc autem ſatis pulchrè figuratum
D. eſt in illa Domini transfiguratione, ubi ait Petrus præ ſuavitate Divini luminis occupatus: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*, & (Matth. 15. 4.) per hoc autem ſcienter neſcius ſignificavit, quòd & materialia, quæ per ipſum *Moyſen*, & intellectualia per *Heliam*, & Divina per *Jeſum* intelliguntur, in altitudine ſola Divinæ unitionis & viſionis quieſcunt. Hinc ſanctus ait Dionyſius de Div. Nom. 11. c. *Unam igitur & quandam ſimplicem pacificæ conjunctionis contemplemur naturam unientem ſibi ipſi univerſa, & illis ipſis & ſibi invicem, & ſalvantem omnia non confuſà omnium conti-*

nentiâ & immixta & concreta. Propter quod Divinæ mentes unitæ intelligibilibus ſuis uniuntur & aliis unitis, * *& rurſus ad ignotam aſcendunt ſupra mentem collocatorum conjunctionem.* Ad ipſam enim omnia convertuntur quaſi ad DEum, & ad ipſum ſingula ùt finem. Quare autem ſponſa tam ſolicitè advocetur, ratio eſt ipſa oppo tunitas, quæ per ſubſequentia ſubinfertur:

* *Ita Cod. Videtur vetus interpres in Græco pro νοουμένοις intellectis legiſſe ἑνουμένοις unitis.*

℣. XI. *Jam enim hiems tranſiit, imber abiit & receſſit.*

Ac ſi dicat: jam mentalis frigiditas pertranſivit, & ſuperabundans ſuavitas diſtributionis abſceſſit, ut non hinc per defectum, & illinc per exceſſum valeas * impediri.

* *Cod.* valeas impedire.

Nota, quòd duo ſunt impedimenta occurrentia animæ Deiformi, ut jam inceptam mentalem actionem non valeat perficere, vel etiam non inceptam incipere. Hæc autem ſunt frigiditas amoris, quæ per *hiemem*, & ſuperabundantia diſtributionis, quæ per *imbrem* deſignatur: quorum unum nondum inceptam, reliquum verò jam inceptam impedit actionem.

Et primum quidem ſic eſt impedimentum, quod verè eſt impediens: ſecundum autem ſic eſt impedimentum, quòd tamen expediens. Nam frigiditas vel tepiditas amoris per *hiemem* deſignata impedit intelligentiam, ne mentale aliquod opus poſſit incipere, ſive theoriam intelligibilem ordinare. Cùm enim juxta beati Dionyſii ſententiam Eccle. Hier. 5. c. *Primus motus ad Divina dilectio DEI ſit*, ubi hæc tepere cœperit, jam intellectualis theoriæ principio eſt privata anima boniformis. Ut verò per orationis inſtantiam aut alicujus boni operis manualis diligentiam ipſa mentis frigiditas fuerit excluſa, & Divini amoris lucerna ſuccenſa, jam non eſt niſi ut alas ſuas ad Auſtrum expandat ſuam incipiens theoriam, ne iterum frigiditatis malitia capiatur, & ſic veluti priùs principiis privetur. (Hinc) tradit B. Dionyſius Eccle. Hier. 5. c. quòd non ſolùm recedere debet à malitia univerſa, ſed & viriliter inflexibilis eſſe ad ipſam, ne ſe Divino perdito ſubmittat amore. Neque autem finem eſt ſancti amoris aliquando fieri, ſed attendere, & æternaliter ad ipſum extendi & ad perfectionem Thearchicè ſurſum ſemper ſanctè negotiari. Non enim ſufficit transîſſe hiemem mentalis frigiditatis, niſi nos ipſos fortiter extendamus & indeclinabiliter in fervorem amativæ charitatis, quæ ſemper eſt ſurſum activa, & ad Divinorum perfectionem ſanctè ſemper negotiativa. Hinc eſt, quòd bona ait Theologia Judic. 13. Angelum Domini *in flamma ignis* in cœlum aſcendiſſe: per quod datur intelligi, quoniam per ardentis amoris calidum igniculum Seraph mentis noſtræ ac Deiformitas ad Divinorum ſpectaculorum altitudinem ſurſum fertur.

Quibus tamen non nunquam anima unita ſic Divina diſtributione diffunditur, ut præ nimia ſuavitatis dulcedine progreſſu theoriæ impediatur, ne anima valeat terminare. Ideo etiam hoc ipſum tale expediens impedimentum à dilecta amovetur, dum ei dicitur: *imber abiit*: quod eſt dicere: ô anima ſuperexcedens, Divinæ diſtributionis abundantia *tranſit*, ut jam non impediaris theotiam terminare, quam inceperas. Imò tantò fortiùs poteris implere, quantò copioſiùs *imbre* intelligibili es perfuſa.

Ad hoc ſciendum eſt, quoniam Divinus *imber* duo ſtillat, ſcilicet dulcedinem, qua infunditur vis motiva, & lumen, quo perfunditur cognitiva, ita ut libeat interdum illud exclamare: *Super imbrem ejus expaveſcit cor meum.* Tunc Eccli. 43. 20.
enim dicitur *imber abire*, cùm per nimiam Divinam providentiam nimietas dulcedinis ſubtrahitur: tunc verò *recedere*, cùm exceſſus luminis temperatur, ut ſic demum eo ferventiùs ſurſum feratur anima Deiformis, quò ſe videt impotentem ad tantam Divini imbris diſtributionem ſuſtinendam. Propter quod legimus Job 38. cuidam ſanctorum fore dictum: *Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum?* Quaſi diceretur: ille ſolus Divinæ ſuperabundantis Divinæ diſtributionis curſum accelerat, qui proportionem novit animarum. Inde eſt etiam illud: *Veniet* Oſe 6. 4.
nobis quaſi imber temporaneus & ſerotinus terræ. Hoc eſt: ut opportuniſſimè ſe ipſum infundat, cùm ad ſui ſuſceptionem viderit animam magis aptam. Itaque quoniam Deiformis anima ſæpe ſuper ſe Divinum imbrem venientem ſuſcipiens generat

nerat

nerat herbam tempore opportuno, ut-A. pote Thearchico radio, quo incolitur, benedicta, ergo benè ſubinfertur:

℣. XII. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit.*

Quod eſt dicere: candidiſſimæ & fragrantiſſimæ irradiationes reſplenduerunt in intelligentia Deiformi, propter quod opportunitas præcidendi intellectuales operationes apparuit, ne Divina unitio retardetur.

Sanè illi ſunt *flores*, de quibus tradit ſancta Theologia Iſaiæ 58. *Implebit*, B. inquit, *ſplendoribus animam tuam, & eris ſicut hortus irriguus.* Cum quanta verò ſolicitudine hic hortus à ſuperſapientiſſimo Thearchico radio excolitur, ut ad talium florum productionem, hoc eſt: candidiſſimarum & fragrantiſſimarum illuminationum irradiationem perducatur, ſatis luculenter patet per beatum Dionyſium de Div. Nom. 4. c. *Lumen intelligibile bonum dicitur propter hoc quidem, quòd omnem cœleſtem mentem implet intelligibili lumine, omnem autem errorem & ignorantiam expellit ab omnibus, quibus* C. *gignitur animabus, & omnibus illis lumen ſanctum tradit, & intellectuales ipſorum oculos mundat à circumpoſita ipſis face ex ignorantia, & monet & aperit multa tenebrarum gravitate concluſos, & tradit primò menſuratam claritatem, & poſtea illis ſicut guſtantibus lumen & magis deſiderantibus magis ſe ipſum immittit, & ſuperfulget abundantiùs, quoniam dilexerunt multum.* Ut ergo iſtius beati luminis ſuperfulgentia miniſterio * intellectuali hortulum Thearchici radii, quaſi quidam candidiſſimi & beneolentiſſimi flores in animam Deiformem inceperint radiare, D. tunc non eſt dubium *tempus putationis advenire*, ne ſuperſubſtantialis unitio tardetur vel impediatur. Hinc beatus Dionyſius ait de Divin. Nom. c. 1. & poſt omnem ſecundùm Deiformem & intellectivam unitionem ſedantes & præſcindentes noſtras intellectuales operationes ad ſuperſubſtantialem radium, ſecundùm quod eſt fas, nos immittimus. Sicut enim tela præſcinditur ante finem: ſic & intellectualis actio, antequam finem ſine fine debitum conſequatur, terminatur. Finis verò, ad quem intendit, eſt unitio,

* *Cod.* myſterio.

in qua finitur & terminatur omnis cognitio. Unde cum idem beatus Dionyſius dixit: *Ad ſuperſubſtantialem radium, ſecundùm quod eſt fas, immittimus*, addidit: *in quo omnis finis omnium cognitionum ſuperineffabiliter praeextiterunt.* Quia verò plerumque contingit, ut non ſolùm per nimis diſtantem unitionem, verùm etiam per Divinam inſpirationem præſentiat intelligentia mentales affectiones non tamen eſſe præcidendas, ideo benè additur:

Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

Quod eſt dicere: inſpiratio Divini radii & caſtiſſimi inſonuit in intelligentia Deiformi.

Aliquando enim talis actio accidit intellectualiter operanti, ut eam modicum velit dilectus privari potiùs ſuavitate unitionis quàm exercitio illius actionis. Propter quod à caſtiſſimo Divino radio per *turturem* deſignato ſine ſono & ſtrepitu inſpiratur, ne finem actioni imponat, ſed in ipſam potiùs, quantum licuerit, ſe exercitando extendat, ut tantò poſtmodum ſit altior elevatio in DEum, quantò fuerit protenſior actio in radium. Hinc Divinus ait Dionyſius de Div. Nom. 3. c. *Nos ergo ipſos orationibus extendamus ad altiorem Divinorum & bonorum radiorum reſpectum: ſicut ſi multi luminis catena ex cœleſti ſuavitate pendente, ad interiora animæ autem deſcendente, ſemper ipſam mentis manibus ab anterioribus capientes deorſum trahere videremur, revera autem illam non deponeremus & ſurſum & deorſum permanentem, ſed nos ipſi ſurſum ageremur ad altiores multorum luminum ſplendores radiorum.*

Aut certè dici poteſt, quòd per *vocem turturis* intelligitur amativum ſuſpirium animæ Deiformis, quæ per virtutem operationum intellectualium confinia regionis Divinorum ingreſſa in tantum amoris ſuſpirium prorupit, ut ipſum ad aures dilecti pervenerit, tunc fortè *ad auram poſt meridiem ambulantis.* Quo audito ad ſe comitantes Angelos dixit: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*: Gen. 3. 8. quaſi dicat: clara reſonantia amativi ſuſpirii animæ Deiformis de regione perſonuit Divinorum. O quàm ſuaviſſimæ reſonantiæ vox, quæ alta cœlorum pene-

trans univerſam terram regionis cœleſtium replet, & ipſius ſuperdulciſſimi dilecti aures ſuaviter perpulſat, ita ut oblitis cæteris delectationibus, tinnulis iſtius amantiſſimæ vocis intentus clamet & dicat: *vox turturis audita eſt in terra noſtra?* Quoniam itaque tam nobiliſſima vocis emiſſio & dilecti ad ipſam animam allocutio nihil aliud eſt, quàm beatæ Deificationis & ſuaviſſimæ unionis pullulatio, ideo congruè ſubinſertur:

℣. XIII. *Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes odorem dederunt.*

Ac ſi diceret: Deiformis intelligentiæ amor emiſit gemitus amativos, & mentales theoriæ dulcem cujusdam ſuavitatis flatum emittentes perfectam ſuam fragrantiam reſperſerunt.

Vide, quoniam idcirco per *ficum* Deiformitatis amor intelligitur: quia, ſicut inter arbores nulla eſt, quæ dulciorem ficu proferat fructum, ſic inter virtutes nulla perfectiorem amore elicit actum. Inter hos tamen actus alii aliis ſunt fortiores & perfectiores, quemadmodum inter ficus alii aliis inveniuntur maturiores. Unde pro tanto hæc intellectualis arbor videlicet *groſſos ſuos* dicitur *protuliſſe*: quia intelligentia ſponſæ ſe ad Divinam contemplationem elevante quoſdam amativos gemitus veræ & perfectè amativæ dulcedinis premens juxta verbum dilecti credenda eſt emiſiſſe. Quibus emiſſis tam citò & tam fortiter plena & perfecta Divini amoris dulcedo cœpit intellectualiter pulſare, ut inde intelligibiles theoriæ velut quidam *vineæ flores* dulciformiter fomentatæ *ſuum odorem* cœperunt *dare*, hoc eſt: perfectam fragrantiam per totam animam exhalare.

Interdum enim tanta intellectualium theoriarum ſuavitatis fragrantia ex perfecta amoris dulcedine procedens olfactivam animæ reſpergit, ut etiam floris ſuavitas fructus eſſe credatur ei, qui fructum amoris, qui eſt unitio, nondum guſtavit. Hinc eſt, quod per bonam traditur ſapientiam ſic dicentem Eccli. 5. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris &c.* quaſi dicat: tanta eſt mei intelligibilis ſuavitas odoris, qua Deiformis anima perfunditur, quòd flos fructus eſſe credatur. Propter quod ait B. Dionyſius Hier.

A. Eccle. c. 4. *Ad Diviniorem ejus reſpiciamus pulchritudinem, ipſam in ſe ipſam revelatam velaminibus reſpicientes, & beatam reſplendere facientem à ſe ipſa claritatem, & non velato intellectualibus bono nos odore adimplentem.* Ex his verbis colligere potes, quoniam ipſa Divinæ claritatis revelatio odoris intelligibilis eſt diſtributio & animæ impletio, in qua non ſolùm mens per eam percipiendo delectatur, ſed delectando adimpletur. Itaque videns dilectus ſponſam ſuam vehementi amore & intelligibili odore perfuſam, ad contemplationem beatiſſimi B. Crucifixi excitat eam, ut eò ardentiùs accendatur, & copioſiùs perfundatur. Ait enim:

Surge amica mea, ſponſa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. ℣. XIV.

Ac ſi dicat: de quiete lectionis ad exercitium meditationis te erige tu, quæ es *amica mea* per fervorem affectionis, *ſponſa mea* per perſpicacitatem rationis, *columba mea* per ſimplicitatem ſonitus, & C. accede per imaginationem in vulneribus *formoſa* crucifixi formoſiſſimi.

Attende, quoniam ideo ſponſa admonetur *ſurgere*, hoc eſt: de quiete lectionis ad exercitium meditationis ſe erigere, ut de expreſſione vindemiæ, de botris ſive de diligenter examinatis ſententiis, quas in vineis Scripturarum collegit, eò ferventiùs ſuſcitetur ad amorem, & ex amore acutiùs ſubtilietur ad cognitionem. Nam ſi vehemens fuerit fervor affectionis, parit ſubtilitatem cognitionis & ſubtilitatem contemplationis. Quod ſatis pulchrè elicitur ex verbis Iſaiæ 11. ſic D. dicentis: *egredietur virga de radice Jeſſe*: hoc eſt: ſubtilis cognitio ex incendio viſionis: *Jeſſe* enim *incendium* ſonat. Et rurſus ex hac *flos aſcendet* virtutis contemplativæ. Cùm enim juxta B. Dionyſium de Div. Nom. 4. c. *materia ignis ſecundùm ea, in quibus gignitur, ad propriam agat operationem, neceſſe eſt, ut mens intellectualis ignis, qui amor eſt, cùm gignitur, ad cognitionem acuatur, & ad contemplationis altitudinem extollatur.*

Ubi potiſſimum neceſſarius eſt oculus columbinus, hoc eſt: fidei & intentionis ſimplicitas, ſine qua impoſſibile eſt animam

Digitized by Google

animam venire ad experientiam Divino-A. rum. Ad ipſa enim accedentem oportet credere ſimpliciterque intendere, ne contingat pati repulſam ob fidei infirmitatem & intentionis duplicitatem, quæ a Divinis penitus abdicantur. Inde eſt, quod B. admonet Dionyſius Eccle. Hier. 2. c. ubi ait: *Nullus imperfectus ad viſionem eat. Tunc enim in ſplendoribus, quos potitur ſol, pupillis infirmis intuitum figere, non eſt ſine periculo, neque ad ea, quæ ſunt ſuper nos, conari non eſt ſine læſione.* Quæ dilecta anima ſicut *amica* Chriſtum ardenter amando, ſicut *ſpecioſa* ſubtiliter B. intelligendo, ſicut *columba* fideliter credendo quò ire debeat, ſubjungitur, cùm ait:

In foraminibus petræ, in cavernis maceriæ.

Hoc eſt: in intima conſideratione vulnerum beatiſſimi & formoſiſſimi crucifixi Chriſti, per *petram* & *maceriam* deſignatorum.

Nam inter omnes actiones mentis hæc efficaciſſima eſt ad intelligentiam elevandam. Nam anima mirabiliter ele- C vatur & inflammatur, inflammata purificatur, purificata ſurſum agitur ad beatorum radiorum ditiſſimam ſuſceptionem, ſi ratio ſecundùm ſe totam & totaliter amplexata fuerit Crucifixum, qui totus verè & totaliter nos amavit. Hinc ſanctus Ignatius per revelationem ſancti Dionyſii de Div. Nom. c. 10. fertur exclamâſſe: *Amor meus crucifixus eſt.* Re enim vera, quanto in ejus amore ſuperdulciſſimo fuerimus ardentiores, per jugem ipſius beatiſſimam, piam, devotam & venerandam imaginationem, tantò nimirum in apprehenſione Divinorum eri- D. mus altiores. *Non enim*, ſicut bona tradit Theologia, *licebat ſine ſanguine ingredi Sancta Sanctorum.* Quid enim per aſperſionem ſanguinis niſi beatiſſimi Crucifixi virtuoſiſſimam imaginationem intelligimus? Quid verò per ingreſſum in Sancta Sanctorum niſi Divinorum intimam & ſecretiſſimam contemplationem accipere convenit? Ipſe etiam beatiſſimus Crucifixus non niſi per ſanguinem intravit in Sancta Sanctorum, ut ait S. Paulus, cujus totaliter gloriatio erat beata crucifixio JEſu Chriſti.

Levit. 16. Hebr 9.

Noſtra itaque jugis, imò perennis ſit habitatio in foraminibus petræ, hoc eſt: in pia conſideratione vulnerum pedum & manuum Crucifixi malleo, clavisque confoſſorum ferreis, nec non *in caverna maceriæ*, hoc eſt: in feneſtra lateris haſta militari profundè crudeliterque concavata, quoniam in ipſis eſt invenire ardentiſſimi amoris igniculum & forte ad Divina vehiculum. Tradit enim beatus Dionyſius Eccli. Hier. 10. c. quoniam *Diviniſſimum noſtrum altare JEſus eſt, qui Thearchica Divinarum mentium ſanctificatio, in quo ſanctificati & myſticè oblati ad DEum habemus acceſſum.* Sponſa igitur in beati & ſuperamabilis Crucifixi vulneribus hoſpitante, & ſe in ipſis Deificante, ad hoc dilecto pulchrior & ſuavior apparente, ait ſibi dilectus:

Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.

Quaſi diceret: intelligentiam tuam in meis Deificatam vulneribus ad me dirige, & tui amoris clarum ſuſpirium meæ audientiæ intimetur.

Nullum dubium eſſe debet, faciem animæ Deiformis ipſius fore intelligentiam, quæ ampliùs redditur pulchrior ad videndum, quò per aſſiduam Diviniſſimi Crucifixi imaginationem fit habilior ad ſe Deificandum, quòd oportet, ſi connutativam ipſius deſideramus, ùt Sanctus ait Dionyſius Eccle. Hier. c. 3. *Ad diviniſſimam ipſius ſecundùm carnem converſationem reſpicere oportet, & nos ipſi aſſimilando in ſancta immunitate peccati ad Deiformem & immaculatum habitum recurrere.* Et felix anima, quæ ſtolam ſuam lavare meruerit, & ad Deiformitatis candorem ducere in ſanguine ſupervirtuoſiſſimi Crucifixi! Siquidem prævenit in benedictionibus dulcedinis, & antequam ſuæ faciei pulchritudinem audeat demonſtrare dilecto, ab eodem dulciter prævenitur. *Oſtende*, inquit, *mihi faciem tuam.* Quæris, ad quid ſibi eam poſtulet demonſtrari? Utique ut per mutuos tam gratioſæ viſionis aſpectus utriusque amor in alterutrum fortiùs accendatur, ſicque dilectionis copula nunquam de cætero diſſolvatur.

Sed quid ſibi vult, quod ait: *Sonet vox tua in auribus meis*, niſi (quod) quantò anima ſit Deiformior, tantò clamor ipſius

ipſius amativi deſiderii ſit ſuavior, ita ut A. in ipſo Divina audientia delectetur? Ideo verò delectatur: quoniàm ipſe totus amor & ardor eſt. Propter quod vocem ardoris & amoris audit libentiùs & exaudit citiùs. Quare verò dilectus vocem ſponſæ cupiat audire, & faciem videre, ſubinfertur, cùm dicit:

Vox tua dulcis, & facies tua decora.

Acſi diceret: reſonantia tui amoris eſt ſuaviſſima, & tuæ intelligentiæ ſpecies eſt decentiſſima.

Si tu quæris, quæ ſit *vox* amoris, B. quæ dulcis à dilecto dicitur, dicendum eſt, ipſam inceſſabilem eſſe quandam gratiarum actionem ex perceptis ignibus & imbribus Divinis, ſicut de ipſis Seraphin, qui *incendentes* interpretantur, per B. Dionyſium Eccli. Hierarch. c. 4. dictum eſſe conſtat. *Nam ſancta*, inquit, *ſupermundanarum mentium cognitio & infatigabilis eſt, & indeſinentem habet Divinum amorem, & ponitur ſuper malitiam univerſam & oblivionem.* Unde ex intimo non tacens clamor ſignificat æternam ipſarum & intransmutabilem in fortitudine omni & gratiarum actione Divinorum C. ſcientiam & intellectum. Nihil ergo nos aliud decet acclamare niſi *Sanctus, Sanctus*, neque aliud petere niſi amorem, amorem. Ita & indeſinenti gratiarum actione creſcit cognitio, & ex cognitione gratiarum actio, ſicut datum eſt primis ſubſtantiis, quarum laudis excellentia ſuis cognitionibus correſpondet.

Quomodo autem non libenter ſponſæ vox audiatur, cùm tam gratanter *facies* ejus videatur? *Et facies*, ait *tua decora.* Quæ eſt ſponſæ facies niſi intelligentia? Quis verò hujus faciei decor niſi Deificatio ſit, hoc eſt: ad DEum intel- D. ligibilis aſſimilatio & unitio? Itaque quantò ſimilior fuerit aſſimilatio & profundior unitio, tantò Divinior Deificatio ac per hoc decoris intelligentiæ clarior irradiatio, ut pura ſubſequatur meditatio. O verè amandus amor ſuperamabilis Crucifixi! Ex ejus enim decore & dulcore ſic vox ſponſæ dulcoratur & facies decoratur, ut & hanc ſibi petat oſtendi, & illius ſuavem reſonantiam ſuis audiat auribus intonare. *Oſtende*, inquit, *faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Quaſi dicat: nec à voce amoris debet deeſſe dulcedinis ſuavitas, nec à facie contemplationis decoris puritas. Sic ergo dilecto cum ſponſa ſuaviter colloquente & etiam ejus dilecti voce & decora facie delectante nituntur adulteri dæmones has actiones utiliſſimas diſſipare. Unde ait dilectus apud ipſius dilectæ ſodales fideliſſimas:

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Nam vinea noſtra floruit. ℣. XV.

Quod eſt dicere: deprehendite dæmonum aſtutias nuper inceptas, quæ mentales diſſipant actiones: quia noſtra theoria jam ſuavitatem dulciſſimam pullulavit.

Hæ profectò ſunt illæ *muſcæ morientes* juxta Theologiæ ſententiam *unguenti ſuavitatem perdentes*, quas certum eſt ad nutum dilecti noſtri ſuperamabilis crucifixi deprehendi & deſtrui per Miniſterium Angelorum, dum adhuc *parvulæ* nuper immiſſæ per dæmonum fraudulentias noſcuntur. Si enim, dum *parvulæ* ſunt, actiones mentales per *vineas* deſignatas, ſufficientes ſunt demoliri ſuis doloſis conatibus: ne ad majorem valetudinem deveniant, * in ipſo utique principio ſunt capiendæ, ne mentalium vinearum noſtrarum vino ſuaviſſimo fiamus expertes. Eccle. 10. 1. * *Cod.* devenirent.

Sciendum eſt autem, quòd non eſt omnis ita perfectus, qui non interdum harum muſcarum & *vulpium* moleſtias patiatur, tum propter exercitantis virtutem, tum etiam propter humilitatis cuſtodiam. Hinc eſt, quod nobis tradit Divinus Dionyſius Eccli. Hierar. cap. 3. *Si enim verum eſt, quod univerſaliter dicimus, vir, qui eſt Divinorum dignus communicator, ad ſummum Deiformis ſecundùm ipſum in perfectis & perfectiſſimis Deificationibus ſurſum actus, nec ea, quæ ſunt carnis, operabitur præter valde neceſſaria ſecundùm naturam, & hæc ſi contingant, præter ſtudium. Templum autem ſit, & ſequax Thearchici ſpiritus erit in ſummitate ſecundùm ipſum in ſimili ſimile collocans. Non quidem talis contrariis aliquando vexatur aut phantaſiis aut morſibus: Videbit autem etiam illa & accedentia expugnabit & perſequetur, & faciet magis quàm patiatur, & tunc propter pro-*

prii

prii habitus irremiſſibilitatem & impaſſibilitatem aliis medicus videbitur talium vexationum. Ex his verbis colligere poſſumus, quoniam propter irruentes phantaſias aut graviores morſus per dæmonum aſtutias immiſſas non debet perfectus vir in ſumma ſanctitate vel dignitate conſtitutus contriſtari, nec ab actione mentis deſiſtere, ſed ea potiùs expugnare & perſequi, & agere potiùs, quàm ipſam pati ab eis, ita ut proprius ſanctorum habitus virtutum in nullo remittatur vel remorationem aliquam patiatur. Hoc autem maximè eſt faciendum in ipſa intellectualis vineæ noſtræ floritione: quod patet ex verbis dilecti ſic dicentis:

Nam vinea noſtra floruit.

Quaſi dicat: licèt omni tempore ſint vulpes parvulæ capiendæ, magis tamen, cùm vinea incipit florere, hoc eſt: quando theoria mentalis Divino radio & intelligentiâ operante contexta incipit ſuaviſſimam quandam dulcedinem in anima generare.

Tunc enim ſignum eſt, quòd multorum fructuum Divinorum ubertas ſubſequitur. Propter quod ſi *vulpes parvulæ*, id eſt: diaboli fraudulentiæ immittantur, capiendæ ſunt ab Angelis, id eſt: *abigendæ*, atque more Abrahæ expugnandæ, qui aves volantes ſuper ſacrificium abigebat. Itaque cernens ſponſa dilectum ſuum tam vehementer ſolicitari & in bonis delectari, totam ſe in ejus refundens amorem dicit:

Gen. 15. 11.

℣. XVI. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia.*

℣. XVII. *Donec aſpiret dies & inclinentur umbræ &c.*

Ac ſi dicat: ſuperamabilis meus Crucifixus pulchrificis mihi irradiationibus innoteſcit: & ego ei totaliter me immitto, qui delectando converſatur inter mentis puriſſimas actiones, donec ſplendens ac candens, calens cognitionis claritas in mente oriatur, & per ipſum tenebræ ignorantiæ propulſentur.

Animadvertere valemus ſponſam noſtram valde pulchrificis & dulcifluis irradiationibus a dilecto ſuo abundanter

A. in ipſius excellentiam emanantibus occupatam, dum hoc nequit explicare intellectu, quod capit * affectu: *dilectus meus*, ait, *meus mihi, & ego illi.* Quid eſt: (is) tibi, & tu ei? Ille mihi pulchrificæ irradiationis illuminationibus innoteſcit. Quare hoc non exprimis? Quia intellectus meus præfulgenti earum lumine occupatur. Quid verò: *tu ſibi?* Ego illi totis viribus me immitto, ut totam me effundam totaliter ſe mihi infundenti, & in horti mei liliis ſe paſcenti.

* *Cod.* nequit.

B. *Qui*, inquit, *paſcitur inter lilia.*

Id eſt: delectabiliter commoratur inter mentis puriſſimas actiones.

Sicut enim laudabiliter ſe aufert à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu: ſic delectabiliter eruditis intereſt actionibus mentalibus, quarum intentio eſt unam eſſe animam ad intellectum. Nam ùt beatus tradit Dionyſius Eccle Hier. 1. cap. *intentio ad DEum, prout nobis eſt poſſibile, aſſimilatio eſt & unitio. Hanc autem, ùt Divina docent eloquia, venerandiſſimorum præceptorum dilectionibus & ſanctis operationibus conſequitur.* C. Notabile verò eſt, quòd ait: *inter lilia.* Eſt enim duplex actio ſponſæ: una quidem manualis exterior: alia autem mentalis intelligentiæ ſurſum activa. Tunc verò dilectus inter lilia paſcitur, quando utriusque hujus actionis intentio eſt ad DEum aſſimilari velle & uniri. Quod ſatis per ſequentia declaratur.

Donec, inquit, *aſpiret dies.*

Hoc eſt: ſplendens & calens DEI cognitio eluceſcat.

Et inclinentur umbræ.

D. Id eſt: mentis tenebræ propulſentur.

Sed nunquid cùm hoc actum eſt, deſiſtet *inter lilia* noſtra depaſci dilectus? nunquid ſtatim recurſurus eſt? Minimè quidem. Sed eò ipſo ſtabiliùs & delectabiliùs depaſturus. Unde notandum, quoniam iſtud *donec* potiùs notat dilecti intentionem, qua inter lilia paſcatur, quàm ipſius paſtus finitionem, ut, cùm dies aſpiraverit, de liliis moveatur, * Sed quid eſt *diem aſpirare* * niſi luceſcentis & incaleſcentis luminis infuſio, per quam congregamur à diſperſionibus,

* *Cod.* moveamur.

* *Cod.* eſt dicere aſpir.

bus, illuminamur cognitionibus, perficimur unitionibus? Quid verò eſt *umbras inclinari*, niſi per idem lumen illuminari ab errorum operibus & phantaſticis viſionibus liberari? Ait enim beatus Dionyſius de Div. Nom. 4. c. *Sicut ignorantia diviſiva eſt eorum, qui in errorem ducti ſunt: ſic intelligibilis luminis præſentia congregativa & unitiva eſt eorum, qui illuminantur, & perfectiva, & converſiva ad verè exiſtens, à multis opinionibus convertens, & varias viſiones, vel, ut magis propriè dicam, phantaſias ad unam, veram, & mundam, & uniformem* B. *congregans cognitionem. & uno & unico lumine implens.* Itaque ſponſa noſtra lumine intelligibili perfuſa permittitur à dilecto aliquam eclipſim ſuæ claritatis ſuſtinere, ut ſic ad ipſum requirendum avidiùs ſuſcitetur. Unde benè per eam ſubditur:

Revertere: ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel.

Ac ſi dicat: lucis tuæ beneficium C. reſtitue ſuperdiligibilis Crucifixe, factus conformis ſubtiliſſimæ cognitioni & leviſſimæ ſurſum actionis, qui habitas ſuper altitudinem ſpirituum ſupernorum.

Meritò Deiformis anima tam devotè intelligibilis luminis beneficium ad modicum ſublatum ſibi reſtitui deprecatur, ut ſcilicet eò amplius diligat & cognoſcat reſtituendum, quò plus moleſtat ita ſubtractum. Inde eſt, quòd Thearchicus puer ſuperdulciſſimus JEſus eò à ſedulis parentibus ardentiùs quæritur abſens, quò dulciùs delectabat præſens. Quare hoc? Quoniam * mei intenſio- D. ris amoris eſt ſuſcitatio ipſius ſubtractio. Hinc eſt, quòd non ſolùm ſponſa dilectum *reverti* exoptat, ſed cum reverſione ſimilem fieri *capreæ* acutè videnti, *hinnuloque cervorum* leviter ſalienti. Quaſi diceret: ſic tuæ lucis beneficium mihi ſubtractum reſtitue, ut mei Deiformitas ad tui contemplationem ſubtiliùs acuatur, & ad tui unitionem leviùs ſurſum feratur.

* *Cod.* Quoniam amator mei int. &c.

Hoc autem ideo petit ſponſa: quoniam ad eſcam Divinæ viſionis non eſt A. poſſibile cuiquam elevari abſque præcepto beatiſſimi Crucifixi. Hinc eſt, quod Dominus loquens ad Job ait: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & ponet in arduis nidum ſuum?* Job 39. 27. Quaſi diceret: ſolùm ad mei nutum Deiformitas elevabitur * & in altiſſimis contemplationibus ſtatuet quietem ſuam, cujus, ſicut viſum eſt acuere, ſic & Deificè ſuſcitare. Alta quidem eſt dilecti habitatio & ardua: propter quod neceſſarius eſt obtutus Aquilinus, nec non ad acutè videndum & ad altè & agiliter volandum. Nam *ſuper montes Bethel* converſatur, hoc eſt: ſuper altiſſimas intelligentias Angelorum in cœlo Empyreo habitantium, quæ propriè eſt dicenda *Domus DEI.* Sonat enim Domus DEI *Bethel.* *Excelſior namque cœlo eſt,* ut bona ait Theologia, *& ſuper verticem ſtellarum ſublimatur,* hoc eſt: ſuper apices Angelicarum intelligentiarum. Job. 22. 12. Hinc ait Pſalmus: *Aſcendit ſuper Cherubin & volavit: volavit ſuper pennas ventorum.* Pſ. 17. 11. Aſcenſus autem dilecti pertinet ad humanitatem, quæ non eſt ex ſui ſed alterius naturæ virtute ſuper Angelos exaltata. Volatus verò ad Divinitatem convenit, per quam potiſſimus eſt ſuper pennas ventorum elevari, hoc eſt: ſuper leves ſemper mobiles intelligentias Seraphin, quæ non tam leviter quàm perenniter circa Divina verſantur & moventur. Ait enim beatus Dionyſius Cœleſt. Hier. 7. c. *Etenim ſemper quidem mobile ipſorum circa Divina, & indeſinens, & calidum, & acutum, & ſuperfervens attenta, irremiſſibilis & indeclinabilis ſempiterna motionis &c.* Sequitur

* *Cod.* elevabit.

CAPUT III.

In lectulo meo per noctem quæſivi, quem diligit anima mea.

SCiens anima Deiformis, quoniam non eſt ad occultam inveſtigationem Divinorum aliquatenus devenire niſi mentali quiete ſtuduerit ſibi ipſi habitaculum intexere

texere tribus funibus, ſtrenuitate videli- A. cet actionis, attentione lectionis, atque fervore mentalis orationis: in quo jam ſuaviter quieſcente ſponſa noſtra, atque in Divinorum occulta inveſtigatione ſe fortiter promovente ait: *in lectulo meo &c.*

Ac ſi dicat: in tranquillitate meæ mentalis quietis per ignitas cogitationes ſuperamabili Divinæ inquiſitioni vacavi.

Hoc namque prudenter eſt notandum, quoniam cùm adhuc viatores ſumus, omnes Deiformis animæ contemplationes ſive de Divinis participationes ſunt quædam cognitiones incognitæ ſive cognitæ incognitiones. Hinc eſt, quod B. Job, 29. 3. ſanctus ait Job: *Ad lumen ipſius ambulabam in tenebris.* Quaſi diceret: per cognitas incognitiones proficiebam in incognitis cognitionibus. Nam lumen Divinum eſt tenebræ, ſive magis lumen tenebroſum, & tenebræ luminoſæ: & ſic cognoſcuntur, quòd ignorantur: ſic ignorantur, quòd tamen aliqualiter cognoſcuntur. Propter quod ait beatus Dionyſius 2. c. Myſt. Theol. *In hac ſuperlucenti caligine nos fieri precamur, & per non videre & ignorare videre & cognoſcere eum, qui eſt ſuper viſionem & cognitionem.*

Benè ergo *per noctes* dilectus *quæritur* à dilecta: quia per non videre & non cognoſcere videtur & cognoſcitur, qui omnem tranſcendit viſionem humanam & Angelicam: quia tales perfectæ noctes, hoc eſt: ignotæ cognitiones ſunt ſine nocte. Non enim luminis patiuntur defectum, ſed potiùs exceſſum. Unde dicitur per Pſalmum: Pſ. 138. 11. & 12. *Et nox illuminatio mea.* Et: *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Quaſi diceret: tenebræ Divinæ ſunt & luminoſæ, & lumen tenebroſum, non qualis in ſe ſed in nobis, quibus ob minimam capacitatem, quod D. eſt ſummè lucens, videtur ſummè tenebroſum, & ubi luceſcit dies, videtur non tenebreſcere. Unde quia per talem inquiſitionem non poteſt ſuperſplendens radius reperiri, ideo benè ſubinſertur:

Quæſivi, & non inveni illum.

Quod eſt dicere: per operationes mentales vehementer ad inveſtigationes Thearchici radii inſtiti, nec ipſum, ſicut eſt, poteram contemplari.

Nec enim aliter, ùt Divinus tradit Dionyſius Eccl. Hier. c. 1. *Poſſibile eſt nobis ſuperſplendere Thearchicum radium niſi varietate ſanctorum velaminum ſurſum activè circumvelatum, & his, quæ ſunt ſecundùm nos, providentia Divina connaturaliter & familiariter præparatum.* Horum autem velaminum varietates ſolis valde ſpiritualibus viris eſt nota, quibus ſuper variis formis Divinus circumtectus radius eorum ſe offert intelligentiæ non quaſi otioſè ſed ſurſum activè, ita ut vehementer per talia velamina juxta eorum capacitatem à Divina providentia præparata ad altiorem & ſecretiorem ſui dilecti inveſtigationem amativè ſuſcitentur. Unde benè adjungitur:

Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. ℣. 11.

Ac ſi dicat: de forti ad fortiorem actionem me erigam, & perfectè luſtrabo cœleſtium Hierarchiarum qualitatem, per minus & majus Divinarum qualitatum capaces ſubſtantias diligenter inveſtigans ſuperdiligibilem ſponſum meum.

Notandum, quòd nihil aliud eſt C. Deiformem animam *ſurgere*, quàm ipſam de fortiori ad fortiorem mentalem actionem (ſe) erigere ad hoc ipſum boniformi Angelo excitante: quemadmodum Eliæ repauſanti legimus fore dictum: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.* 3. Reg. 19. 7. Similiter & Petro in carcere latitanti: *Surge velociter.* Act. 12. 7. Hæc autem ſurrectio nimirum tantò velocior eſt, quantò anima fuerit in cognitionis lumen incumbentior & in amore ardentior. Unde benè per ſanctum traditur Iſaiam: *Ambulate in lumine ignis veſtri & in flammis, quas ſuccendiſtis.* Iſa. 50. 11. Quaſi diceret: D. ſecundùm luminoſitatem & igniculum amoris erit vobis velocitas intellectualis ambulationis.

Hinc eſt, quòd ſponſa noſtra vehementi ardore inflammata non tantùm *ſurgere* ſe fatetur, ſed etiam *circuire* ſe *civitatem* promittit, quod non eſt aliud, quàm ipſam, ſicut Deiformis facta eſt, & ipſo Thearchico lumini, quod omnia ſcrutatur, unita plenariè & perfectè luſtrare cœleſtium Hierarchiarum ordinem & qualitatem, per ipſarum *vicos & plateas*, id eſt: minùs & majus Divinarum irradiationum perceptibiles ſubſtantias diſcur-

diſcurrendo. Nam aliæ aliis ſunt ditiores, & ad Thearchicorum ſuſceptiones ſplendorum latiores. In quibus omnibus ſponſa noſtra dilectum ſuum, quem diligit, quærere non ſubſiſtit ſicut verè pulchrum & bonum, quod eſt amabile & diligibile juxta beati Dionyſii pulchram ſententiam de Divin. Nom. 4. c. ſic dicentis: *Ita autem diligibilem & amabilem ipſum vocant Divini Theologi, ſicut bonum & pulchrum: amorem autem rurſus & dilectionem, ſicut moventem ſimul, & ſicut quod eſt virtus ſurſum agens ad ſe ipſum, quod ſolum ipſum propter ſe ipſum eſt pulchrum & bonum, ſicut quod eſt manifeſtatio ſui ipſius propter ſe ipſum, & ſegregatæ unitionis bonus proceſſus & amativus motus ſimplex per ſe mobilis, per ſe operans, per ſe exiſtens in bono, & ex bono exiſtentibus emanans.* Itaque in præſenti, quoniam non eſt invenire dilectum niſi per participationem tam viſibilibus quàm inviſibilibus creaturis, ideo benè ſequitur:

Quæſivi, & non inveni illum.

Ac ſi dicat: tam in magnis quàm in minimis capacibus creaturis DEum inveſtigavi, nec ſic in ſingularitate ſuæ eſſentiæ ſimplicis adinvenitur.

Nec mirum, ùt etiam ſanctus aſſerit Dionyſius de Divin. Nom. c. 2. *Omnia Divina, & quæcunque nobis manifeſta ſunt, ſolis participationibus cognoſcuntur. Ipſa autem qualiacunque ſunt, ſecundùm proprium principium aut collationem ſuper mentem ſunt, & omnem ſubſtantiam & cognitionem ſicut ſuperſubſtantiale occultum, ſive DEum aut vitam, ſive ſubſtantiam aut lumen nominemus aut rationem, nihil aliud intelligimus, quàm ad nos ex ipſo productas virtutes Deificas, aut ſubſtantificas aut unificas, aut ſapientificas.* Ex his verbis colligere poſſumus, quoniam non poteſt ad ſimplicem cognitionem DEI perveniri niſi tantùm per participationes, ſive magnæ ſint aut parvæ, ita quòd ipſius nominationes & cognitiones nihil aliud ſint, quàm ejus bonæ participationes, ſingulis juxta dignitatem ipſorum diſtributæ. Nam ùt alibi ait idem Dionyſius Eccle. Hier. c. 13. *Secundùm omnem ſubſtantialem eminentiam incomparabiliter eſt collocatum eſſe Divinum ſuper univerſam viſibilem & inviſibilem virtutem.* Igitur ne ſponſa noſtra

A. quærendo & non inveniendo ab inquiſitione deſiſtat, ab ipſius dilecti præcurſoribus invenitur, ut per hoc tantò ad ipſum quærendum ardentiùs animetur, quantò ab ipſis Angelis miſericordiùs invenitur. Nam ait:

Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem. ℣. III.

Quod eſt dicere: dilectum me quærentem repererunt Angeli ad adſpectum Divini luminis nunquam oculos claudentes, qui militantis Eccleſiæ ſo-
B. lerter defendant unitatem.

Pulchrè per *vigiles*, à quibus dilectum ſuum quærens anima invenitur, Angeli deſignantur: quoniam ipſi nunquam ab aſpectu Thearchicæ claritatis dormitant, ſed ſemper apertis oculis ipſam continuè contemplantur. Hinc per ſeipſam veritas ait: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui eſt in cœlis.* Matth. 18. 10.
Quaſi diceret: Divini ſpiritus continuè clarè, verè, & ſublimiter DEum contemplantur. *Continuè*, quia non momentaneè: *clarè*, quoniam vident, ſicuti eſt:
C. *verè*, quia faciem, non poſteriora: *ſublimiter*, quia in cœlis exiſtentem acutiſſimè contemplantur:

Hic autem notandum eſt, quòd Angeli ſic vident, quòd tamen ſine oculis. Non enim mens ſive humana ſive Angelica inſtrumentalem oculum habet, ſed ipſa tantùm ſibi eſt oculus. Unde ait B. Dionyſius Myſt. Theol. 1. c. *Superpulchris claritatibus ſuperſplendentem non habentes oculos mentes.* Deiformem ergo animam *à vigilibus inveniri* nihil aliud eſt, quàm ipſam Divinæ inquiſitioni vacantem (a) jugiter DEI faciem contem-
D. plantibus cœleſtibus ſpiritibus præveniri, quibus eſt & commiſſa defenſio Eccleſiæ militantis. Quod patet ex eo, quia ait: *qui cuſtodiunt civitatem*, ne à malignis ſpiritibus dividatur. Nam ùt Divinus ait Dionyſius Angel. Hier. c. 9. *Ipſa una univerſorum altiſſimi DEI providentia omnes homines ſalutariter propriorum Angelorum ſuſtentantibus manuductionibus diſtribuit.* Non ſolùm igitur cuſtodiunt, ne bona amittantur, ſed etiam ſuſcitant, ut majora percipiantur. * Unde idem Dionyſius ait de Divinis Nom. c. 4. quòd per ipſas intelligentias ſive per intelle- * C d. percipiant.
ctuales

A. ctuales ſubſtantias animæ ad Angelicam vitam ſe extendentes ad omnium bonorum bonum principatum ſurſum aguntur, & participes fiunt emanantium illuminationum.

Signanter verò dixit ſponſa: *invenerunt me vigiles.* Nam ſicut videri ſive illuminari in Divinis præcedit videre ſive contemplari: ſic nimirum inveniri ante eſt quàm invenire: quemadmodum dicitur per Pſalmum: *Prævenerunt*, inquit,

Pſ. 67. 26. *principes conjuncti pſallentibus in medio &c.* hoc eſt: animarum puriſſimarum & diſciplinis cœleſtibus mortificatarum, quæ non tantum ab ipſis noſtræ Hierarchiæ B. principibus Angelis præveniuntur, ſed etiam eis delectabiliter conjunguntur. Hæ ſunt profectò illæ benedictiones dulcedinis, quibus novit dilectus ſponſas ſuas in ſpiritualibus exercitiis laborantes non tam ſuaviter quàm mirabiliter prævenire: Sicut & per Dionyſium dicitur in Epiſtola ad Theophilum: *adhuc*, inquit, *ipſis longè exiſtentibus cum accedentibus occurrit & obviat, & totos totus amplectens oſculatur & non accuſat de prioribus: diligit præſentem, & feſtum facit & convocat amicos, ut ſit omnium lætantium habitatio.* Itaque Deiformis anima C. à beatis vigilibus præventa, atque ab ipſis intellectibus ſalutata, an dilectum ſuum viderint, taliter ſciſcitatur:

Num, quem diligit anima mea, vidiſtis?

Ac ſi diceret: nunquid ſuperſubſtantialem & ſuperſplendentem Thearchicum radium, cui ſum amore inſolubili copulata, vidiſtis?

Nota, quòd hæc interrogatio potiùs eſt amantis quàm dubitantis. Quomodo enim eum non vident, quem inceſ- D. ſanter clariſſimis obtutibus contemplantur? *Oportet enim* juxta B. Dionyſii ſententiam Angel. Hier. c. 3. *Illuminatos quaſi Angelos exiſtentes Divino lumine adimpleri ad contemplativum habitum & virtutem in caſtiſſimis mentis oculis ſurſum actos.* Propter quod dicendum eſt, quòd Angelus ex ipſa propria viſione manifeſtè declarat ſe ſemper DEum videre, ſicut totaliter ex plenitudine contenti luminis radiatus. Dionyſius de Div. Nom. c. 10. *Imago namque DEI eſt Angelus, manifeſtum occulti luminis ſpeculum, purum, clariſſimum, incontaminatum, immaculatum, incoinquinatum, ſuſcipiens totam, ſi eſt fas dicere, pulchritudinem boniformis Deiformitatis, & mundè ſplendere faciens in ſeipſo.*

Quærit ergo ſponſa, non ut certificetur quaſi dubitans de continua Angelorum contemplatione, ſed ut ardentiùs ſciſcitans quaſi nimiùm amans dilecti ſui viſionem. Unde benè ſubjungit:

Paululum cùm pertranſiſſem, inveni, quem diligit anima mea &c. ℣. IV.

Quod eſt dicere: cùm ab omni intelligibili creaturarum abſolviſſem me, tunc abſolutè cognovi, quem inſolubiliter diligo.

Siquidem nihil eſt aliud: cœleſtes vigiles Deiformem intelligentiam paululum pertranſire, niſi ſe ipſam ab omni intellectuali creaturarum abſolvere. Quæ abſolutio eſt ſupermentalis unitio, ubi abſolutè cognoſcitur dilectus nullo medio interjecto. Hinc eſt, quod ad Timotheum beatus Dionyſius ajebat Myſt. Theol. 1. c. *Etenim exceſſu tui ipſius & omnium irretentibili & abſoluto mundè ad ſuperſubſtantialem Divinarum tenebrarum radium cuncta auferens, & à cunctis abſolutus ſurſum ageris.* Ex his verbis clarè liquet, quoniam inter exceſſum animæ irretentibilem & abſolutum & Divini radii inventionem, quæ eſt per unitionem, nihil eſt medium, tum quia ipſa talis inventio ſic cognitiſſima eſt, quod ineffabilis: ſic clariſſima, quòd incognitiſſima: ideo meritò dicitur *radius tenebrarum* per exceſſum cognitionis. Quia ergo ſponſa noſtra poſt intellectivam creaturarum abſolutam pertranſitionem meruit dilecti ſui unitivam inventionem, ideo congruè ſubjicitur per eandem:

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Ac ſi dicat: apprehendi eum per amplexum unitionis, nec ſeparari eum à me permittam per lapſum pedeſtris dejectionis, quouſque eum familiariter ſentiam introductum in tuto affectionis meæ & in abdito charitatis meæ.

Hic namque eſt notandum, quoniam per nullum modum meliùs apprehenditur

henditur dilectus ac tenetur in præſenti ab anima Deiformi, quàm per amplexum cognitionis abſolutæ, quæ eſt unitio. Tunc enim verè & ſecurè dicere poteſt talis anima: *non dimittam eum*, id eſt: ſeparari permittam per lapſum dejectionis ad cognitionem comparatam, quæ quidem fit, quando intelligentia ſupermentalis unitionis abſolutam cognitionem dimittens tranſit ad inferiores creaturas, ſive ſint intellectuales, ſive materiales. Hoc autem nullo modo facere convenit, quouſque dilectum ſuum anima boniformis ſenſerit firmiter introductum & familiariter hoſpitatum *in domum matris* in tuto affectionis, nec non *in cubiculum genitricis ſuæ*, hoc eſt, in ſecretarium charitatis. Et tunc ipſa ſecuriùs poterit circuire tali obtento cuſtode.

Si quæratur, cur per *matrem* affectio, per *genitricem* charitas deſignetur, dicendum eſt, quoniam ſicut matris eſt magis diligere & vehementiùs affici: ſic ipſa mentis affectio dulciùs amplexatur. Præterea ſicut *genitricis* eſt generare: ſic amor ſive charitas eſt principium eſſendi Divinè ipſi animæ, ſive cauſa ipſam promovendo generans ad Divina. Hinc eſt, quod ſanctus tradit Dionyſius Eccle. Hier. 2. c. poſt principium: *Sicut*, inquit, *nobilis dux noſter dixit: ſecundùm mentem ad Divina primus motus dilectio DEI eſt, ſanctæ verò dilectionis, quæ eſt ad ſanctam operationem Divinorum præceptorum principaliſſimus proceſſus, eſſendi Divinè eſt ineffabiliſſima diſpenſatio. Sic enim eſſendi Divinè eſt Divina generatio, nequaquam aliquid aliquis noſcet à DEO traditorum, nec etiam operabitur, qui eſſe in DEO non habuerit.*

Notandum ergo ex his verbis, quòd ſancta DEI dilectio non ſolùm eſt principium eſſendi Divinè, & motus in DEum, verùm etiam cauſa generationis & operationis Divinorum. Non enim aliquid moveri poteſt, niſi ſit, nec cognoſci aliquid, niſi per motum, nec aliquid operari niſi per cognitionem. Eſſe ergo Divinè eſt cauſa motus in DEum, motus verò cauſa cognitionis, cognitio autem cauſa operationis. Et hæc omnia & omnium ſpiritualium bonorum effectuum & materialium noſtra à genitrice charitate procedunt. Igitur ſponſa in ſecretis ſuis introducto dilecto, ac per hoc

A. ipſa in eo, & ipſe in ea delectabiliter quieſcente rogat ſponſus conſodales ſponſæ: ne ejus dulcedinem interrumpant, & dicit:

Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per capreas, cervosque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quouſque ipſa velit. ℣. V.

Quaſi dicat: vehementiſſimè vos deprecor, ô animæ viſioni pacificæ mancipatæ per ſubtiles cognitiones & agiles ſurſum actiones ad Divina, ne inquie-
B. tetis Deiformem animam à negotioſo otio ad negotium otioſum, quouſque ſibi placitum fuerit.

Pulchrè nempe dilectus adoleſcentulas indiſcretas pro tanta quiete Deiformis animæ *per capreas, cervosque camporum adjurat*, hoc eſt: per ſubtiles cognitiones & agiles ſurſum actiones ad Divina, quarum & ipſæ ſunt æmulatrices, ne Deiformem animam attentent ſuſcitare ab otio negotioſo ad negotium otioſum. Nam etſi dormire videatur à materialibus actionibus, ratio tamen vigilat
C. in mentalibus, quod verè eſt otium negotioſum ſuperſumma diligentia pertractandum. Omnis enim actio manualis quaſi otioſa & inutilis reſpectu mentalis eſt dicenda. Propter quod ab iſta ad illam nullatenus niſi fortè ad modicum eſt evigilandum, quoniam in nullo actu vel motu anima ſic Deificatur & ſanctificatur, quomodo in actu vel motu affectualis amoris in DEum ſe ardentiſſimè elevantis. Ideo autem meritò non eſt excitanda ſponſa à tam perutili otio, donec formaliter ſit Deificata & intelligibiliter firmata, ut ſic conformetur voluntati
D. Divinæ, quæ eſt ſanctificatio noſtra. Dionyſius Eccle. Hier. c. 10. *Nam & ſeipſum propter nos ſanctificat ſanctiſſimus JEſus, & omni nos ſanctificatione implet.* Quapropter ſciens ſponſa, quòd ſecundùm altitudinem extenſionis in DEum fit mentis Deificatio & ſanctificatio, altiùs ſe promovet ad Divina. Unde ipſius felicem volatum admirans dilectus ait:

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? ℣. IV.

Quod

Quod eſt dicere: quàm miræ vir- A. tutis eſt hæc anima, quæ ſic in altum ſe tollit per medium regionis intelligibilium radiorum incultæ habitatore, velut agiliter ſubtiliata ex beneolente puritate mortificationis & ſurſum ferente odore orationis & univerſali ſuaviſſima virtute mentalium actionum?

Revera enim magnæ virtutis anima eſt dicenda, quæ tam otioſa in ſenſibus exterioribus, tam negotioſa in interioribus, tam dulcorata in affectu, tam decora in aſpectu, tam plumata per cognitioncin veritatis, tam alata per amorem B. bonitatis per deſertum ſe tollit intelligibilis regionis, quæ ob ejus ignorantiam, & aſcenſus præeminentiam rariſſimo incolitur habitatore. Nam, ùt bona tradit Job 28. 7. Theologia: ipſius *ſemitam ignoravit avis*, hoc eſt: etiam alicujus eximii intellectus perſpicacia.

Qui igitur cum ſponſa noſtra cupit ab extremis finibus ſuæ mortalitatis egredi, & aſcendere ad thronum ſapientiæ Salomonis, more Sabæ reginæ iter faciens per deſertas regiones imaginabilium & intelligibilium, neceſſe eſt, ut optima aromata ſecum ferat. Et primùm qui- C. dem *myrrham* mortificationis, quæ eſt purgativa: *thus* orationis, quæ eſt elevativa: & *pulverem pigmentarium* mentalis operationis, quæ eſt ſuavitatis exhalativa. Inſuper etiam & aurum & gemmas pretioſas, hoc eſt: ſtudium ſapientiæ & anagogicas ſententias Scripturarum. Taliter namque merebitur ad ſupermentalem Divinæ cognitionis celſitudinem pervenire, quæ omnis dubietatis & ignorantiæ eſt penitus expulſiva, ſive omnis obſcuræ propoſitionis luculenter enucleativa. Inde etiam ordinem intelliget ſibi famulantium cœleſtium D. Hierarchiarum, nec non & pinguiſſima holocauſta amoris ſuperferventiſſimi, quem inceſſanter ipſi DEO offerunt, poterit contemplari. Nam ſicut ſupermundanorum viſio & cognitio eſt infatigabilis: ſic & amor inceſſabilis, itaut, quantò plus videndo cognoſcunt, tantò plus amando ac fortiùs in Divinam pulchritudinem inardeſcunt, in quam, ait Theo- 1. Petr. 1. 12. logus Petrus, *deſiderant Angeli proſpicere*. Quare hoc? Quia proſpiciendo intenſiori deſiderio inardeſcunt, & deſiderando attentiùs proſpicere concupiſcunt.

Sed quæ eſt illa anima tam firma, tam fortis, quæ ad contemplationem horum non expaveſcat, ita ut non remaneat in ipſa ſpiritus, ſed potiùs in DEum avolet, & jam non humanum, ſed Divinum, ſcilicet eum, ulterius receptura? Quid autem ſponſa eſt ſicut *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & univerſi pulveris pigmentarii* exhalantis *per deſertum aſcendere*, niſi Deiformem animam per mortificationem ſubtiliatam, per virtutem orationis elevatam, per redolentiam univerſalem mentalis ſanctæ operationis Deificatam abdita imaginabilium & invia intelligibilium penetrare, & ſic ad contemplationem & cognitionem *Viri pacifici* in Jeruſalem pervenire?

Hoc namque eſt illud *deſertum*, quod verè Deificata illa anima boni Moyſi peragravit, ubi verè Divinam viſionem promeruit. *Cúmque*, ait, *minaſſet gregem* Exod. 3. 1. & 2. *ad interiora deſerti*, hoc eſt: puriſſimas mentis theorias ad ſecreta intelligibilium direxiſſet, *venit ad montem DEI Horeb*, id eſt: ad arcem contemplationis, *apparuitq; Dominus Moyſi in flamma ignis de medio rubi*, hoc eſt: per ardentes & luminoſos ſuæ beatæ lucis radios ei innotuit de medio ſuæ inacceſſibilitatis. Quid enim melius per rubum pungentem accipimus, quàm ineffabilem Divinam DEI lucem, acceſſum ad DEum prohibentem? Et quid per hoc, quia videbat, quòd rubus arderet & non combureretur, niſi quia Divina lux & ſemper ardendo luceat, & lucendo ardeat, nunquam tamen defectum aut minorationem ſuæ ignitæ claritatis & claræ igneitatis patitur, quod utique non tam admirabile quàm inſcrutabile eſt dicendum? Hinc eſt, quod ſanctus Moyſes Divina ſuſcitatus viſione (dum) voluit pergere ad videndum eam, audiit Dominum ſibi dicentem: *Ne appropies huc: ſolve calceamenta de pedibus* Ibidem 5. *tuis. Locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt*: quaſi dicat: ad hanc mirabilem viſionem aliqualiter apprehendendam non potes admitti, niſi omnem motum materialem a motibus tuis in DEum tendentibus abjicias, ut ſicut ſancta intellectualis eſt ſtatio, ſic tu priùs ſanctus & intellectualis efficiaris, ſi in eam vis pervenire. Nam conveniens eſt, ut ſicut materialia materialiter, ſic intelligibilia intelligibiliter & Divina Diviné capiantur. Unde ait bea-

tus

tus Dionyſius Eccl. Hier. c. 1. *Univerſa* A *quidem (ſuprà poſita (de) Hierarchia facta locutione) non tradas alteri præter coordinatos tibi Deiformis ſanctitatis perfectores & ipſis perſuadebis confiteri ſecundùm legem Hierarchicam, ut munda quidem mundè tangant, communicent autem ſolis Divinis Divina, perfectivis perfecta, & ſanctis ſanctiſſima.*

Hæc autem digreſſio ideo facta eſt, ut notata utilitate intelligibilis *deſerti* ad ipſius introitum & profectum uniuſcujuſque noſtrûm Deiformitas animetur, ut
Ibid. 18. profecti *viam trium dierum*, videlicet intelligibilium, imaginabilium & Divino- B. rum ſacrificemus hoſtiam pinguiſſimi amoris & mundiſſimæ gratiarum actionis
3. Reg. 19. 4. ſuperdulciſſimo Crucifixo. Quòd ſi aliquem ad *viam unius diei* cum Elia laſſari contigerit, non diffidat. Habebit enim ſanctum Angelum pane vitæ & intellectus ipſum excitantem, & aqua ſapientiæ ſalutaris ſuam intelligentiam epotantem, inſuper & boniformiter confortantem, ut viriliter ſurgat, & ſanctam viam perficiat. Igitur Deiformis anima per medium deſertum ad dilectum ſuum aſcendente, ejuſque C. ſecreta diligentiùs contemplante, ipſa
℣. VII. nobis, prout poteſt, explicat dicens:

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.

Ac ſi diceret: quietiſſimam & ſecretiſſimam viri pacifici viſionem univerſi Angeli ex ordine Seraphin amplectuntur, qui inter cæteros ſpiritus DEI faciem contemplantes ſunt charitate ardentiores, ac per hoc fortiores.

Rectè ſiquidem per *lectulum Salomonis* quietiſſima & ſecretiſſima DEI viſio deſignatur. Quoniam ſicut *lectulus* D. locus eſt ſecreti & quietis: ſic ſola DEI viſio & cognitio eſt illa, in qua animæ quieſcunt & pacificantur, & ſecretiſſimè abſconduntur, ita ut eis citra ipſam nuſquam ſit vera quies, nuſquam latendi
Pſ. 30. 21. locus. Inde forſitan eſt, quod dicitur per Pſalmum: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à contradictione hominum*, quaſi diceret: quos ad ſecretum tuæ viſionis
Pſ. 75. 3. & cognitionis admiſeris, ab omni inquietudine liberabis. Nam *in pace factus eſt locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* Et ideo ad talem locum & habitationem, qui eſt quietiſſimus Divinæ bonitatis ſinus, omnia convertuntur, quemadmodum ad proprium ſingula finem, *quam* juxta B. Dionyſii ſententiam de Divin. Nom. c. 10. & 1. *Omnia deſiderant: intellectualia quidem & rationalia cognitivè: ſenſibilia ſenſibiliter: expertia verò ſenſus naturali motu vivifici deſiderii: carentia autem vitâ & tantùm exiſtentia aptitudine ad ſolam ſubſtantiæ participationem.*

Benè autem hunc ſecretiſſimum *lectulum* Divinæ viſionis *ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël*: quia univerſæ ſubſtantiæ de ordine Seraphin per *ſexaginta* deſignatæ, quæ eò ſunt fortiſſimæ ad Divina agendum & patiendum, quò ſunt ardentiſſimæ ad amandum, cæteris inferiorum ordinum ſpiritibus quietiùs & ſecretiùs & clariùs ſive intentiùs DEI faciem contemplantur. Unde beatus Dionyſius Angel. Hier. c. 7. *Hic quidem eſt ſecundùm noſtram ſcientiam primus cæleſtium ſubſtantiarum ornatus in circuitu DEI & circa DEum ſine medio ſtans & ſimpliciter & indeſinenter ambiens æternam ipſius cognitionem.* Taliter dicitur ambire non quaſi totaliter DEI cognitionem per intellectum DEum comprehendens, ſed quoniam totaliter eam per affectum amplectitur & concupiſcit. Plus enim amplectitur affectus, quàm capere valeat intellectus. Nam totum DEum diligere poſſumus per affectum, ſicut totum diligibilem: non autem comprehendere poſſumus ſicut nullo modo comprehenſibilem. Quia verò quantò plus ipſi Angeli cognitionem DEI ambiunt, tanto plus ambire concupiſcunt, ideo benè ſubjungitur:

Omnes tenentes gladios ad bella doctiſſimi. ℣. VIII.

Ac ſi diceret: univerſæ Angelicæ virtutes habent intellectuales experientias, per quas ſibi præparant acceſſum ad Divina. Inſuper ad Divinos agones ſunt ſapientiſſimi.

Hæ autem virtutes nihil aliud ſunt, quàm naturales in DEum ipſorum ipſius attendentiæ ſive rationes eò acutiores, quò ipſi DEO ſunt propinquiores, per quas Divina lumina ex pelago Thearchici luminis emanantia fortiter conſcendentes ad intenſiorem DEI cognitionem ſurſum aguntur. Nam ſicut ala in Angelis

gelis ſignificat ſurſum activum, id eſt: Angelicam virtutem in ſuperiora elevantem agibiliter: ſic nimirum per *gladios* Divinorum luminum indicium figuratur. Hæc eſt virtus Thearchicorum ſplendorum penetrativa & in abdita intrativa.

Sed quia non ſufficit habere virtutem, niſi adſit ſapientia, per quam dirigatur, ideo benè *ad bella* dicuntur *doctiſſimi*, id eſt: in Divinis agonibus experientiſſimi ac per hoc prudentiſſimi. Hinc eſt, quod ſanctus Dionyſius tradit, *Hierarchicam eſſe irradiationem ſanctam* Angel. Hier. c. 3. in princ. *& ſcientiam & operationem ad Deiforme, ſicut eſt poſſibile, aſſimilata & ad inditas ipſi DEO illuminationes ſecundùm proportionem ad DEI imitativum ſurſum activa.* Ubi notandum, quoniam non ſolùm dixit: *Hierarchica eſt ordinatio vel operatio*, quod eſt virtutis, ſed addit: *& ſcientia*, ut per hoc notetur: virtus Angelica ſic eſt potisſima ad agendum, quòd cum hoc eſt ſapientisſima & doctisſima. Quam quidem ſapientiam non tam habent per Divinum donum, quàm per continuum experimentum. Semper enim ſunt in Divinis agonibus conſtituti. Quia tamen per talem virtutem non ſolùm ad ſuperiora elevantur, verùm etiam ab omni disſimilitudine elongantur, ideo congruè ſubinfertur:

Uniuscujusque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.

Id eſt: unusquisque Angelus virtutem præparandi ſibi acceſſum ad Divina in promptu habet propter elongationem à disſimilitudinibus.

Si quæratur, quid ſit in Angelis ignorantia, cujus figura eſt per *timores nocturnos* deſignata, dicendum eſt, nihil aliud eam eſſe, quàm aliquorum occultorum nondum habitam cognitionem. Similitudo verò, quæ & alio nomine munditia vel purgatio vocatur, eſt eorundem occultorum revelatio juxta beati Dionyſii ſententiam Eccl. Hier. c. 7. dicentis: eſt *in cœleſti Hierarchia, quòd mundatio eſt ſubjectis ſubſtanciis à DEO tunc usque ignotorum data cognitio ad perfectorum ſcientiam ipſas agens Thearchicarum cognitionum, & ab ignorantia, quorum nondum ſcientiam habuerunt, mundans ſurſum actas ad ſuperiores & clariores ſplendores.* Benè igitur *propter timores nocturnos*, hoc eſt: propter fugam

A. & elongationem à Divinorum ignorantiis vel disſimilitudinibus unusquisq; Angelus *enſem ſuper femur* habere dicitur, id eſt: Deiformitatem ſuam promptam ad fortitudinem ſive rationis, ſive ſurſum actionis ad ignota.

Inde eſt, quod ſancta tradit Theologia Tobiam inveniſſe *juvenem ſplendidum* Tob. 5. 5. 6.
ſtantem præcinctum & quaſi paratum ad ambulandum, ignorans, quòd Angelus DEI eſſet. Ex quo anagogicè edocemur, quòd virtus Angelica ſemper eſt circa Divina incrementa convaleſcens in eo, quod ait *juvenem*. Item quòd ipſorum ſubſtantiæ B. puritas eſt animæ claritatis, in hoc, quod *ſplendidum* eum dixit. Præterea quòd eorum contemplationis ſublimitas eſt immutabilis, in hoc, quod *ſtantem* invenit. Item eorum Deiformis notatur humilitas & agilitas ad elongationem ab omni disſimilitudine, & proficiendi ab omni disſimilitudine in Divinam ſimilitudinem, & quòd nunquam in eandem disſimilitudinem de cætero ſunt prolapſuri, ex eo, quod ait, *quaſi paratum* fore *ad ambulandum*. Sic enim legimus Prophetam Ezechielem de illis animalibus tradidiſſe, quia *non revertebantur,* Ezech. 1. 9.
C. *cùm incederent, ſed unumquodq; ante faciem ſuam gradiebatur,* quaſi diceret: in eandem ignorantiam & disſimilitudinem, à qua ſemel purgati ſunt, nunquam incidunt Angeli, ſed ſemper novas illuminationes & cognitiones experiuntur, quod eſt: *ante faciem ſuam gradiebantur.* Inſuper & ſemper à veteribus ignorantiis purgantur, & nunquam eis denuo immundantur, quod eſt: *euntes ibant, & non revertebantur*, fugientes *à timoribus nocturnis*: hoc eſt: ab immundis disſimilitudinibus ſe fortiter elongantes.

Itaque ſponſa noſtra aliquibus Divinis D. ſecretis contemplatis, & ipſis aliqualiter explicatis ad contemplationem ſuperbeatiſſimi throni Divinæ Majeſtatis ſe fortiter extendens, ipſum diligentiùs intuens ait:

Ferculum ſibi fecit rex Salomon de lignis Libani. ℣. IX.

Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem. ℣. X.

Ac ſi dicat: ſuperquietiſſimus DEus omnipotens ſedem ſuæ majeſtatis aptiſſimam & ſuæ gloriæ capaciſſimam fecit de incorruptibili corpore & anima ſupercandidiſſimæ Virginis, & Seraphicas ſubſtantias immediatè ei ſuperpoſitas per ardentem amorem fecit fulgentiſſimas: Ordinem autem Cherubin, ſuper quem requieſcit, fecit ſplendore ſapientiæ redimitum: ordinem verò Thronorum ſuperpulchris claritatibus fecit decorum: ſubſtantias quoque mediæ Hierarchiæ communione ſuæ ſuperdulciſſimæ diſtributionis adimplevit propter inferiores ſubſtantias, & animas ſurſum agendas.

B. Pulchrè ſiquidem per *ferculum Salomonis* prominens & ſuperiùs patulum *de lignis Libani* fabricatum Virginalis deſignatur gloria: quo ipſa ſuper omnes Angelicas Hierarchias eſt ſurſum acta & primò à DEO emanantium illuminationum ſuperadmirabiliter capaciſſima, & primò & principaliter receptiva. Propter quod ipſa dicitur *ferculum* ſive ſedes Domini: quoniam in ipſa plus quàm in omnibus ſupercœleſtibus creaturis Divina majeſtas & gloria ſuperfulget, quemadmodum nobis per Ezechielem prophetam luculentiſſi-
Ezech. 1. 26. mè reſeratur: *Super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo throni, ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper.* Quaſi dicat: ſuper Angelicam celſitudinem & firmitatem, quæ eſt ſuper omnem humanam intelligentiam, eſt excellentiſſima DEI Mater, cujus aſpectus ſimillimus eſt DEO inter Angelicas creaturas, ſicut aſpectus ſapphiri ſimillimus eſt cœleſti colori: & ſuper Thearchicam Virginem, quæ ſimillima eſt DEO omnium Angelorum reſpectu, eſt majeſtas Filii DEI ſupervenerabilis JEſu Chriſti, qui propter exceſſum fulgoris ſuæ ſuperſubſtantialis glorificationis quaſi ſimilis dicitur eſſe aſpectui hominis. Etſi enim & verè humanam naturam habeat, tamen ſic Divinitatis gloria perfunditur & Deificatur, ut quaſi plus Divinitatis quàm humanitatis habere reſpectum videatur.

Verè hoc eſt illud *ferculum* ſive thronus, de quo ipſe DEI Filius ſuperdulciſſimus JEſus Chriſtus loquitur per
Pſ. 88. 38. Pſalmiſtam: *Thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æter-* A. *num &c. Sicut ſol* autem intellige dictum, quoad Thearchicæ Virginis animam, quam omnis claritatis & charitatis & perfectionis plenitudinem adinſtar clari & calidi & rotundi & jocundi materialis ſolis non eſt dubium habuiſſe. Quod verò ait: *ſicut luna perfecta in æternum*, ad ipſius ſupercaſtiſſimum corpus eſt referendum; perfectiſſimis ſuperſplendens radiis ab ipſo vero lumine emanantibus decoratum à DEO, ut ad ejus ſuperadmirabilem refulgentiam omnes ſupercœleſtes ſpiritus hilareſcant, eò quòd ſupergloriofiſſimæ humanitatis Diviniſſimi JEſu *teſtis fideliſſimus* exiſtat in ſecula ſeculorum.

Unde ergo *de lignis Libani* hujuſcemodi ferculum dicitur fore factum: quia de incorruptibili corpore & flagrantiſſima anima ſuperabundantiſſimæ & ſupermundiſſimæ Virginis Mariæ Divinæ majeſtatis thronus eſt conſtructus. Quod ſi cuiquam hoc abſonum videatur, quod dicatur tam corpore quàm anima Virgo Thearchica glorificata, audiat, quid inde B. Dionyſius tradat de Divin. Nom. c. 3. *Quoniam*, inquit, *& apud ipſos DEO acceptos Hierarchas, quando & nos, ut noſti, & multi alii Sanctorum noſtrorum* C. *fratrum convenimus ad viſionem corporis vitæ principis, quod & DEum ſuſcepit (aderat autem & frater Domini Jacobus & Petrus ſumma & perfectiſſima Theologorum ſummitas) poſtea viſum eſt poſt viſionem, ut univerſi Hierarchæ laudarent, ſicut unusquisque ſufficiens erat infinitæ virtutis bonitatem Thearchicæ infirmitatis.*

Attendendum eſt igitur ex his verbis, quoniam nihil aliud eſt beatum Dionyſium cum aliis ſanctis fratribus Jacobo, Petro, ad viſionem corporis vitæ principis, quod DEum ſuſcepit, D. conveniſſe, niſi corporali aſſumptioni Divinæ interfuiſſe, quod & Andreæ Cretenſi Theologo viſum eſt, ſicut ejus ſuper hunc locum expoſitio teſtatur. Hæc itaque & Deificato animo de ſuperfeliciſſima Divinæ Matris corporis aſſumptione dixiſſe ſufficiat. Nam facillimè eam percipiet tam corpore quàm ſecundùm animam glorificatam, qui ſuam Deiſormitatem habuerit Deificatam.

Meri-

Meritò autem intellectualis noſter *Salomon* iſtius excellentiſſimi *ferculi columnas* feciſſe dicitur *argenteas* : quia dubium non eſt, Seraphicas ſubſtantias immediatè Virginali throno ſuperpoſitas per ſuperardentem amorem eſſe fulgentiſſimas, per indeſinentem Divinam laudem ſonoriſſimas, & per continuam DEI contemplationem firmiſſimas & rectiſſimas. Semper namque juxta ſupernaturalem Iſaiæ viſionem & B. Dionyſii aſſertionem Angel. Hier. c. 6. ante fin. reclamant illam laudabilem & venerabilem theoriam; *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus DEus Sabaoth &c.* Sed quid per hanc trinam laudationem intelligitur, niſi ipſorum ſuperbeatiſſima cognitio & contemplatio Trinitatis, per quam fiant firmiſſimi & rectiſſimi ad Divina patiendum & ſuſtinendum ita ardentiſſimi & in DEI laude indeficientiſſimi tam ad reſplendendum quàm ad harmoniam ſonoroſiſſimam promovendum?

A.

B.

Meritò ergo Seraphicæ ſubſtantiæ non ſolùm *columnæ* dicuntur propter firmitatem patiendi & rectitudinem contemplandi, ſed & *argenteæ* ob reſulgentiam clariſſimæ puritatis & reſonantiam ſuavisſimæ DEI laudis. Laudant verò non tam ſedentes in throno Virginalem gloriam prædicantes, quàm throni ipſius pulchritudinem admirantes, cujus ſeſſor DEus, columnæ Seraphin, *reclinatorium aureum* Cherubin. Sed quid per aurum convenientius intelligimus, quàm Divinæ ſapientiæ & ſcientiæ fulgorem, quo hic ordo in tantum præ cæteris ordinibus
Pſal. 79. 2. eſt inſignitus, ut in eo tanquam in *reclinatorio aureo* quieſcat DEus? *Qui ſedes,* inquit, *ſuper Cherubin*, id eſt: ſtabilem habens requiem in Cherub cognitivo per diſtributionem ſapientiæ. Nam ipſorum quidem cognitivum ſive diffuſionis ſapientiæ diffuſivum intellectuale quoddam eſt præſepe, in quo Divina ſapientia reclinatur.
Luc. 2. 7. *Et reclinavit eum in præſepio*, in quo nimirum DEI ſapientia JEſus Thearchisſimæ Virginis Filius quaſi primo intellectuali præſepio potiùs quàm alibi reclinatur: quia primò poſt Seraphin, Cherubin cognitio ſpecialiter infunditur. Sed quare hoc? Quia, inquit, *non erat ei locus in diverſorio*, id eſt: nullus aliorum ordinum ad ſuſceptionem diſtributionis ſapientiæ fuit convenientior. Nam, ùt tradit ſanctus Dionyſius Angel. Hier. c. 7. *Nomen Cherubin manifeſtat cognitivum ipſorum eſſe DEI inſpectivum, & ſupremæ donationis luminis ſuſceptivum & contemplativum, in prima operante virtute Thearchici decoris & ſapientifica diſtributione repletum.*

C.

D.

Quid verò per hujusmodi tam ſuperpulchri throni *aſcenſum purpureum* congruentiùs accipimus quàm ordinem Thronorum ſuperpulchris claritatum *& ſplendorum diſtributionibus intellectualiter coloratum & Deificè decoratum? Qui benè dicitur *aſcenſus*: quia ipſe primus eſt ordo in aſcendendo in tertia Hierarchia ſex diſtinctus gradibus, ùt tradit Theologia Regum, per quos iſtius ordi- 3. Reg. 10. 19.
nis ſignificantur ſex ſurſum activæ proprietates: quarum prima eſt ſublimitas contemplationis, juxta quod thronus regius in ſublimi eſt collocatus. Secunda verò DEI circumdatio, juxta quod thronus regius eſt regis contemplativus. Tertia eſt in DEum ſtabilis collocatio, juxta quod thronus firmiter ſtabilitur. Quarta eſt DEI ſuſceptio, juxta quod thronus eſt ſupervenientis regis ſuſceptivus. Quinta ipſius geſtatio, juxta quod thronus regis ſuſcepti eſt geſtativus. Sexta autem continua eſt operatio ad Divinas ſuſceptiones, juxta quod thronus regis ſurſum patulus eſſe minimè dubitatur. Iſtæ verò ſex proprietates per ſex gradus deſignatæ ſatis luculenter per B. Dionyſium deſignantur in Angel. Hier. c. 7. *Altiſſimorum*, inquit, *thronorum & elevatorum nominatio elevari* (ſupple: eos) *docet ab omni pedeſtri ſubjectione, & ad ſuperius ſupermundanè & ſtabiliter collocatum, Thearchici ſuperadventus in impaſſibilitate omni & immateriale ſuſceptivum & Deiferum & familiariter ad Divinas ſuſceptiones aptum.* Talibus profectò virtutibus Thronorum ordo quaſi quibusdam gradibus in Divinam ſe extendit continuè altitudinem, quibus & hauriunt Thearchicas diſtributiones, per quas velut Deifica *purpura* decoratur.

Quod ergo ait ſponſa noſtra: *aſcenſum*, ad ipſius virtutes eſt referendum, quibus mediantibus in DEum proficit. Quod verò ſubdit: *purpureum*, Divinis & ſuperpulchris diſtributionibus eſt attribuendum, quibus ineffabiliter decoratur. Sicut igitur per hoc, quod hic ordo intelli-

telligitur *aſcenſus*, ipſius ſupermentalis actio deſignatur circa DEum: per hoc verò, quod *purpureus*, ejus paſſio circa Divina notatur. Nam pulchrificè & copioſiſſimè Thearchicis diſtributionibus Angeli hujus ordinis perfunduntur. Verùm quia non ſolùm ſuperiores ordines Angelorum ſunt ad decorem & ornatum ſupergloriosiſſimi ferculi Salomonis, ſed etiam inferiores, ideo benè addit ſponſa, quòd *media ejus charitate conſtravit propter filias Jeruſalem.* Per *media* verò ipſa Herarchia inter primam & ultimam collocata intelligitur, quam DEus communione ſuæ ſuperamantisſimæ dulcedinis & ſuperſplendentis luminis adimplet, propter inferiores animas, per *filias Jeruſalem* deſignatas ſurſum agendas.

Hìc namque ſciendum eſt, quòd non tantùm Angeli ſuperioris Hierarchiæ per *columnas argenteas*, *reclinatorium aureum*, & *aſcenſum purpureum* ſuperiùs deſignati participant ignea virtute ſicut Seraphin, aut cognitiva ſicut Cherubin, & etiam DEI ſuſceptiva ùt Throni, ſed etiam mediæ Hierarchicæ ſubſtantiæ tantò copioſiùs, quantò per eas inferiores habent agi ſuperiùs. Nam per ipſas ſurſum aguntur inferiores ad Divinam contemplationem, ſecundùm quod unaquæque earum particeps eſt ſupercaſtæ purgationis ſuperpleni luminis & perfectæ perfectionis. Eſt enim Hierarchicæ legis, ut ſecundùm majorem purgationem major ſit illuminatio: & rurſus ſecundùm ampliorem illuminationem Divinorum major ſit perfectio. Sic ergo *propter filias Jeruſalem*, id eſt: inferiores ſubſtantias & Deiformes animas viſioni pacificæ mancipatas *media* ſubſtantiæ *charitate* complentur, hoc eſt: ex medio * DEI amore Divinis & amativis aut charitativis ditantur diſtributionibus ad eas ſurſum agendas & promovendas. Itaque ſponſa noſtra Thearchici throni pulchritudinem juxta poſſibilitatem propriam explicata ad contemplationem ſui ſeſſoris ſuperbeatiſſimi, & ſuperdulciſſimi Crucifixi Deiformes animas exhortatur dicens:

* f. mero.

℣. XI. *Egredimini, videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis ejus, & in die lætitia cordis illius.*

Ac ſi dicat: ô animæ ſpeculationi cœleſtium inſudantes, extra vos ipſas gradiamini ſuper vos aſcendentes, & claro intuitu contemplantes imperioſiſſimum & quietiſſimum ſponſum veſtrum in honorificentia humanitatis, qua decoravit eum Mater Deigena Virgo in claritate ſupermentalis unitionis, & in ſplendore lætabundæ conceptionis.

Pulchrè ſiquidem Deiformis ſponſa animas cœleſtium contemplationi deditas adhortatur ad *egrediendum* extra ſuæ mortalitatis confinia, ut ſic claris obtutibus valeant contemplari imperioſiſſimum & ſuperquietiſſimum ſponſum ſuum clariſſime refulgentem in honorificentia perfectæ humanitatis, per *diadematis* pulchritudinem & rotunditatem deſignatæ. Si tu quæris, quis hoc tam inſigne perfectum egerit: utique Thearchica Virgo, eſt reſpondendum, quæ tam honorificentiſſimæ & perfectiſſimæ humanitatis *diademate* ſuperdulciſſimum JEſum DEI & ipſius Unigenitum Filium *decoravit*. Vis ſcire, quando? Sanè *in die deſponſationis illius*, hoc eſt: in claritate ſupermentalis unitionis ipſius Filii DEI ad ipſam Virginem. Sed quia hoc ſolum eſt ei privatim, ideo benè ei ſubjungitur:

In die lætitia cordis illius.

O viſcera virginalia Thearchici ſpiritus ſuaviſſimis diſtributionibus irrigata, virtutibus obumbrata, ad DEI ſuperadventus ſuſceptionem dulciformiter præparata, quibus vos exiſtimabo intellectualibus gaudimoniis & exultationibus & lætitiis exultâſſe in hora ſupermentalis unitionis & Divinæ contemplationis. Revera tunc ô ſuperdulciſſima Mater DEI noſtrum pacificum honorifico & perfectiſſimo humanitatis *diademate coronâſti*, talemque ſacroſanctæ Trinitatis præſentem habuiſti hoſpitem, nuptiale convivium celebrâſti, per quod cœleſtia & terreſtria ſatiâſti torrente tuæ Thearchicæ voluptatis. *Egredimini* ergo *filiæ Sion*, ad Solem, Stellæ filium, contemplandum, ſuperpulchro humanitatis *diademate coronatum, quo coronavit eum Mater* ſuperangelicæ puritatis in ſuperſplendenti fulgore ſuſceptæ Divinitatis, ut ſic de ſuperamabili Jeſuitatis noſtræ parentis contemplatione,

platione, id eſt: Mariæ Genitricis JESU A. ſpeculatione ſurſum feramur ad ſuperſanctam Divinitatis noſtri creatoris cognitionem &c. Sequitur

CAPUT IV.

℣. 1. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!*

QUoniam ſecundùm intimam ad DEum inhærentiam tantò facta eſt ſponſa noſtra formoſior, quantò magis ipſi ſuperpulchro dilecto conjunctior per amorem, & propinquior per Divinorum contemplationem; ideo ipſe ſponſus ejus admirans vehementer pulchritudinem ſic eam alloquitur: *quàm pulchra es!* Quod eſt dicere: valde admirabili viges venuſtatis refulgentia propter inſeparabilem mei amoris inhæſionem & ſuperdulcem meæ contemplationis fruitionem.

Nam major amoris communicatio & intenſior fruitio Divinorum majorem parit in anima refulgentiam radiorum. Unde meritò ſponſa eò *pulchra* dicitur, quo amore ardentior, & *pulchrior*, quò fruitione ſuavior. Quaſi diceret ei ſponſus: ob hoc tua pulchritudo eſt mihi admirabilis, quia tui amor à me inſeparabilis. Ob hoc autem tam admirabilis, quoniam ad mei fruitionis revelationem eſt inæſtimabilis. Pulchritudinem igitur ſponſæ non tam facit ſuæ mentalis puritatis claritas, quàm ſui dilecti amoris & fruitionis ſuperſuavis ſuavitas, qua quidem quanto copioſiùs perfunditur, tantò ad Divinorum aſpectum ſubtiliùs ſimplificatur. Unde ſubdit:

Oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet.

Ac ſi dicat: reſpectus tui in Divina ſimpliciſſimi ſunt abſque occultiſſimis eorum intellectibus.

Si enim ſponſæ contemplationes ſive obtutus commendantur, quid de ſecretiſſimis objectis eſt judicandum? Nam Divinorum contemplationes nihil aliud ſunt, quàm quædam Divina ſigna, per quorum viſionem judicat intelligentia Deiformis de ſacroſanctis ſignatis: quoniam intellectuales oculi ſive virtutes contemplativæ plus ex ſecretis & occultis Divinorum ſignatorum elevantur & afficiuntur, quàm ex ſignorum pulchritudine delectentur. Unde ergo *oculi* ſponſæ *columbini* dicuntur *abſque interioribus*? Quia ſi ſit pulchra & ſimplex viſio intellectualium ſignorum, pulchrior tamen & ſimplicior eſt *intrinſecus* latitans intellectus Divinorum ſignatorum, & profundiùs in DEum trahens Deiformem intelligentiam. Hinc eſt, quod Divinus Dionyſius ait de Div. Nom. c. 1. ante med. *Nunc autem propriis quidem ad Divina ſignis utuntur, & ex iſtis rurſus ad ſimplicem & unicam & intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter extenduntur,* B. *& poſt omnem ſecundùm nos Deiformem unitionem ſedantes noſtras intellectuales operationes ad ſuperſubſtantialem radium, ſecundùm quod eſt fas, immittuntur.*

Attendendum eſt ex his verbis, beatum Dionyſium innuere, quòd, ſicut per umbratica ſigna manuducuntur ad intellectualia, quæ ſunt ſigna ſignorum Divinorum: ſic rurſus per iſta ad Divina fit aſcenſus, quæ ſignata ſunt intellectualium, ultra quæ non eſt procedere: quoniam in ipſis omnis viſio, ùt ſupra dictum C. eſt in illo verſiculo; *tempus putationis advenit.* Quia verò ſponſæ cognitiones ſicut ſunt ſimplices & occultæ, ſic inveſtigabiles & innumeræ, ideo ait ſponſus:

Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.

Ac ſi dicat; inveſtigabiles & innumeræ tuæ cognitiones ſunt, ſicut multitudo Theoriarum à multitudine Divinæ altitudinis emanantium, & in eandem ſe experimento præhabito colligentium.

Ad locum enim, unde exeunt flumina, revertuntur. Eccle. 1. 7. Hoc eſt: Divinorum co- D. gnitiones per diſtributionem ad eundem revertuntur per ſurſum actionem, ùt tantò copioſiùs ex pelago lucis inacceſſibilis fluant, quantò rapidiùs & ferventiùs in id ipſum dilabuntur, ut luculentiùs effluant. Quid ergo per ſponſæ *capillos* accipimus niſi ipſius ſubtiliſſimas & inveſtigabiles cognitiones à fonte ſive à capite luminis emanantes? Quid verò eſt iſtos *gregibus caprarum* aſſimilari niſi eaſdem in multitudinem Divinarum theoriarum transmutari?

Quæ benè dicuntur *de monte Galaad aſcendiſſe*: quia dubium non eſt de alti-

tudine experientiæ proveniſſe, ad quem A.
eò avidiùs revertuntur, quò ſatius ejus
virenti pabulo depaſcuntur. Unde &
Job. 39. 11. Job de Onagro dicit, per quem intelle-
ctus theoricus deſignatur: *Circumſpicit*,
inquit, *montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæ-
que perquirit*. Ac ſi dicat: dum intelle-
ctus Deiformis in ſuis exercetur theoriis,
in altis experientiis, quibus depaſcitur,
ſe extendit, & dum inter eas aliquas me-
liores & pretioſiores invenit, in illis diu-
tiùs commoratur, & frequentiùs exerci-
tatur. Sed quoniam ſponſa noſtra non
ſolùm habet virtutes luminum Divinorum
cognitivas, ſed & delectabiliter examina- B.
tivas, ideo ſubjungitur:

ỳ. II. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ
aſcenderunt de lavacro.*

Quod eſt dicere: virtutes tuæ Di-
vinorum nutritivorum proventuum de-
lectabiliter examinativæ ſunt, velut glo-
bus ſimplicium ſubſtantiarum multipli-
citer purgatarum, quæ, inquam, deſuper
mundisſimo Divini luminis pelago mun-
disſimæ reſulſerunt.

Nam ſicut *dentes* in Angelis, ùt ait
Dionyſius Angel. Hier. c. 15. ſignificant C.
ipſorum *diviſivum indita nutritiva perfe-
ctionis*, id eſt: virtutem ſegregandi par-
ticipationem proprii luminis ſine ali-
qua ſui diminutione ad communican-
dum inferioribus: ſic non incongruè in
anima Deiformi ſignificant Divinorum
luminum examinativum attractivum, vel
etiam ſegregativum, ùt in ſubſtantiis Di-
vinis. Non enim ſufficit ſuſcipere Divi-
nos proventus, niſi & ipſi ſingulariter &
delectabiliter atterantur ſive examinen-
tur, ut tantò ſit ipſorum nutritio efficacior,
& ſuavior delectatio, quantò moroſior & D.
avidior fuerit ipſorum intellectualis ma-
ſticatio: ſic quod poſtmodum minoribus
perfici volentibus participationem no-
ſtrorum luminum Angelicè dividamus.
Nam, ùt ibidem ſubjungit Dionyſius,
*unaquaque ſubſtantia intellectualis datum
ipſis ad Diviniorem uniformem intellectum
proviſiva virtute dividit & multiplicat ad
indigentioris ſurſum activam proportio-
nem.*

Hæ autem virtutes non immeritò
*gregi tonſarum, quæ de lavacro aſcende-
runt*, aſſimilantur: quia nimirum eò
abundantiùs & copioſiùs repurgantur,
quò recentiùs in lavacro lucis ſupermun-
danæ balneantur, ſive à luminis fulmine
radiantur. Quæ quidem irradiatio nihil
aliud eſt, quàm quædam de intellectuali
lavacro aſcenſio. Nihil ergo aliud eſt
ovium attonſio niſi virtutum mundisſima-
rum purgatio, quæ fit per majus Divini
amoris incendium. Hinc eſt, quod ait
Iſaias: *Volavit ad me unus de Seraphin*, Iſa. 6. 6.
id eſt: una ſubſtantia de ordine inflam- & 7.
matorum: *& in manu ejus calculus candi-
dus*, id eſt: Divini amoris candidisſimus
igniculus: *quem forcipe tulerat de altari*:
quia illud forte deſiderium de reveren-
tia & copia Divini amoris & ardoris hau-
ſerat: *& tetigit os meum*, quod quidem
tangere fuit purgare. Sed quid per os
ciborum materialium ſuſceptivum & di-
viſivorum dentium contentivum niſi vir-
tutes ſuſceptivas & participativas Divini
nutrimenti intelligimus? Quæ benè à
Seraphin calculo tanguntur: quia Deifi-
cè per Divini amoris incendium repur-
gantur. Quis autem ſit fructus harum
ovium tonſarum ſive virtutum purgata-
rum, ſequitur:

*Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt
inter eas.*

Quod eſt dicere: univerſæ ſunt in
Divino amore & lumine perfuſæ quaſi
gemino fœtu, & ad hoc ipſum inferio-
res alias generantes, ut ſicut à ſuis ſupe-
rioribus generantur per purgationem,
illuminationem & perfectionem: ſic ipſæ
ſibi ſubjectas generent per ſurſum actio-
nes.

Quia verò quantò ad ſuperius ſur-
ſum agunt, & ſurſum aguntur, tantò plus
in ſuis virtutibus pulchrificantur, ideo be-
nè ſubjungitur:

*Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium
tuum dulce.* ỳ. III.

Id eſt: virtutes tui ſecreti expresſiſ-
ſimæ, ô ſponſa, ſunt rubedine claritatis
perfuſæ, & ob hoc ipſarum expresſio eſt
dulciflua.

Habet namque Deiformis anima
virtutes ſcilicet Deificæ concupiſcentiæ
effectivas & expresſivas, quæ tantò pul-
chriùs charitatis ardore rubeſcente colo-
rantur, quantò ipſius animæ deſiderium
fervidiùs exardeſcit, per quod compelli-
tur

tur quaſi quadam *vitta* intellectualiter A. 1. Cor. 6. 17. ſuæ ſummæ virtuti adhærere. *Qui enim adhæret DEO, unus*, inquit, *ſpiritus eſt.* Hæc autem adhæſio fit mediante *vitta coccinea*, id eſt: deſiderio inflammato, per quod ſummo bono copulatur anima Deiformis, & ipſi inſeparabiliter unitur.

Intexitur autem hæc vitta triplici filo, ſcilicet puritate animi, ardore deſiderii, & frequentia mentalis exercitii. Benè ergo intelligibilium ſponſæ labiorum *eloquium dulce* dicitur, quòd ejus intima luce ſunt perfuſa. Ex abundantia enim dulcisſima emanant. Sed quod eſt hoc B. tam dulce ſponſæ eloquium niſi ejus cum ſponſo privatum quoddam colloquium, & eò nitet dulcius, quò privatius? Quia verò non ſolùm per ſecretam DEI collocutionem & viſionem contrahit ſponſa abundantiam Divinæ dulcedinis quoad intima, ſed etiam ſanctæ pulchritudinis quoad exteriora, ideo ſequitur:

Sicut fragmen mali punici, ſic gena tua abſque eo, quod intrinſecus latet.

Quod eſt dicere: ſicut ſingularis aliqua viſio ſecreti Deifici: ſic virtutes tuæ exteriùs apparentes, abſque eorum de- C. lectationibus ſoli DEO patentibus.

Hìc enim ſanè ſciendum eſt, quòd, dum anima Deiformis per ſurſum actionem mentalium operationum ad Divina ſe erigit intuenda, ipſi Divino radio unitur (quid per malum punicum intelligitur) & Divinum ſecretum ei aliquod aperitur: ad ſua verò rediens ſtudet exteriora ſua Divinis viſionibus conformare, ut cum Divino Paulo *revelata facie*
2. Cor. 3. 18. Divinis viſionibus quaſi quibuſdam fragmentis mali punici contemplatis *in eandem eorum imaginem* ſive ſimilitudinem *transformetur*. Nam, ùt ait Divina Theo- D.
Eccle. 7. 1. logia, *ſapientia hominis lucet in vultu ejus.* Hinc eſt, quòd ſanctus Moyſes, cùm à Divina viſione deſcendiſſet, ejus *facies*
Exod. 34. 29. *cornuta* apparuit, quod nihil aliud eſt, niſi Divinæ claritatis refulgentia, quæ ſicut eum totum interiùs perfuderat ex Divino conſortio, ſic ejus in facie ſive genis refulgebat, ſive reſultabat. Et in Deifica Virgine poſt Divinam ſuſceptionem non eſt dubium fore factum. Nam ex plenitudine ſuſcepti ſplendoris exterior ejus facies gratioſisſima radiabat, ut conceptus Thearchici radu ſive JEſu Diviniſſimi manifeſtisſimè demonſtraretur. *Lux* Eccli. 50. 31.
enim Divina veſtigium hominis eſt, id eſt: lux Divina per genas ſacroſanctæ matris ſe diffundens erat oſtendens manuductiones in cognitionem DEI, qui inter viſcera Deifica latitabat. Confidenter igitur beatam Virginem alloquamur & dicamus: *ſicut fragmen mali punici*, ſicut ſplendor Divini Filii de monte ſine manibus abſciſſi; *ſic gena tua* Divinis ſplendentes ſplendoribus coloratæ: *abſque eo, quod intrinſecus latet*, hoc eſt: excepta ſuperdulci ſuavitate, & ſuperclara luminoſitate, qua frueris intrinſecus inceſſanter, quam impoſſibile eſt enarrare. Plena ſiquidem eſt domus tua majeſtate DEI: & ideo exteriùs ſe diffundit, non quaſi impotens ad ſe coartandum, ſed velut benefica ad ſui & tui gloriam demonſtrandam.

Sed quid ſibi vult in anima Deiformi, quod ait: *abſque eo, quod intrinſecus latet?* Quia videlicet pulchritudo animæ per Divinam lucem ſibi infuſam nunquam *in genis* ſive in facie illuceſcit, quantum intrinſecus eluceſcit, ſplendeſcit & dulceſcit. Quoniam autem ſecundùm quod Divinorum major eſt revelatio, ſive bonorum interiùs latentium, tantò fit intelligentiæ luculentior contemplatio, ideo benè additur:

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. ℣. IV.

Ac ſi dicatur: ſecundùm eminentiam Divinæ contemplationis ſic extenſio tua in DEum: quæ quidem contemplatio eſt diverſis plena ſpectaculis.

Nam intelligentia tam Angelica, quàm humana ſecundùm viſa modificatur, ut ſecundùm quod viſum & objectum Divinum ſit altum, ipſa etiam in altum ſe extollat, vel potiùs virtute objecti tollatur, ex quo fit, ut Divina lux, dum ab ipſa intelligentia altiùs elongatur, per ipſius ſuperattractivam virtutem ipſa intelligentia ampliùs ſublimatur. Unde Pſalmiſta: *Accedet homo ad cor altum*, Pſal. 63. 7.
id eſt: ad altam intelligentiam & experientiam Divinorum: & ſic *exaltabitur DEus*, id eſt: ipſa Divina altiùs ab intelligentia elongabunt, ut per hoc ipſa magis ac magis exaltetur, & *turri David* ſive excellentisſimæ Divinæ com-

con-

contemolationi conformetur, quæ idcirco benè dicitur *ædificata cum propugnaculis*: quia ipſa Divinæ lucis alta ſpeculatio variis ſpectaculis & viſionibus eniteſcit.

Ezech. 10. 12. Hinc eſt, quòd Ezechiel vidit *animalia plena oculis*, per quod Deificarum viſionum varia contemplatio figuratur. Nam in una luce Divina plures poſſunt contemplari, & plura intelligibilia, & ſimiliter in pluribus contemplationibus diverſa objecta intueri valent, ſicut ait ſanctus Dionyſius de Divin. Nom. 5. c. ad fin. *Si multorum participantium cauſas unus Sol in ſeipſo uniformiter præaccepit, multò magis in cauſa & ipſius & omnium: præexiſtere exercitiorum exemplaria ſecundùm unam ſuperſubſtantialem unitionem eſt concedendum.* Exemplaria autem in DEO dicit exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia prædiffinitiones vocat & Divinas & bonas voluntates exiſtentium determinativas & effectivas, ſecundùm quas ſuperſubſtantialis exiſtentia omnia prædiffinivit & produxit.

Liquet igitur ex his verbis, quia *turris David* dicatur *cum propugnaculis ædificata*: quoniam ipſa lux increata ſuper omnem altitudinem elevata in multis viſionibus & intelligentiis & rationibus eſt munita. Sed quia iſtius altæ & beatæ lucis contemplatio eſt totius perfectionis adeptio, ideo ſubditur:

Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Quod eſt dicere: perfectio omnis virtutis tam agentis quàm patientis ùt propugnantis ex ipſa eſt.

In Divinæ namque lucis alta contemplatione non ſolùm meretur anima muniri *clypeo* fortiſſimæ claritatis, ſed etiam *armari* & amiciri lumine veritatis, quibus potens ſit contra ſpirituales nequitias in cœleſtibus triumphare, nec non in oppugnatione Divinarum munitionum ſtrenuè ſe habere. Non enim eas capiunt niſi per virtutem animi violenti & armis lucis communiti.

In *mille* ergo *clypeis ex Davidica turre pendentibus* iigniti amoris perfecti motus intelliguntur ex altitudine Divinæ ſpeculationis ſcintillantes, ex quibus *armatura fortium* fabricatur. Unde ſequitur:

A. *Duo ubera tua ſicut duo binnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.* ỹ. V.

Donec aſpiret dies & inclinentur umbræ. ỹ. VI.

Quod eſt dicere: duæ virtutes tuæ, videlicet motiva & cognitiva diſtributionem dulcedinis & luminis continentes, ſunt velut motus bini & coævi intelligentiæ Deiſormis animæ, quæ pulchris intellectibus delectantur & depaſcuntur, donec perfecta DEI cognitio rutilet, & omnia velamina deponantur.

B. Vide, quoniam virtutes ſponſæ Divinarum dulcedinum & illuminationum receptivæ & propinativæ *duobus binnulis capreæ gemellis* comparantur, per quod duo motus Deiſormes Cherubin ſignificantur, videlicet intellectus & affectus vel affectio. Qui benè *gemelli* coævi dicuntur: quia dum intelligentia movetur in DEum, aut Divinum aliquid contemplatur, non eſt priùs affici quàm intelligere, nec priùs intelligere quàm affici, ſed ſimul & ſemel intelligit & afficitur: quoniam intellectus Thearchicus plenus eſt affectionibus, & affectus Deiformis intelligentiis eſt imbutus.

C. Hinc eſt, quòd ſanctus Dionyſius invenitur dixiſſe: *Sicut videntibus lumen*, ait, *& ſicut guſtantibus lumen & magis deſiderantibus*, per hoc ipſum ſignificans germanitatem & gemellitatem guſtus & viſus, ſive affectionis & cognitionis. Nam ſimul & ſemel ſunt, & alter alterius utitur objecto. Quomodo enim affici potes ſine intellectu, aut quomodo intelligere Divinum quid vales ſine affectu? Non enim lumen intelligentiæ, quod objectum eſt intellectus, ſine dulcedine, nec rurſus dulcedo, quæ objectum eſt

D. affectus, ſine lumine: & ideo, dum illud ſplendeſcit, ſtatim dulceſcit, & dum illud dulceſcit, ſtatim ſplendeſcit. Non immeritò ergo talibus *binnulis* aſſimilantur *ubera* ſponſæ noſtræ: quia nunquam carent dulcedine illuminante, aut lumine delectante. Sed quid ſibi vult, quod ait:

Qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.

Quia profectò intellectus & affectus Deificati uſque eò pulcherrimis intendunt theoriis, donec claram DEI cognitionem

tionem & experientiam conſequantur o- A mnibus ænigmatibus & velaminibus expulſis & propulſis. Unde eſt, quod Dionyſius Eccle. Hier. c. 3. tam dulcoribus quàm ſplendoribus commemoratis * in Divinas ſe promovens contemplationes, ajebat: *Diviniſſima & ſancta perfectio! Circumpoſitis tibi ſignificativè velaminibus ænigmatum diſcooperta ſplendidè nobis demonſtrare, & intellectuales noſtras viſiones unitivo & diſcooperto lumine adimple.* Igitur ſponſo ſponſam ſuam à longe commendante propiùs accedere proponit, ut eam tantò ſuaviùs alloquatur, quantò clariùs ipſa per ejus præſentiam decoratur, B. Unde ait:

* Cod. commoratus.

Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.

Ac ſi dicat ſponſus: greſſus meæ conſiderationis figam ad magnitudinem mortificationis & ſublimitatem orationis ſponſæ, ubi frequentiùs commoratur. Cùm enim ſancta mortificatio corporalis ſit quædam habilitatio ad animæ ſubtiliationem, pinguis verò oratio & fervens ſit ſtimulus ad ſurſum actionem, neceſſe eſt ſponſam jugiter tam in *monte myrrhæ* quàm in *colle thuris* demorari, ut eò ſit ſimplicior mentalis ſubtiliatio ſive purificatio, C. & activior ſurſum actio, quò mortificatio fuerit perfectior, & oratio fuerit ferventior, quod in vertice Apoſtolorum Petro legimus. Nam cùm *in ſuperiora* domus aſcendiſſet *ad orandum*, circa horam ſextam cœpit eſurire, ita ut guſtare vellet. *Parantibus autem illis cecidit ſuper illum mentis exceſſus*, & vidit viſionem DEI. Per aſcenſum ergo in ſuperiora domus ad orandum intellige directionem Deiformitatis ad contemplandum: quam parit eſuries, id eſt: mortificatio corporalis, quæ vigorem animæ non modicum in- D. troducit, ita ut extaſim patiatur, hoc eſt: de *monte myrrhæ in collem thuris* transferatur, ac per hoc Divinam viſionem mereatur. Qualiter autem ſponſus inventam ſponſam in his montibus alloquatur, audiamus:

Act. 10. 9. & 10.

℣. VII. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

Quod eſt dicere: totaliter es Divino amore à lumine decorata, & irradiata, ita ut nullus in te pateat locus ignorantiæ materialis: ubi fulget radius tam ſuperclari luminis.

Hoc autem nobis per illam Divinam & bonam viſionem ſancti Johannis innuitur. Vidit enim mulierem amictam ſole & lunam ſub pedibus ejus. Sed quid per mulierem ſole veſtitam & lunam ſub pedeſtri ſubjectione conculcantem niſi dilecti dilectam Divinis luminibus & amoribus Deificè redimitam & tenebrarum defectum penitus ſuppeditantem (intelligimus)? Quid niſi ſponſus cum ſponſa eisdem veſtibus induatur? Ipſe quippe amicos luminis veſtire vult veſtimento. Et hoc dicitur per Prophetam. O felix anima tuo ſponſo tam nobiliter conformata, ut in eodem ſpiritu cum eo communices & amictu! Nunquid tu ſimilaginem puritatis, mel ſuavitatis, & claritatis oleum comediſti, quia tota ſic pulchra es & tam vehementer, ut in regnum proſeceris veſtita diſcoloribus, & beatitudinis diademate coronata, & ſtola viduitatis exuta? *Tota*, inquit, *pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ac ſi diceret: totaliter es Deiformis ab omni humana diſſimilitudine purgata. Ideo aptè ejus ſubjungitur vocatio, cujus purgatio tam feliciter commendatur. Ait enim.

Apoc. 12. 1.

Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. ℣. VIII.

Quaſi dicat: de purgatione vel candidatione humana ad Angelicam per effectum purgativæ, illuminativæ, & perfectivæ virtutis exurge.

Notandum quippe eſt, duplicem eſſe purgationem aut candidationem, videlicet humanam & Angelicam, quarum prima eſt maculæ ablatio, ſecunda * eſt Divini occulti revelatio. Benè autem dicitur: *veni de Libano* trina vocatione interpoſita; quia videlicet humana purgatio alia activa eſt, alia paſſiva, ſicut & Angelica, ad quam impoſſibile eſt ſuſcitari, niſi per adminiculum purgantis, illuminantis, perficientis Divinæ virtutis. Unde & ob hoc tripliciter ei dicitur: *veni*, ac ſi ei dicatur: ſi puritatis Angelicæ habere vis principium, *veni* purgata, *veni* illuminata, *veni* Angelicè perfecta.

* Cod. ſecundum.

Hæc autem inter hanc triplicem virtutem Angelicam ſalva reverentia melioris intelligentiæ talis eſt differentia, quanquam aliam aſſignaverimus: quoniam purgatio dicit receſſum ab ignoto, illuminatio verò acceſſum ad cognitum, perfectum verò ejuſdem cogniti intellectum & com-

& comprehenſionem, per quam amplius intellectus Angelicus in Divinam aſſurgit ſimilitudinem & perfectionem. Quia verò harum ſanctarum trium virtutum diſtributio gradatim ab omnibus emanat Ordinibus Angelorum, ideo ſubjungitur:

Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

Ac ſi dicat: tu perfectè perficieris ex pulchris & ſuperabundantibus diſtributionibus, pullulantibus de altitudine primæ, mediæ, & ultimæ Hierarchiæ.

Nam per *caput Amana, verticem Sanir*, & *Hermon* ſuperabundans primi, B. ſecundi, & tertii Ordinis Angelorum arcana virtutum intelliguntur. Amana quippe *populi gratificatio*, Sanir *DEus luminis*, Hermon *anchora mœroris* interpretatur, per quod Angeli per ſuum miniſterium animas DEO gratificantes, Archangeli quæque eximia revelantes, Virtutes per miraculorum * ſalvandas animas à triſti maligni ſpiritus dominio ſeparantes intelliguntur. Horum autem Ordinum nobilis abundans diſtributio, quæ per *caput & verticem* figuratur, non à ſeipſis, ſed à media Hierarchia, quæ ipſis eſt ſuperior, ſuperrefulget, C. quæ non immeritò per *cubilia Leonum* deſignatur: quoniam ipſa inter primam & ultimam Hierarchiam quaſi in quodam antro & abdito eſt quietiſſimè collocata & ſtabilita. Benè ergo per *cubilia Leonum* ſuperquietiſſimæ ſtationes medii Ordinis Angelorum exprimuntur: quod etiam per leonina eorum nomina declaratur, quæ ſicut ſuis inferioribus quaſi propriis catellis tradunt de fortiter acquiſita venatione Divinorum, ſic eandem recipiunt à ſuperioribus ſuis abundanter. Pulchrè autem *montibus Pardorum* ultima Hierarchia DEO aſſiſtentium Angelorum D. comparatur: quoniam ipſi ſicut excellentiſſimè, ſic & diverſimodè donis infra poſitorum ſpirituum ſunt ornati. Hinc eſt, quod tradit B. Dionyſius Angel. Hier. c. 12. *Dicimus, quod ſecundùm omnem ornatum ordines quidem ſupergreſſi ſunt & ſubjectorum ornatuum illuminationem & virtutes: non participes autem ſuperpoſitarum ſunt poſtremi.* Vide, quoniam per hoc, quod ait: illuminationes & virtutes, notat dona tam indita quàm ſuperaddita, ſive paſſiva & activa, quæ immediatè ipſis emanant à ſuperfontali Thearchica bonitate excellentiſſimè, id eſt: diverſimodè. Quia

* Locus corrupt.

A. ergo perfecta Divinorum donorum & luminum diſtributio derivatur à plenitudine ſecretiſſima Deitatis per alveos Angelicæ puritatis in totam puriſſimæ, ſubtiliſſimæ ſponſæ Deiformitatem, ideo aptè ſubinfertur:

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum & in uno crine colli tui. ℣. IX.

Quod eſt dicere: amabilia ſecretorum meorum penetraſti clariſſima & dilecta mea per virtutem tuæ intentionis ſimpliciſſimæ & Deiformitatis unitiſſimæ & ſubtiliſſimæ.

Siquidem nihil aliud eſt *ſororem & ſponſam*, id eſt: ſanctam animam ſibi per dilectionis confidentiam & amoris excellentiam unitam, *cor* ejus his *vulnerare*, niſi ſuperamabilis Divinitatis ſecreta penetrare, & eorum intelligentiam per intentionis puritatem & Cherub mentis ſimpliciſſimā ſubtilitatem, & ſubtilem ſimplicitatem ſibi vendicare. Quid enim *in uno oculorum* ſponſæ, niſi ejus mentalis puritas: quid verò *in uno crine colli* niſi ipſius intelligentiæ in Divina ſe extendentis penetrativa ſubtilitas intelligitur? *Non enim eſt ad unum congregari*, ut ſanctus tradit Dionyſius Eccl. Hier. c. 3. *& pacifica unione unius participare ad ſe ipſos diviſos* Ideo non ſola mentis ſimplicitate, ſed etiam contemplativa bonitate, hoc eſt: in Divino radio vivificata intelligentiæ ſubtilitate opus eſt Divina ſecreta penetrare, & ipſorum amabilem intelligentiam ſibi vendicare, quatenus à dilecto audire mereatur, quod ſequitur:

Quàm pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa! ℣. X.

Quàm ſupercandidiſſimis ſecretis Divinorum intelligentiis tua cognitio, quàm ſuperdulciſſimis experientiis tua affectio decoratur ó anima reverenter diligens, & diligendo revertens!

Hic namque ſanè notandum eſt, quoniam *mammarum* ſororis ſponſæ pulchritudo eſt Divinæ diſtributionis plenitudo, quæ ſicut ex ſuperfluentibus radiis intellectualibus eſt cognitionis illuſtrativa, ſic ex ſuperdulcifluis guſtibus eſt affectionis ſuavificativa, ex quarum Divino ſymbolo reſultat miræ pulchritudinis & dulcedinis harmonia. Magna quidem germanitas & affinitas eſt inter mentis cognitivum motum & affectivum, ùt ſuperiùs, ſicut nobis poſſibile fuit, explicavimus. Contentiva nempe ſunt

lacte

lacte Divinæ influxionis non tam candidiſſimè quàm ſuperdulciſſimè perfundentis & diſponentis, cujus abundans plenitudo mammarum ſororis ſponſæ dilecti admirabilis eſt pulchritudo, ita, ut tunc ſolùm dicantur *pulchræ*, quando plenæ. Quantò verò pleniores, tantò utique pulcriores, ſicut in materia ſolaris radii videre eſt ſuſceptiva, quæ * nimirum quantò luculentius ipſa * perfunditur, tantò pulchriùs decoratur, adeo ut inter pulchritudinem refulgentem & radium lumen perfundentem non ſit medium invenire. Quàm autem pulchræ ſunt mammæ ſponſæ, repetit dilectus, & amplius addit. Unde ſequitur:

* Cod. qui. * Cod. ipſe

Pulchriora ſunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Luciſluæ magis & dulciſluæ ſunt intelligentiæ & affectiones tuæ quantalibet devotione ex materialibus exurgente, & fragrantia tuarum intelligibilium diſtributionum omnium materialium ſpecierum vincit ſuavitatem.

Si enim duo hæc objiciantur materialibus ſenſibus, videlicet lac in uberibus, & vinum in vitris, nonne vinum pulchrius apparebit uberibus? Nunquid non clamat Theologia: *Ne reſpicias vinum, cùm ſplenduerit in vitro?* Quomodo igitur ſponſæ ubera pulchriora? Siquidem ſi materialiter hoc dicatur, non benè quidem infertur. Quia verò ſpiritualiter examinatur, ſpiritualis eſt intelligentia requirenda. Quid enim per lac in uberibus niſi lux intellectui & dulcedo affectui ſponſæ diſtributa: quid autem per vinum in vitro, niſi ſuavis & fervens devotio de materiali aliquo ſpectaculo conſtituta? Tantum revera inter hoc differt, quantum inter lucem & tenebras, mel & abſinthium. Quid namque pulchrius Divino radio intelligentiam perluſtrante? Quid ſapidius Divina dulcedine affectionem totaliter perfundente? Ut enim ſanctus ait Dionyſius Eccle. Hier. c. 4. *Immaculati ſunt DEI & occulti ſuper mentem benevoleuies decores, & intelligibiliter manifeſtantur ſolis ſanctis, conformes habere volentes ſecundùm virtutem incorruptas imagines.*

Prov. 23. 31.

Unde meritò *pulchriora ſunt ubera ſponſæ vino*: quia ipſorum pulchritudo ſive plenitudo non materialiter ſed intelligibiliter exhauritur, ex qua velut ex quibuſdam *unguentis optimis* inenarrabilis emanat fragrantia ipſi menti omnem ſuperans ſuavitatis odorem, id eſt: cujuſcunque materialis contemplationis odoriferam ſurſum actionis explanationem. Unguenti enim perfectiva unctio benevolentem facit perfectum, ùt ait Dionyſius Eccle. Hier. 2. c. ad fin. Nunquid enim tantum elevamur per quantumcunque pulchræ materialis contemplationis olentem ſurſum actionem, quantum attrahimur per virtutem fragrantiæ Divinarum diſtributionum, quæ intellectualibus Deiformibus reddunt dulciſſimas fragrantias, in quibus & mentes ſuaviter delectatæ illectionibus contendunt contemplationibus quaſi divinitus ſuſcitatæ ad currendum in odore horum intellectualium unguentorum? Hujus autem ſancti odoris diſtributio tantò utique eſt copioſior, quantò intellectus fuerit Deiformior. Hinc eſt, quòd per B. Dionyſium (traditur) Eccle. Hierar. c. 4. ante med. *Eſt autem*, inquit, *ut reor, manifeſtum, quòd ſubſtantiis, quæ ſunt ſuper nos, ſicut Divinioribus fontani boni odoris redditio propinquior, & ſe ipſam magis manifeſtat & diſtribuit ad Deiformiſſimum ipſorum & benè habile ſecundùm mentem ſuſceptiva virtutis copioſe ſupermanans & multipliciter intrans.* Quia verò hujuſmodi ſuavitas & ſuavitatis odor ab intimis animæ diſtributionibus eſt emanans, ideo ſubjungitur:

Favus diſtillans labia tua, ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. ℣. XI.

Quod eſt dicere: virtutes Divinorum proventuum expreſſivæ ſuavitatis dulcedinem effluunt inceſſanter, guſtativa virtute eadem dulci ſuavitate & ſuavi dulcedine perfruente, & mentalium virtute fragrantia ſurſum thuricè ſe tollente.

Unde benè *odor veſtimentorum* ſponſæ, hoc eſt: ipſarum virtutum mentalium odorifera virtus ſumma petens cùm in conſpectu DEI fragrat, ſubitò mellea quidem & lactea, hoc eſt, purgativa & nutritiva diſtributio linguæ ſponſæ ſive virtuti guſtativæ ipſius infunditur, qua diutiùs depaſta & ſuaviter effecta quaſi Divi-

Divino quodam nutrimento ipſa ſub cuſtodia guſtativæ velut ſub lingua reponit, ut, dum intellectualiter & ſuaviter fuerit eliquata per virtutes expreſſivas quaſi per labia ſe diffundens, ſic ut Divinus favus incipiat melliſluè diſtillare, ac ſponſum ſuum ſuavi dulcedine irrigare. Nam ut ſanctæ veræ Theologiæ problemate utamur, non eſt mirandum, ſi de intellectualiter comedente exit cibus intelligibilis diſtributionis, ac de fortiter theorizante egreditur dulcedo thearchicæ unitionis. Nam, ùt ait B. Dionyſius Angel. Hier. c. 15. *Congaudere dicuntur beata mentes de perditorum inventione ſecundùm Deiformem epulationem & in providentia & in ſalvatione ad DEum converſorum boniformem & copioſam exultationem & bonum effectum illum ineffabilem, in cujus participatione multotiens facti ſunt verè ſancti ſecundùm Deificos Divinarum illuminationum ſuperadventus.*

Ex his animadvertere potes, nihil aliud eſſe intellectualem comeſtionem niſi Divinorum proventuum ſuaviſſimam delectationem: quæ nimirum eò dulcius a nobis in alios egreditur, quò fortiùs per mentis theorias acquiritur: & quò avidiùs comeditur, tanto ſuaviùs propinatur, & copioſiùs diſtillatur. Igitur ſtillantes montes dulcedinem, & colles fluentes lac ſunt ſub lingua ſponſæ Deiformis, ut, dum per ipſius labia Divina hæc diſtributio diſtillare inceperit, inferiorum ſinus aliqualiter dulcoretur. Quoniam autem non ſolùm melleæ & lacteæ diſtributionis particeps eſt ſponſa, ſed omnibus ſanctis delectationibus eſt abundans, ideo ſequitur:

℣. XII. ***Hortus concluſus ſoror mea, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.***

Quod eſt dicere: tua Deiformis anima velut quidam locus eſt amantiſſimus Divinæ deambulationi præparatus, intellectualibus irrigatus, Divinis fructibus perornatus, corporali maceria & ſepe ſenſuum circumſeptus, continens puriſſimum & profundiſſimum Divinorum intellectum, annulo reverentis ſilentii ſigillatum.

Re vera enim anima per frequentes & ferventes recurſus in ſe ipſam & in DEum, nec non per Divini radii ſanctam A illuminationem Deificata quaſi quoddam delectabile deambulatorium vel ſpatiatorium eſt ſponſi ſuperdulciſſimi JESU Chriſti. *Inhabitabo enim*, inquit, *& deambulabo in eis.* (2. Cor. 6. 16.) Sed quando deambulabis? Utique *ad auram poſt meridiem.* Sic enim tradit Theologia Geneſeos: cumque ait, *audiſſet vocem Domini DEI deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* (Gen. 3. 8.) Quod eſt dicere: dum perfecti amoris ſuaviſſima vox in anima Deiformi inceperit exſufflare, tunc intellectualiter ſubtiliſſimus & ſuaviſſimus rumor jocunditatis Divinæ præſentiæ in anima poterit B. perſentiri. * (* Cod. præſentari.)

Hujus autem tam voluptuoſiſſimi horti irrigationes Divinorum ſplendorum ſunt irradiationes: fructuum verò productiones ſanctarum cognitionum & operationum pullulationes. Hoc verò puto ſignificare, quod ait bis: *hortus concluſus, hortus concluſus.* Quia videlicet Deiformis anima aliquando quidem intrat in ſe ipſam quaſi in hortum amœniſſimum, tunc clauditur maceria corporeæ gravitatis, vel exteriorum ſenſuum actualitas. Aliquando autem aſcendit ſuper ſe ipſam, & quaſi in hortum delitioſum, C. & tunc concluditur ſepibus intellectualis luminoſitatis, vel totius virtuoſitatis vigore. * (* Cod. vigor.) Mirabiliter enim anima, dum in tali ſtatu eſt, cuſtoditur ab Angelis, ita, quòd ad eam nullus pateat acceſſus tenebroſæ lucis Angelo. Hinc eſt, quòd ejectis Adam & Eva de Paradiſo voluptatis, hoc eſt: excluſo ſpiritu rationali & (Gen. 3. 24.) ſenſualitate à deliciis Divinarum theoriarum collocatur Cherubin & flammeus gladius ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Per quod, ùt arbitror, ſignificatur Angelica cuſtodia, & ardenter coruſcantis Di- D. vinæ lucis umbra ignea, quæ omnis virtutis tyrannicæ ſit propulſiva, ne ulla falſa & ſimulata viſio Deiformi intelligentiæ in delitiis Divinæ unitionis voluptatum adjiciatur, ſed potiùs dilatatur ligno vitæ, id eſt: dulciſſimo JEſu Chriſto dulciſſimi dilecti ſui perfruitione. Aut certè privata deoſculatione & deamplexatione utatur ſemota omni Ægyptiaca viſione, ſicut per mutuam cognitionem Joſeph & fratrum ſuorum nobis myſtica demonſtratione datur intelligi.

Tunc autem in ipſa anima rivulus pulchrifici fontis incipit ſcaturire, hoc eſt:

pro-

profundiſſima intelligentia, id eſt: cognitio Divinorum de theſauris occultiſſimis emanare, cujus beatiſſima participatio non omnibus eſt exhibenda, ſacro ſilentii ſignaculo conſignanda, ut ſolis corde avidis, & intellectu puris, & piis ejus hauſtus parciſſimus tribuatur & dulciſſimus. Unde beatus Dionyſius ſanctum inſtruens Timotheum dibebat de Divin. Nom. c. 1. *Igitur hæc quidem tibi cuſtodire utile eſt ò pulcherrime Timothee ſecundùm ſanctiſſimam memorationem, & neque dicibilia neque expertabilia Divina facere ad indoctos manifeſta.* Rurſus autem, cùm ei ſuperſplendentis verticis occulta & abdita ſuperlucentis caliginis revelaret, ajebat Myſt. Theol. c. 1. *Vide, ut nullus doctorum iſta audeat. Iſtos autem dico, qui in exiſtentibus ſunt firmati, nec ſuperexiſtentia ſuperſubſtantialiter eſſe opinantes, ſed putantes ſcire ea, quæ ſecundùm ſeipſos eſt, cognitione, eum, qui ponit tenebras latibulum ſuum.* Quia verò ſponſa non ſolùm Divinis ſuis fructibus in Paradiſo ſuæ mentis excreſcentibus ſibi ipſi utitur, ſed & aliis mundicordibus interdum de eis largitur, ideo ſubinfertur:

℣. XIII. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

Ac ſi dicat: præ fulgore & dulcore tuæ intelligentiæ, quæ eſt ex intima tuæ contemplationis voluptate, prodeunt quædam, quæ ſunt grata & voluptuoſa recreatio animorum piorum cum Divinorum intellectibus.

Nam Deiformis anima Divinis debriata guſtibus, & ſaginata beatæ lucis paſtibus, dum aliqnid ex his contingit pro ſurſum actione inferioribus propinare, quaſi quædam Diviniſſima eſt delectatio & dulcoratio, ſanctorum animas recreans fatigatas: aut velut torrens quædam voluptas mellis habens dnlcedinem, unctionem olei, lactis ſuavitatem, butyri fluens pinguedinem, omnium Paradiſi fructuum vaporans dulcedinem, odorem, & ſaporem ad anagogicorum animorum intelligentias delitiandas, & ſuperfervidè ſuſcitandas. Nec enim tantùm delectabiliter recreantur, ſed & luculenter Divinorum profundiùs intellectibus radiantur. Unde benè addidit: *cum pomorum fructibus*: quia videlicet delectationi jocundiſſimæ & ſuaviſſimæ animorum additur intellectus præfulgentiſſimus Divinorum.

Hinc eſt, quòd, cùm ſanctus David præcordialis in illa ſua emiſſione dixit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ:* Pſal. 35. 9. *quoniam apud te eſt fons vitæ*, continuè ſubjunxit: *in lumine tuo videbimus lumen.* Quid autem per Divinæ domus intelligimus ubertatem, torrentem, & voluptatem, & vitæ fontem niſi Divinæ dulcedinis ſuæ diſtributionem, jocunditatem delitiantem, & intellectualiter epotantem? Quid verò per viſionem luminis in lumine, niſi intelligibilis luminis donationem, Divinæ claritatis pulchritudinem revelantem? Quoniam autem beatæ ſponſæ *emiſſiones* non tantùm ſunt ad delitiandum & illuminandum, ſed etiam ad perfectionem omnimodam acquirendam, ideo ſubjungitur:

Cyprus cum nardo.

℣. XIV. *Nardus & Crocus, fiſtula & cinnamomum cum univerſis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.*

Quaſi dicat: tuæ ſuaves intelligentiæ ex mentis intimo coruſcantes fructificant ſuavitatem Divinæ unitionis cum amore, amoris cum ſapientia, orationis cum humili intelligentia & omnibus contemplativis actionibus mentalis & corporalis mortificationis & univerſis ſanctis affectionibus.

Rectè quidem in conjunctione *Cypri cum Nardo* Divinæ unitionis & amoris convenientia exprimitur. Nam ſicut abſque activa & paſſiva virtute impoſſibile eſt aliquid materialiter generari: ita ſine amore agente & unione patiente non poteſt anima Deificari. Cur verò per *Cyprum* unitio, per *Nardum* amor deſignetur, non eſt ab re. *Cyprus* quidem dicitur arbor aromatica ſemen habens candidum & odoriferum, & coctum in oleo exprimitur, & inde regalis unctiva efficitur, quæ *cyprus* appellatur. Quid igitur per hoc niſi pretioſa noſtræ ſponſæ intelligentia motum emittens puriſſimum & fragrantiſſimum deſignatur, qui, dum in pinguedine Divinæ dulcedinis perficitur, ſtatim amoris extatici confectio fit, quæ unitio nuncupatur?

Rur-

Rurſus quid per *Nardum* herbam
candentem & redolentem niſi Divini a-
moris virtutem intelligimus, motus igni-
feros ſcintillantem & ſuavitatis fragran-
tiam exhalantem? Convenienter autem
hic *croco*, qui aurei coloris eſt, conjungi-
tur: quia niſi mediante ardenti amore
Divinorum ſapientia non habetur, quæ
quibusdam aureis irradiationibus animam
ſe poſſidentem non deſinit illuſtrare.
Ipſa enim eſt, ad cujus dulciſſimum gu-
ſtum amabilis illius Jonathæ oculi dona-
tione luminis ſunt colorati, & cœcutien-
tis Thobiæ inſpectivæ clarſtatis perluſtrati
radio, nec non ſqualentes Pauli viſivæ
virtutes ſplendore ſapientiæ radiatæ, ita
2. Cor. 4. 6. ut clamet & dicat: *DEus, qui dixit de te-*
nebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordi-
bus noſtris ad illuminationem ſcientia cla-
ritatis DEI in faciem JEſu Chriſti.
2. Cor. 3. 18. Propter quod iterum ajebat: *Nos autem*
revelata facie gloriam DEI contemplantes
in eandem imaginem transformamur de
claritate in claritatem tanquam à Domini
ſpiritu.

Benè autem poſt crocum Divinæ
ſapientiæ ſupponitur *fiſtula* moleſtiarum
internorum viſcerum curativa, & *cinna-*
momum arbor brevis & odorifera *cum*
univerſis lignis Libani: quia dubium non
eſt, ab illuminatione Divinæ ſapientiæ
afflictionum ſit penitus propulſiva, & hu-
milis & redolentis Divinorum intelligen-
tiæ effectiva, naturalium & mentalium
virtutum generativa. Hinc eſt, quòd
ipſa per quendam à ſe inſpiratum ait:
Eccli. 24. 24. *Ego mater pulchra dilectionis, timoris &*
agnitionis & ſanctæ ſpei.

Pulchrè verò poſt *univerſa ligna*
Libani myrrha & aloë cum omnibus primis
unguentis poſtponuntur: quoniam per
fortes & puriſſimas Deiformes actiones
intelligentiæ non ſolùm mens ab inutili
cogitatu & corpus ab indecenti actu cru-
cifigitur, verùm etiam omnis ſancta &
pia affectio generatur, quæ utilis valde
eſt areſcentis animi mentali labore ad
unctionem, ut tantò ampliùs per ipſius
ſuavitatem in DEum dilatetur, quantò
plus per exercitii fatigationem fuerat
contractus. Hinc eſt, quod per Divi-
num Dionyſium (traditur) Eccle. Hier.
c. 4. *Dicimus*, inquit, *quòd unguenti com-*
poſitio congregatio quædam eſt benè ſpiran-
tium materiarum, in ſe ipſa largè habens
A. *qualitates beneolentes, quam participantes*
bonis odoribus afficiuntur ſecundùm pro-
portionem qualitatis ingenitæ ipſius beneo-
lentis participationis. Vide ergo, quòd
benè (ſpirantes) materias & beneolentes
qualitates continentes ſanctas dicit affe-
ctiones ex ſe ipſis ſuaviſſimas fragrantias
emittentes, ex quibus in Divinis fatiga-
tus theoricus animus oblectatur ſecun-
dùm ipſius pretioſiſſimi unguenti quanti-
tatem. Nam tanta eſt ſolùm animi de-
lectatio, quanta fuerit ipſius ſuaviter o-
lens affectio ſequens. Igitur dilectus ad
hanc emiſſionem ſponſæ bonam ſimili-
B. tudinem addit:

Fons hortorum: puteus aquarum viven- ℣. XV.
tium, quæ fluunt impetu de Li-
bano.

Quod eſt dicere: tuæ ô ſpècioſà
ſponſa, emiſſiones velut ſuaviſſima & cla-
riſſima quædam eſt irrigatio arentium &
virentium animorum, & ſicut profundiſ-
ſima ſupermanans abundantia illumina-
tionum Divinarum, quæ de ſuperſplen-
didiſſimæ Deitatis virtute prodeunt lu-
culenter.

C. Sciendum quippe eſt, boniformis
animæ alus diſtillare revelationes, nihil
aliud eſſe, quàm Deificam quandam irri-
gationem arentium, ùt diximus, & vi-
rentium animorum, illorum ſatians & re-
ficiens ſiccitatem, iſtarum ſuperabunda-
re faciens Divinæ contemplationis viri-
ditatem per ſuperfluentem mentalis con-
ſolationis perfectionem, ita ut *fons horto-*
rum eis in *aquarum viventium puteum*
convertatur, hoc eſt: in puriſſimas inceſ-
ſanter refulgentes illuminationes de ſu-
perpuriſſimo & ſupercandidiſſimo inac-
D. ceſſibilis lucis pelago *in ſimilitudinem lu-* Ezech. 1. 14.
cis coruſcantis juxta Ezechielis Prophe-
tæ bonam viſionem. Cui concordat &
ſanctus Dionyſius c. 1. dicens ſic in My-
ſtica Theologia: *& poſt omnem*, ait, *mun-*
dationem audit multarum vocum buccinas,
& videt lumina multa cum fulgore emit-
tentia mundos & multùm effuſos radios,

Hinc etiam eſt, quod Daniel dicit:
Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à Dan. 7. 10.
facie ejus. Cujus autem ejus, niſi Solis
ſuperclariſſimi ignitos radios exſufflantis
& altas cœleſtium mentium intelligentias
tripliciter conſummantis. Ipſe quidem
eſt

eſt locus voluptatis ille, ex quo fluvius egreditur ad irrigandum areolas Paradiſi. Non autem putandum, per nomen irrigationis ſignificari quædam tenuis influitio, ſed potiùs ſecundùm uniuſcujusque mentium proportionem menſurata diſtributio claritatis. Tanta namque eſt Divini luminis infinitas, ut quocunque influat, totum vas mentis impleat: mentes autem capaciores copioſiùs, ùt ſupra diximus, illud à rivo & omnes illud accipientes eo replentur, quemadmodum per diluvium & parva foramina & magni alvei fluviorum. *Dominus* quidem *diluvium inhabitare facit*, (Pſal. 28. 10.) & implet ſplendoribus ſanctas mentes. Unde enim per beatum Dionyſium traditur Angel. Hier. c. 9. *intellectualium viſionum diſſimilitudo ſuperplenam paternæ bonitatis luminis donationem aut omnino non perceptibilem facit & ad ipſorum conformationem diſtribui non valentem, vel participationes facit differentes, parvas aut magnas, obſcuras aut claras unius & ſimplicis & ſemper eodem modo ſe habentis, & ſuperſimplificati fontani radii.* Diſtributio (non) diverſificat luminis donationem: ſed ipſa intellectualiter videntium ſubſtantiarum diſſimilis ſuſceptabilitas, ſecundùm quam unum & idem lumen diverſis diverſimodè ſuperlucet. Sponſus itaque noſtræ ſponſæ deliciis deſcriptis, volens, ut earum ſuaviſſimus odor omnibus pateſiat, ait:

℣. XVI. *Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Id eſt: exurgat fortiſſimus & puriſſimus motus intelligentiæ Deiformis, cui occurrat beatæ lucis radius incaleſcens, ſanctam perluſtrans animam, ut ipſius beatorum delitiarum ſuaviſſima fragrantia diſpergatur.

Solerter hìc attendendum eſt, motum intelligentiæ elevari minimè poſſe, niſi divinitus advocetur. Ut autem ad ipſius præceptum ſe elevaverit, purè fortiter agens, & nebulas Divini ſolatii occultatrices diſſipaverit, continuò à rorida ſuperardentis Divinæ caliditatis zona vehementiſſimus & calidiſſimus quidam vaporans ſpiritus aſſlare incipit totius animæ ſanctas affectiones in ampliori ſanctitate congregans & dulciſſimè conden-

A. ſans, ut tantò ſit ipſarum aromaticæ fragrantiæ ſuavior emanatio, quantò per Divini radii afflatum Divinior fuerit earum condenſatio. Sicut enim tradit Theologia: *Repletio nubium parit effuſionem imbrium ſuper terram*: (Eccli. n. 3) Sic utique major mentalium virtutum Deificatio uberiorem generat dulciſſimæ ſuavitatis emiſſionem. Hinc eſt, quod Jacobus veſtibus ſuis valde bonis indutus inenarrabili fragrantia patris olfactivam excitavit, ita ut diceret: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit DEus.* (Gen. 27. 27.)

B. Per hoc autem non inconvenienter ſimplex ac purus animus figuratur ſplendidis virtutibus adornatus, ex quorum odore mirificè Divina excitatur bonitas ad ſe filialiter complectendum, ita ut dicat: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (Matth. 17. 5.)

Quærere verò meritò poſſumus, quare Aquiloni tantùm dicatur: *Surge*: Auſtro autem: *veni, & perfla*? Quia intelligentiæ Deiformi tantùm pertinet motum ſuum quaſi quoddam velum in Divinam extendere altitudinem: Thearchicæ autem bonitatis eſt ad hujus exagita- C. tionem & ſurſum actionem boniformem radium advocare, & ipſius ſponſæ hortum ſuaviter perflare, quatenus ejusdem aromatum ſuaveolens fragrantia diſpergatur in odorem ſuavitatis prædulciſſimo ſponſo ſuo, beatiſſimo JEſu Chriſto. Sequitur Capitulum Quintum.

CAPUT V.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. ℣. I.

D. SEntiens ſponſa interiora ſua maturam germinaſſe perfectionem ob gratiam irrigationis & perflationis dilecti ſui, ne inimicum Divinæ largitatis malum ingratitudinis incurrat, advocat eum piè dicens;

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.

Quaſi dicat: dignetur inviſere intimâ mea amor meus, & delectetur in profectu donorum ſuorum mihi largiter collatorum.

Quam-

Quamquam enim omni momento anima charitate vulnerata & ſpiritu intellectualis zelotypiæ concitata ardenter deſiderat præſentiam ſui ſponſi, plus tamen eſt, ſenſibiliter ſe ipſam præſertim in Divinum amorem perfici & augmentari ex acceptis. Tunc namque inenarrabili gaudio & ſancta concupiſcentia geſtiens dilecti ſui ardenter præſentiam familiarem plus ſolito concupiſcit.

Hinc eſt, quod per ſanctum traditur Iſaiam: *Anima*, inquit, *mea deſideravit te in mente, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis & de mane vigilabit ad te.* Iſa. 26. 9. Quid autem nobis per hoc innuitur, niſi quod clauſis ſenſibus exterioribus ſancta anima, dum totaliter ad intima ſua ſe collegerit, fructuſque Divinos in ſe matureſcere perſpexerit, quaſi de gravi ſomno excitata interiores oculos ad aſpectum veri luminis incipit aperire, dilectumque radium flagranti deſiderio præſtolari, ùt tantò perfectiùs & ferventiùs ad majorem perfectionem inhiet, quantò jocundiùs a dilecto ſuo fructus ſuos viderit acceptari?

Et comedat, inquit, *fructum pomorum ſuorum.*

Ac ſi dicat: non tantùm exhibeat præſentiam ſuæ ſuaviſſimæ voluptatis, ſed & acceptet maturum & perfectum uſum inexiſtentium motuum Divinorum. Ideo dilecto voci ſuæ chariſſimæ obediente, & in horti fructibus delectante advocat eam dicens:

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi.

Aſcendens ſupra te ipſam ſentire, delitias meæ contemplationis ingredere, quia amaram tui mortificationem cum omnibus Divinis aromatibus acceptavi.

Vide, quoniam *hortus* ſponſi eſt Cherub intelligentiæ Deiformis: *fructus* verò ſunt non tam animæ affectiones quam Divinæ immiſſiones ad maturitatem eaſdem affectiones perducentes. Sed quia ad ingreſſum hujus horti duo impedimenta occurrunt ſponſæ, videlicet corporalis maceratio, & iterum de A fructibus turbatio, ne adhuc Divino conſpectui non ſint accepti & uſui apti: ideo à dilecto ſuo ſuaviter confortatur, ut Deiformitatis hortum ingredi non retardet, ejuſque delitiis perfruatur. Sciens enim jam *myrrham ſuam cum aromaticis* actionibus meſſuiſſe, hoc eſt: ejus ſanctam mortificationem cum univerſis mentalibus actionibus acceptâſſe, quod benè per adjectos poſſeſſivi pronominis caſus inſinuatur: *Meſſui*, inquit, *myrrham meam*, non tuam, *cum aromatibus meis*, non tuis. Ac ſi dicat: & ſi mortificaris, mihi mortificaris, & ſi aromatizas, mihi aromatizas. B. Nam, ùt Divinus ait Apoſtolus: *Sive morimur, ſive vivimus, Domini ſumus.* Rom. 14. 8.

Hinc etiam eſt, quod ab ejus ſancto diſcipulo traditur in Eccle. Hier. c. 7. *Si enim*, inquit, *in anima & corpore DEO amicam vitam is, qui dormierit, vivebat, pretioſum erit cum ſancta anima & corpus, quod concertavit illi in ſanctis ſudoribus. Unde Divina juſtitia ipſi donat retributionis fines cum corpore, ſicut coambulabili & comparticipi ſanctæ aut contraria vitæ. Propter quod & ſanctorum Divina legis* C. *latio thearchicas communiones ambobus donat, animæ quidem in munda contemplatione & ſcientia eorum, quæ fiunt: corpori verò ſecundùm Diviniſſimum unguentum, ut in imaginem & thearchica communionis ſanctiſſima ſigna totum hominem ſanctificans, & totalem ipſi ſalvationem ſanctè operans, & perfectiſſimam ipſius reſurrectionem fore denuntians Catholicis ſanctificationibus.*

Perpendere igitur manifeſtè poſſumus ex his verbis, quoniam non tam corporis ſancta exundatio, quàm animæ ipſius Divinæ converſatio DEO grata & D. accepta eſſe credantur, dum neutrum ab eximia remuneratione vult eſſe vacuum. Ut autem ſciat ſponſa, quibus fructibus hortus dilecti amplius debeat abundare, & in quibus ſuaviùs delectatur, ideo ſubinfertur:

Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.

Suavis mea delectatio eſt dulcis affectus cum dulci amore: Suavior autem ſurſum fervens actio cum Deiformi ſapore.

Quid

Quid enim per *favum mel* continentem & emittentem congruentiùs accipimus, quàm dulcoroſum affectum, dulcedinem orationis evaporàntem? Sicut namque affectus ſpiritus Deiformis ſuper mel eſt dulcis: ſic ejus orationis ſuavitas ſuper mel & favum, ita ut delectatio mea ei ſit apta, id eſt: ſuo ſancto aſpectui ſit accepta. Benè autem dicit: *comedi favum cum melle meo*: quoniam ſicut ejus ſolius eſt acceptare, ſic omne, quod acceptat, ſua dulcedine decorare, ita ut nihil ſit ſibi dulce niſi per ſuam dulcedinem, nec aliquomodo diligibile niſi per ſuam dilectionem, nec acceptabile niſi per ſuam acceptationem. Si ergo acceptaris, adſcribe ſuæ potentiæ: ſi diligeris, ejus attribue benevolentiæ: ſi dulcoraris, ejus gratias referas ſuperdulciſſimæ ſapientiæ. Nam ſicut ſavus non à ſeipſo, ſed ab ape conſtruitur: nec rurſus mel à ſe ipſo, ſed à ſavo emittitur, ſed initium dulcoris utriusque ab ipſa ape egreditur: ſic omnis noſtra dulcedo, ſive ſit infuſa, ſive effuſa, à totius ſonte eſt bonitatis. Verùm quia cibus & potus quadam amicitia conjunguntur, ideo ait ſponſus:

Bibi vinum meum cum lacte meo.

Scimus autem, quoniam potus ſuavius trahitur quàm cibus utpote liquidior: per quod ſuavior dilectio innuitur erga ferventem ſurſum actionem, quæ per *vinum*, & Deiſormem ſaporem, qui per *lac* figuratur. Ferventem in ſurſum actionem intelligo mentis in DEum robuſtam elationem, & Deiformem ſaporem ipſius Deificationem, aut potiùs de Divinis perceptionem, quæ pro tanto à dilecto *bibi* dicitur, id eſt: ſuaviùs acceptari: quia tunc ea patiens animus magis DEO appropinquat. Magis verò DEO appropinquantia magis ipſi placentia ſunt & accepta. Unde & majoribus donis participantia ſunt, ait S. Dionyſius in Epiſt. ad Demophilum. *Eſt enim*, inquit, *unusquisque ornatus eorum, quæ ſunt circa DEum: Divinior eſt magis abſiſtente, & luculentiora ſimul & magis illuminantia ſunt magis vero lumini propinqua.* Quis autem dubitet eſſe Divinius, luculentius, & DEO propinquius per mentis exceſſum in DEum elevari & ejus donis Deificari, quod eſt dilectum

A. *vino & melle potari*, quàm ſimpliciter ſuavi quodam affectu vigere, effectuoſiſque orationibus DEum aliquatenus commovere, quod eſt eum *favum cum melle comedere*. Quia tamen iſtarum ſanctarum operationum Angeli ſunt miniſtri & duces, ideo à dilecto excitantur, ut ſibi mutuò debeant congaudere. Ait enim:

Comedite amici mei & bibite, & inebriamini chariſſimi.

Quaſi dicat: Per profectum vobis B. commiſſorum delectamini, acuamini, & exceſſum in DEum patiamini.

Hæſitandum quippe non eſt, intellectuales ſubſtantias rationabilium ſpirituum miniſterio deputatas eò copioſiùs Divinis affici diſtributionibus, quò magis per ſuam manuductionem ſurſum acti ſpiritus Deificantur. Hoc autem faciunt eos à diſſimilitudinibus elongando, coaptando, & perfectiùs uniendo. Unde & propter primum eis dicitur: *comedite*, id eſt: nova quadam delectatione vos reficite. Causâ ſecundi: C. *bibite*, hoc eſt: acutiùs & ſuavius Divina percipite. Ob gratiam verò tertii: *inebriamini chariſſimi*, id eſt: per eximiam Divinorum influentiam mente excedite. Dignum namq; eſt, & legis utique Thearchicæ diffinitio, ut valenti ſurſum actioni ſuperpoſitorum reſpondeat deſuper fluens illuminatio miniſtrorum, ut quò plus agunt ipſi, plus agantur.

Illud autem prætereundum non eſt, quare ad intellectualem comeſtionem invitans ante dicat invitatis: *amici*: ad ſupermentalem verò debriationem cùm advocat, *chariſſimi* nuncupantur. Quia videlicet D. Thearchica bonitas, quos abundantiùs & excellentiùs ſuis beatis elargitionibus perfundit, diſcretiùs amplectitur & chariori amicitia eis copulatur, quod per Theologiam Diviniſſimi JEſu didicimus. Ait enim: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* Matth. 12. 49. 50.

Sed quid ſibi vult hujusmodi nominum diſtinctio, niſi quòd graduum Divinæ amicitiæ eſt expreſſiva, ac ſi dicatur: quicunque Dominicam voluntatem exſecutus ſuerit, hic mihi *charus* erit ſicut *frater* fratri: qui autem pleniùs, ſicut *ſo-*

ror charior, quæ affectuoſiùs diligitur: qui verò pleniſſimè, *chariſſimus*, ſicut *mater* ejus dilecta * omnibus mulieribus eſt præponenda. Eodem modo anagogicè negoriantes dicimus: quoniam qui magnis quidem donis participat, *amicus* & charus DEI eſt: qui verò majoribus, charior: qui verò maximis quaſi divinitus debriatus, *chariſſimus* nominatur. Sponſa igitur ad verba dilecti ſuſpenſa in Divina, in ſe reverſa eo loqui ceſſante air:

* Cod. dilecto.

℣. II. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Ac ſi dicat: ab exterioribus operibus vaco: interioribus verò tota virtute intendo.

Proprium ſiquidem eſt intimè DEum diligentis animæ deſertis ſuis exterioribus intima penetrare, vigilanterque theoricis actionibus inſiſtere, donec perfectum Divinæ contemplationis conſequatur habitum. Nam ſicut per exteriores operationes virrutum exercirium, ſic per interiores ſanctos earum habitus promeremur. Non autem per habitus inrelligo habilitates, quæ unicuique animæ inditæ ſunt à natura, ſed habitus hìc eſt, ſanctarum virtutum firmas habere habitudines, quæ non niſi animæ virtute & DEI munere poſſidentur. Nam virtutis habilitas, ut largo ſumatur modo, ſine virtute eſſe poteſt: habitudo verò ſine virtutis experientia non habetur, nec rurſus ſine maxima cordis vigilantia obtinetur. Propter quod trade cor tuum ad vigilandum diluculo ad dilectum, ut perſecta virtutum habitudine conſecura jam non moleſtet, ſed potiùs vigilare delectet, lucerna illius deſuper reſplendenre, & ad ſuperlucentes tenebras intellectualis ambulationis (viam) pandente.

Alirer autem poſſunt hæc verba intelligi: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ut ſponſa intellectus ſui vicem gerat, & ſit ſenſus: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, id eſt: ſecundùm intellectum de DEO nihil percipio, *ſed cor meum vigilat*, hoc eſt: amor meus totum DEum per deſiderii latitudinem luſtrar. Plerumque enim *vigilat* & ſolerter deſiderat affectus, ſed *dormit* & latitat intellectus. Per quod edoceris, ur nunquam ab actu amoris, ſi vales, quieſcas, nonnunquam verò ab intelligendi cupidine reſipiſcas. Nam ſemper amare velle bonum eſt ignitæ affectionis: ſemper autem intelligere velle, malum eſt

A. præſumprionis. Non igitur te pigeat interdum dormire cum ſponſa ab intelligendi concupiſcentia: ſemper autem libeat vigilare per amòris flagrantiam.

Itaque ſponſa in ſuperiori mentis ſuæ conſiſtenre, & in mentalibus actionibus vigilantiſſimè perſiſtente audita voce dilecti air ad ſe ipſam:

Vox dilecti mei pulſantis.

Quaſi dicat: hæc eſt aſpiratio Divini & ſuperamabilis radii intelligentiam excitantis.

Sæpe namq; contingit, ut, dum ſancta anima neglectis exterioribus, Divino-
B. rum delectabilibus exercitiis eſt intenta, more ſuperamabilis Deigenæ Virginis viſitetur, arque ei dicatur:

Aperi mihi ſoror mea, ſponſa mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

Quaſi dicat: ad ſumptionem meæ infuſionis te præpara ô ſponſa, cujus amor eſt gratioſus, cujus odor viſceroſus, cujus inrentio ſimpliciſſima, cujus Deiformitas puriſſima: quia plenitudo meæ diſtributionis plenitudinem continet ſuavis reſri-
C. gerationis, & apprehenſiones meæ denuo ſuperfuſæ diſtillationibus incognitis ſunt perfuſæ.

Animadvertendum hìc eſt, quia dilecta anima ad novam quandam dilecti ſui ſuſceptionem modò invitata, non ſolùm præparari monetur ad magis ſuſcipiendum, ſed in quibusdam blanditiis perlinitur ad ſuavius & dulcius hunc amplectendum. Quid eſt enim: *aperi mihi*, niſi quædam inſpiratio ad ſuſceptionem præparativa? Quid verò: *ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, niſi ſancta quædam blanditio ſuavioris & dul-
D. cioris amplexus excitativa? Porro per primum ejus amoris exprimitur grata ſuavitas; per ſecundum interni amoris imenſitas, quorum unum communi, reliquum verò privati amoris eſt indicativum. Erenim alia amoris ſigna in aliorum præſentia ſunt oſtentanda, atque alia in ſecreto thalami exhibenda. Nam ibi ſemper graræ honeſtatis ſpecies eſt tenenda; hìc verò omnia ardentis amoris inſignia proponenda. Quæ ergo *ſoror* eſt in publico, per pudicam amoris exhibitionem, *amica* fit in occulto per ſuperardentis amativi deſiderii zelotypicam oſtenſionem.

Cæte-

Cæterùm in reliquis ſubſequenti- A bus nominibus intentionis ſponſæ noſtræ puritas adnotatur. Primùm in eo, quòd *columba* dicitur. Alterum in eo, quòd *immaculata* nuncupatur. Ex ſimplicitate autem intentionis cogitur dilectus ad eam diligendam teneré: ex puritate Deiformitatis ad arcana revelanda. Nihil enim occultum eſſe poteſt puritati intelligentiæ, cui nec ipſa Divina viſio occulta

Matt. 5. 8. eſt. *Beati*, inquit, *mundo corde.* Hinc eſt, quod per S. Dionyſium Eccle. Hier. c. 6, nobis reſeratur: *Eſt*, inquit, *ut arbitror, manifeſtum, quòd mundatus ab omni macula immunda, & caſtiſſimam ha-* B. *bens propriæ mentis collocationem ad contemplativum habitum & virtutem ſanctificatè transducitur, & communicat ſecundùm ipſum Diviniſſimis ſignis in contemplationibus ipſorum & communicationibus univerſa ſancta lætitia adimpletus, & ad Divinum ſcientia ipſorum amorem ſurſum actis virtutibus proportionaliter elevatus.* Cauſa autem, quare dilectus ſponſam ſuam moneat præparari ad Divini ſuperadventus ſuſceptionem, non tam eſt rationabilis, quàm ſuperadmirabilis;

Quia, inquit, *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* C.

Sed quid per *caput* omnium ſenſuum contentivum & plenariè *irroratum*, niſi perfecta Divinæ bonitatis diſtributio omnium virtutum habituum contentiva, inſuper & ardoris amativi perfectè & ſua-

Eccli. 18. 16. viter mitigativa (ſignificatur)? *Nonne ardorem*, ait à DEO inſpiratus, *refrigerabit*

Dan. 3. 50. *ros?* An non ille boni operativus Angelus medium fornacis exhibuit velut *ventum roris flantem?* Quid igitur? Nonnunquam ardor amoris ſponſæ mitigandus eſt, non ut minùs ardeat, ſed ut ſuaviùs. D. Quò enim plùs ſuaviùs intenditur, eò accenditur & amplius, ejusque minoratio ſua eſt intenſio. Quod igitur ait: *caput meum*, ad Divinæ diſtributionis pertinet perſectionem: quod verò ſubdit: *plenum eſt rore*, ad perfectivam igniculi incentivi reſertur mitigationem, non tam ſuaviſicativam quàm incentivam aut augmentativam.

Quid veò vult ſibi, quod ſequitur: *& cincinni mei*, ſive capilli conglobati, *guttis noctium?* Supple: pleni ſunt, niſi quia ipſæ unitæ Divinorum apprehenſiones ex perfecta diſtributione quaſi ex *capite* pullulantes quibusdam cognitionibus incognitis & irradiationibus tenebroſis ſunt perfuſæ? Quamquam enim intelligentia aliqua eximia de Divinis apprehendat, & quibusdam perfundatur dulcifluis diſtillationibus, neſcit tamen, unde veniat, aut quo vadat, ſicut Divina & ſuperſplendente caligine circumfuſa, in nocte dieſcente quodammodo mirabiliter conſtituta. Hoc autem in illa beata templi conſummatione eſt præ- 3. Reg. 8. 10.

monſtratum, quando ſicut *nebula implevit Domum Domini*, ut ipſa * ſacrificia * Cod. ut non ipſa S. vid. offerre.

non viderentur offerri. Et ſanctus Iſaias in illa ſupernaturali viſione ait: *& domus impleta eſt fumo.* Sed quid eſt hoc, niſi Iſa. 6. 4.

intelligentiam guttis ſive illuminationibus adimpleri? *Et nox*, inquit Pſalmigra- Pſalm. 138. 11. &c.

phus, *illuminatio mea in deliciis meis: & nox ſicut dies illuminabitur* caligantibus. Et: *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Itaque quia poſt acceptam notitiam veritatis & perceptis immaculatis affectionibus Divinorum non eſt ad ignorantiam prolabendum, aut materialibus delectationibus inhærendum, ideo ait ſponſa:

Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? ℣. III.

Quaſi dicat: Ex quo pallium depoſui ignorantiæ & vetuſtæ ſervitutis, qualiter illo denuo me involvam? Rurius: à materialibus affectionibus in DEum tendentibus repurgatis motibus quomodo eis iterum patiar immundari?

Quaſi diceret: neutrum eſt faciendum, ſed potiùs laborandum, ne percepti intellectualis luminis & Divinæ libertatis irradiationem amittam, ne affectionibus & ſuavitatibus Divinarum dulcedinum priver, quibus quaſi quodam pinguiſſimo butyro laſſi pedes in DEum tendentis animæ delibuti Deificè reſtaurantur ad ſupermentalem deambulationem. Quid autem ſignificet denudatio & diſcalceatio ſecundùm intellectualem acceptionem, ait Divinus Dionyſius Angel. Hier. c. 15. *Nudum*, inquit, *& diſcalceatum, dimiſſum & facile ſolvi, & non valens teneri, & mundum ab exteriori additione, & ad ſimplicitatem Divinam aſſimila-*

milatum, ſicut eſt poſſibile. Quod eſt dicere: nos dicimus, quòd nuditas (&) diſcalceatio intellectualiter ſignificant *dimiſſum*, id eſt: generalem libertatem à nullo impeditam, *& facilè ſolvi*, id eſt: promptè & ſine offendiculo extendi ad operationes Thearchicas exercendas, *& non valens teneri*, hoc eſt: impediri, ſicut nudus eſt expeditus: *& nihil habens additum*, per quod teneatur. Iterum ſignificat mundum, id eſt: puritatem, *ab exteriori additione*, id eſt: materialium applicatione, quibus non applicantur, nec inhærent: & iterum ſignificat *aſſimilativum*, id eſt: aſſimilationem ad Divinam ſimplicitatem, quia ſcilicet ſimplicem ſimpliciter ſequuntur. Sic in nudo ſimpliciter eſt à natura.

Igitur expolia te tunica tua, & lava pedes tuos, ambulans nudus & diſcalceatus ſanctorum Angelorum ſequens veſtigia, qui immaterialiter immaterialem & purum ſimpliciter imitantur, ſi Angelicæ libertatis, promptitudinis, expeditionis, puritatis, & Divinæ aſſimilationis vis habere participium. Igitur ſponſa dilecti ſuſceptionem intellectualem, ſive oſtii operationem aliquantulum retardante, quaſi interim foris ſtans dilectus, ſubjungit ſponſa:

℣. IV. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.*

Quod eſt dicere: ſuperamabilis meus Divinæ bonitatis radius fortem quandam operationem ſuam per Deiformitatis meæ rimulam intromiſit, & infirmitas mea concuſſa eſt ad experientiam ejus.

Non nunquam enim accidit, amicam DEI animam ad immiſſiones Divinas percipiendas ex infirmitate aut ignorantia pigritantem quibusdam benedictionibus dulcedinis præveniri. Nam Divinus radius puritatis & amoris amicus, perfectionis animæ zelotes, dum eam ad ſubreptionem viderit inclinari, ac per hoc retardari, benè operantem virtutis ſuæ ſuaviſſimæ manum, per primorem intelligentiæ partem quaſi per ipſius foramen intromittit, ut eò citiùs ſuſcitetur ad intelligentiæ oſtii apertionem.

Sed benè *ad tactum ejus venter* debilis *intremiſcit*: quia dubium non eſt ad novam & inſuetam Divinæ virtutis experientiam capacitatem modicam & adhuc teneram, utpote lacte, non ſolido cibo refectam, infirmari, hoc eſt: de ſtatu proprio & conſueto extaſi mediante ad meliorem immutari. Non enim talis infirmitas eſt defectum inducens, ſed magis profectum majorem adducens. An non tibi videtur tunc ventrem Sauli intremuiſſe, cùm ad tactum virtuoſiſſimæ lucis beatiſſimi Crucifixi corruit ſuper terram? Sed quid? Nunquid ex tactu infirmatus, an potiùs effectus eſt in Domino fortis? Sanè utrumque contigit. Infirmatus eſt in ſuo ſtatu: fortis autem effectus in Domino. Nam ait: *Domine, quid me vis facere?* Siquidem impoſſibile eſt quemquam ad Divinum aſſumi ſtatum, niſi primo fuerit infirmatus. Unde beatus Dionyſius de Div. Nom. c. 7. *Neminem* aſſerit *Divinorum poſſe habere experientiam aut intelligentiam, dum in ſe extiterit, niſi tunc ſolum, cùm totaliter ſuper ſe fuerit totus Deificatus ſive Deifactus, & non ſui ipſius, melius propter hoc exiſtimans DEI eſſe quàm noſtri ipſorum.* Act. 9. 6.

Cùm autem ex tactu virtutis, radio dilectiſſimi, teneritudo ſponſæ ſic eſt infirmata, quòd tamen Deificè excitata, ideo ſequitur:

Surrexi, ut aperirem dilecto meo. ℣. V.

Quaſi dicat: de meo ſtatu in Divinum me erexi, ut ſic me habilitarem ad plenam Divinæ diſtributionis ſuſceptionem. Si enim tactus manus dilecti ſic me confortavit, & tam mirabiliter immutavit, quid ejus felix præſentia eſt factura? Si ſic egit ſtilla, quid faciet abundantia? Si ſic tactus, quid faciet amplexus? Si ſic ſuſurrium, quid manifeſtum eloquium? Quia me ſeparabit à me, & convertet in ſe, ut jam ſim, quod non eram, à me immutata, & à DEO Deificata. Taliter ſponſa ſecum agente & conferente ex actione proficiente ait:

Manus meæ diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.

Quod eſt dicere: operationes meæ mentales virtutem conſervativam roboris

ris genuerunt, & per hoc motus mei virture fortiſſima ſunt perfecti.

Hoc namque ſciendum eſt, nihil adeo eſſe efficax ad conſervandam animam in virtute ſui mentalis roboris, quo mediante regnum contemplationis rapitur violenter, quemadmodum ipſæ mentis ferventes & frequentes actiones ſive operationes, ex quarum forti agonia motus igniferi exurgunt, qui & ipſi eadem virtute probatiſſima perficiuntur, ne unquam opus eorum Theoricum diſſolvatur, ſed creſcat & proficiat. Siquidem Prov. 4. 18. *operatio juſti quaſi lux ſplendet creſcens & proficiens uſque ad perfectum diem*: opus verò corruptibile in fine perdetur, ſicut expers myrrhea virtute, quæ corruptionis eſt inimica. Meritò ergo tam *manus* quàm *digiti myrrha* perfunduntur: quia tam actiones quàm ejus motus in incorruptibili contemplationis opere exercentur, donec veniat ad id, quod perfectum eſt, ipſo quoque, quod ex parte fuerit, evacuato. Doctæ quidem ſunt à dilecto manus ſponſæ ad prælium, & digiti ad bellum, & idcirco non formidavit Prov. 31. 19. *manus ſuas ad fortia mittere*, hoc eſt: actiones ſuas ad contemplationis militiam exercere. Sed & *digiti ejus apprehenderunt fuſum*: quia per motus in DEum didicit circularis motionis exercitium & uſum. Circulariter verò moveri eſt per illuminationes à DEO emanantes, & in idipſum terminantes, in id, quod perfectum eſt, promoveri: & talis motus omnibus aliis motibus eſt utilior ſicut Deiformior, quoniam per ipſum tantò nobiliùs cognoſcitur DEus, quantò altiùs per ipſum anima promovetur. Unde in tali motu ſponſa noſtra ſe incipiens exercere ait:

℣. VI. *Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat atque tranſierat.*

Quaſi dicat: circularem motum intelligentiæ meæ exercui ad DEI veram viſionem conſequendam: Sed ipſe ſe elongans fore incomprehenſibilem demonſtravit.

Nam licèt motus ſenſualis ſive circularis agat, ut DEus intenſiùs & ſplendidiùs cognoſcatur, efficere tamen minimè poteſt, ut perfectum DEI cognoſcatur. *Etiam*, inquit Pſalmigraphus, A. *ſi evolaverit ad cor altum* &c. Pſ. 63. 8. (per cordis altitudinem ſignificans motum intelligentiæ circularem præ omnibus aliis etiam ſupereminentem) non tamen Divinæ totalitatis eſt comprehenſivus, etſi apprehenſivus, magis autem exaltativus.

At ille, ait, *declinaverat* atque tranſierat, ne totaliter participaretur. Nunquid videtur hoc ille Divino conflatorio repurgatus Job exoraſſe: *Si*, inquit, *ad Orientem iero, non apparet: Si ad Occidentem, non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram, quid agam? Non apprehendam eum: ſi me vertam ad dexteram, non videbo illum?* Job. 23. 8. 9. B. Ac ſi diceret: ſi circulariter per Orientem, ſive naturaliter per Occidentem, aut obliquè: quod per lævam, ſive directè, quod per dexteram figuratur, ad inquiſitionem DEI me præbuero, nunquam tamen plenariè eum comprehendam: Quoniam *mirabilis facta eſt ſcientia, & confortata eſt, & non potero ad eam.* Pſ. 138. 6. Ipſe autem omnia noſtra videt, & mundè per omnia vadit *attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter*, Sap. 8. 1. ſive harmoniacè, ſervans ſibi honoris gloriam, nobis verò fructum laboris & honeſtatis ac humilitatis dimittens. C. Dulcis oratio: ita fiat ſuperamabilis & ſuperdulciſſime JEſu, amor meus! Da laborando humiliari, & humiliando laborare, conſervans mihi in ſinu tuo fructum laboris & humilitatis, ut vel poſt longum laborem & profundam humiliationem præbeas illum ſervo tuo inutili, qui quidem, quod debuit facere, adimplevit, te ei & velle & perficere largiente.

At ille, inquit, *declinaverat*. Quomodo hoc fuit ſponſa? Cur lumen oculorum tuorum, baculum infirmitatis tuæ, ſolatium vitæ tuæ abire permiſiſti? Et D. quidem in uno dilecto tuo habens omnia non debuiſti à te dimittere. Si enim oſtii peſſulum aperuiſti, aut circulari motu te exercuiſti, quare non vidiſti? quare non comprehendiſti? Quia *declinaverat* ſicut inviſibilis: *pertranſierat* ſicut incomprehenſibilis. Hoc verè dixiſti. 1. Joh. 4. 12. Nam *DEum nemo vidit unquam*, nec omnipotens ad plenum potuit reperiri. Quia verò ſponſa per circularem motum non pervenit ad perfectam DEI viſionem, tamen proficit in ſubtilem ejus cognitionem & ſuaviſſimam prægustationem, ideo ſequitur:

Anima

Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus meus locutus eſt.

Quod eſt dicere: Deiformitas mea calido amoris ignita exacuta eſt, & vivæ vocis ſuavem ſonitum dilecti intellexi.

Attende, quia dum pia anima à DEO profluentibus irradiationibus unita, in id, quòd perfectum eſt, ſervidè ſe extendit, interdum à ſuperocculto & ſuperinfinito, & ſuperremotiſſimo ſuperſplendentis Divinæ lucis pelago cujuſdam vivæ vocis ſuaviſſimus ſine ſono ſonitus in ipſam emanat animam, ad cujus ſuperdulcem tactum ob ipſius Divini amoris ardentis calidum in dilecti ſui dulcedinem continuò reſolvitur & liqueſcit, liquefacta verò, ac per hoc Seraphicè exacuta indicibiliter Divinorum ſecretorum abdita penetrat. Nam omne calidum & liquidum eſt penetrativum, ſicut calificè, & reſolutorie exacutum. Hujus vocis intelligentiam ſenſerat profectò, qui di-
Pſal. 84. 8. cebat: *Audiam, quid loquatur in me Do-*
Habac. 3. 16. *minus DEus.* Et illud: *Audivi & turbatus eſt venter meus.* Ac ſi dicat: ad vocis dilecti ſuavitatem paſſus ſum non ſolùm extatici, ſed & penetrativi amoris infirmitatem. Extaſis quippe nihil aliud eſt, quàm firmans infirmitas & penetrans liquiditas. Cùm igitur boniformis anima per calidum Seraphicè in ſe ardentis amoris caleat, & ad vocem dilecti ſui ſuperdulciſſimam eliqueſcat, quid eam impedire poteſt, ne ſubtiliſſimè & acutiſſimè Divina quæque ſubintret?
2. Cor. 3. 17. *Ubi* enim *ſpiritus Domini* ad Deificandum, *ibi libertas* ad penetrandum: quoniam Divini *ſpiritus*, qui eſt amor omni-
1. Cor. 2. 10. potens, eſt *ſcrutari etiam profunda DEI.* Verùm quia nec ſic dilectus cognoſcitur, ſed potiùs exaltatur, ut quæratur attentiùs: & ſilentium agit, ut deſideretur avidiùs, ideo ſubinfertur:

Quæſivi illum, & non inveni: vocavi, & non reſpondit mihi.

Quaſi dicat: acutè & ſubtiliter Divina inveſtigavi, & non reperi: flagranti deſiderio acclamavi, & tacuit.

Sed quare hoc tibi dilecta dilecti, niſi ut quærendo & non inveniendo ſubtiliùs inveſtiges; vocando & rurſus non percipiendo fortiùs vociferens? Ideo quære ſubtiliter & amplius acueris: invoca fortiter & intenſiùs ſuccenderis.

A. Nam & ob hoc dilectus occultatur, & reſpondere non dignatur, ut tuam amplificet utilitatem, & ſuam revereri faciat majeſtatem. Sic autem quærere opus eſt intellectûs: ſic invocare actio eſt affectûs. Unde benè, poſtquam dixit: *quæſivi, & non inveni,* meritò ſubditur: *vocavi*: quoniam ubi deficit intellectus, ſuppleat neceſſe eſt affectus ſicut calidi & acuti contentivus, per quorum unum ſtetit, per alterum verò pulſat & intrat. Nam ſicut ad intellectum pertinet quærere, & ad affectum petere: ſic calidi eſt

B. pulſare, & acuti intrare. Quomodo ergo repulſam pateris ô ſponſa talibus munita quæſtoribus, tam opportunè & importunè inſtantibus? Sed revera repulſam non eſt dicenda ſuſtinuiſſe, quæ aſſerit Angelis obviâſſe. Nam ſequitur:

Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem. ỳ. VII.

Quod eſt dicere: cœleſtes ſubſtantiæ univerſitatis ſanctarum animarum deputatæ cuſtodiæ me in dilecti inquiſitione laborantem repererunt.

C. Sciendum quippe eſt, Divinos ſpiritus cujuſdam ſpecialis dilectionis & zeli impetu ferri erga amatoriè ſuſcitatas animas ad Divinorum inquiſitionem & contemplationem, ſicut poſſibile eſt, participes fieri deſiderantes Angelicæ puritatis & contemplativæ ipſorum virtutis calidi & acuti & ſuperferventis, hoc eſt: amoris & ſubtilitatis & exceſſus eorum in DEum. Unde ne laborantis ſponſæ deſiderium diutiùs ſubtollatur, continuò ei ipſæ ſubſtantiæ tradunt, quod optavit. Ait enim:

D. ***Percuſſerunt, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.***

Ac ſi dicat: calidi acuti ſuperfervidi mihi participium tribuerunt zelotes fortium animorum.

Nam amoris caliditas ſine læſione percutit, aſpiciens intelligentiæ ſubtilitas ſine diviſione penetrat & vulnerat, exceſſiva in DEum ebrietas pallio diſcretionis privat. *Percutitur* ergo ſponſa, cùm calido amoris ſuccenditur: *vulneratur*, cùm acuto intelligentiæ decoratur: *pallio exuitur*, cùm per unitionis exceſ-
ſum

ſum ratione aut diſcretione non utitur. A. Hoc autem totum fit per Deiformium ſanctorum Spirituum operationem, quibus ſpecialis quædam tradita eſt tutela ſortium animorum ex vivis quibusdam lapidibus & indiſſolubili charitatis glutino
Apoc. 21. 19. conſtructorum. *Muri* quippe Jeruſalem, ùt ait Johannes altividens, ſunt ex *lapidibus pretioſis*, ſupra quos, ùt fert Iſaias Divinus, poſiti ſunt cuſtodes, *laudare* ſu-
Iſa. 62, 16. perlaudabilem perpetuò non ceſſantes, non tam formoſam murorum fortitudinem, quàm eos ædificantis ſuperbonam pulchritudinem admirantes. Quia verò quanto plus DEO participatur & communicatur, tantò ardentiùs & avidiùs eſuritur, ideo ait ſponſæ;

℣. VIII. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo.*

Quaſi dicat: per Divinorum reverentiam vos conteſtor ſupercœleſtes ſubſtantiæ, pacificæ, æternæ beatitudini mancipatæ, ut, ſi repereritis, quem diligo, ſignificetis ei, quia amore æſtuo.

Attende, quoniam verè Theorici C. viri anima ſuperfervido amore ebulliens nequit ſe coarctare in ſeſe, reſilit ſupra ſe, diſcretionis metas & rationabilitatis oblita. Unde conceptum ſuperardentis amoris igniculum non valens ulteriùs ſuſtinere, cogere nititur incogibiles, ut ſi cordis ſui uſpiam individuum invenerint, ſtudeant hoc ipſum ei intimare, neſciens, quid dicat: *Si inveneritis*, inquit, *dilectum meum, nuntietis ei, quia amore langueo.* Quare, *ſi inveneritis?* Quia inveniri dubito, quem tam ardenter diligo. Quare *nuntietis?* Quia ſuſtinere non valens vos interpellare cogor. Cur D. *amore langueo?* Quia amore æſtuans adhuc amorem ſitio. O ſuavis amoris paſſio, quæ cùm plus ſentiris, plus exuris, ita ut ſemper de te langueat te optando, quam nunquam deſeris inflammando. Licèt enim totaliter infundas te taliter te amanti, ſemper tamen te eſurit, ſemper ſitit te ſe recreantem. Nihil ergo aliud eſt ſponſam amore languere, niſi cum, quem tam ſuaviter ſentit, ſuaviùs eſurire, ut, quò avidiùs eſuritur & ſititur, dulciùs ſentiatur. Quoniam autem ſupernaturalis Divinorum collatio amoris eſt ſuſtentatio, ideo ab ipſis intellectualibus ſubſtantiis tribuitur ei materia conferendi. Ajunt enim:

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum? ℣. IX.

Quod eſt dicere: cujus qualitatis eſt ſuperamabilis radius ex ſuperamabili Divinæ lucis pelago emanans ô puriſſima animarum?

Dubium non eſt, per Angelicam inſpirationem animam in Divinum radium ſe extendentem & ejus amore fla- B. grantem talibus actionibus interdum occupari, ut eò nobiliùs ad ipſius cognitionis experientiam ſurſum agatur, quò attentiùs ejus Deiformitas divina agens negotia de ſuperfluenti radii effluentia, ejusque ſuperſplendenti origine interrogatur: *Qualis eſt*, inquit, *tuus dilectus ex dilecto*: ac ſi dicant: attende diligenter, quantæ ſit pulchritudinis radius in te miſſus, & ex ſuperſubſtantiali fonte luminis emiſſus. *Qui emittit*, ait, *lumen*, Baruch 3,
& vadit, & vocavit illud, & obedivit illi, 33.
Sed & omnis à patre motæ luminis apparitionis proceſſus. Unde ſanctus tradit Dionyſius in Angel. Hier. c. 10, *Ad nos bonitatis dono veniens rurſus ſicut vivifica virtus unum faciens ſuſcitativè nos adimplet & convertit ad congregantis patris unitatem & Deificam ſimplicitatem.* Sed quia, dum delectabilis ſponſæ amativa paſſio per ſuſcitativam interrogationem interrumpitur, ipſa quaſi ſtupefacta redditur. Et ideo rurſus ab eisdem ſomnis excitatur;

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adjuraſti nos?

Quod eſt dicere: quàm luminoſus, quam ſaporoſus & diligibilis eſt radius ô formoſiſſima animarum, qui taliter, ut eum inveniremus, conſtrinxiſti nos.?

Siquidem ſi eum vidiſti, ejus debes ſcire pulchritudinem. Si tetigiſti tu eum, tu ipſa ſuam experta es dulcedinem; quomodo enim aliter ſic amore langueres niſi ejus ſentita dulcedine? Quomodo ejus virtute & pulchritudine vigeres, niſi ipſius irradiata lumine? Nec enim ſine cauſa tam obnixè nos adjuraſſes, niſi ab eo occultum aliquid percepiſſes,

pro-

propter quod tam ſolicite reddereris. A.
Talibus actionibus excitata ſponſa & ad contemplationem Divini luminis ſurſum acta cernens ipſum ait:

℣. X. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

Id eſt: ſuperamabiliter illuſtrans me radius Divinus ſplendidus eſt & igneus, univerſis aliis diſtributionibus præponendus ſive * prælatus.

* Cod. ſicut præl.

Nam certum eſt, intelligentiam animam boniformis in Divina ſe promoventis habere quoddam cognitivum & B. motivum, per quorum unum circa pulchritudinem, per alterum verò circa bonitatem delectatur. Unde ſuperbonus ſuperlucentis Solis radius intelligentiam ad ſe ſuſpenſam totaliter afficere volens & perficere, indicibiliter ſe ei candidum & rubicundum oſtendit, hoc eſt: ſuperardenten & ſuperlucenten & ſuperluciſluum & igniſluum, ut tam ipſius cognitiva lumine ſuperlucido, quàm motiva bonitatis igniculo delectetur, & eorum bona participatione perficiantur. Ait enim B. Dionyſius in Angel. Hier. c. 15. quòd *album ſignificat luciforme, rubicundum* C. *igniforme.* Quæ duo Divinus radius mirabiliter in ſe uniformiter in ſe participat, ita ut nihil aliud ſit ſua luciditas quàm ſua igneitas, nec minùs igneitas quàm luciditas. Profectò hoc eſt illud, quod S. Ezechiel aſſerit ſe vidiſſe *ſplendorem ignis, & de igne fulgur egrediens.* In quorum uno beati radii luciditatem: in alio verò ipſius igneitatem expreſſit. Uniformitatem autem & ſimplicitatem ejus in eo, quòd tam ſplendor quàm fulgur ab uno igne dicit emanare.

Ezech. 1. 13.

Sed & illud non immeritò adjungitur, quòd *ex millibus* eſt *electus*: quoniam omnibus aliis diſtributionibus eſt præferendus Divinus radius, ſicut in bonitate & pulchritudine exceſſivus, & ſicut præambulativus & manuductivus tam Angelicæ quàm humanæ Deiformitatis ad omnem finem pulchrum & bonum. Hinc eſt, quod bona tradit Theologia: *Et ecce*, inquit, *ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum venirent ſupra &c.* Ubi notare poſſumus iſtius Deifici radii fontalem luminoſitatem, manuductionem & finalem perductionem regalium Deiformitatum ad deſideratum finem, quibus perductis etiam ſignanter diſparet: quia cum Deiformitas DEO unitur, ab omnibus abſolvitur viſis & videntibus ſecundùm B. Dionyſium Myſt. Theol. c. 1. *Sicut intrans caliginem ignorantiæ, in qua clauduntur omnes cognitivæ ſuſceptiones.* Igitur ſponſa amore dilecti & radii mirabiliter inflammata, ſicut ab ipſo Deificata, ſingulas, quas poteſt laudes ejus profert dicens:

Matt. 2. 9.

Caput ejus aurum optimum. ℣. XI.

Quod eſt dicere: principalis & perfecta ipſius illuminationis diſtributio theſaurus eſt pretioſiſſimus, ſicut omnia bona ſecum pariter introducens per ſaporem & ſplendorem Divinæ ſapientiæ, quæ abundanter immutabilis eſt in omnes bonarum virtutum pretioſos habitus & Deificos, quos infundit. Unde aptè ſubjungitur:

Coma ejus ſicut elata palmarum, nigra quaſi corvus.

Ac ſi dicat: illuminationes ab eo emanantes ſunt velut abundantes diviſiones gratiarum, ignitæ ſicut radius.

Quid enim aliud ſunt Thearchicæ illuminationes niſi quædam largiter effluentes gratiarum diſtributiones animam in Divinam altitudinem tollentes, & in Divinum dulciſſimum unitionis fructum provehentes? *In luce ſagittarum tuarum*, ait bonus Habacuc, *ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Ac ſi dicat: in luculentia illuminationum tuarum Domine proficient ſancti tui, & in ſplendore tui rectiſſimi radii feliciter coruſcantis, donec videant DEum Deorum D. & dilectum ex dilecto in Sion. Benedicta, cujus lucerna eſt agnus, & calculus ſuperſplendidiſſimus, beatiſſimus, & ſuperdulciſſimus JEſus Chriſtus!

Habac. 3. 11.

Benè autem tales illuminationes *nigra ſicut corvus* eſſe perhibentur: quoniam ipſarum emanationes & illuminationes & operationes nobis ſunt ignotæ & occultæ, ſicut ſuperignotus ipſarum radius, cujus adventum & receſſum, principium & terminum penitus ignoramus, Quia verò nigredo Divinarum illuminationum non ignorantiæ, ſed potiùs cognitionis eſt operativa, ideo ſubjungitur:

Oculi

Oculi ejus ſicut columba ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lota, & reſident juxta fluenta pleniſſima.

Quaſi dicat: intelligentiæ Divini radii inſpectrices ſuperſimpliciſſimæ, Divinis ſpectaculis inſiſtentes, candore luminis dealbatæ in pinguiſſimis & delectabilibus ſunt paſcuis quieſcentes.

Cùm enim Divini radii luciditas ſit ſimpliciſſima, & eò lucidisſima, quid reſtat, niſi ut intelligentias, quas ſuo ſplendore illuſtraverit, reddat ſimplicisſimas ad intelligendum, ſapientisſimas ad diaboli inſidias deprehendendum, candidisſimas ad refulgendum, & quietisſimas ad Divinorum myſteria contemplandum? Nam in eo, quòd *oculis columbæ* comparantur, ipſarum intentiones & affectiones ſimplicisſimæ demonſtrantur, quas per infuſionem radii ſuſceperunt, qui ſecuudùm Dionyſium de Div. Nom. c. 10. *Vivificavit omnia, quibus unitur ſecundùm ejus ſimplificativam virtutem.* Sicut enim ignorantiæ eſt unita ſegregare; ſic intelligibilis radii diſperſa congregare & unire ad ſimplicificativam DEI unitatem.

In eo verò, quod ſubditur: *ſuper rivos aquarum*, earum intelligentiarum ſimplicium ſapientia innuitur, quæ per continuam ſuſpenſionem in Divina ſpectacula, ubi niſus inſidiantis aſtutiæ deprehendantur & declinentur, edocentur, & inſpiciuntur. Siquidem, ùt ait à DEO

Prov. 1, 17. illuminatus: *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*, hoc eſt: ante eos, qui illuminati ſunt & oculati per illuminativam cognitionem, pennati verò per amativam affectionem, quæ per Divinorum ſpectaculorum conſiderationem continuam posſidentur.

Puto autem non eſſe ab re, quòd hujusmodi intelligentiæ *lotæ* dicuntur *lacte*: quia videlicet quò fuerint ſimpliciores, tantò dulciori & candidiori radio dealbabuntur. Unde & traditur in Eccle. Hier. c. 5. ante fin. *Luciformes veſtes ei, qui perficitur, imponuntur, per quod non immeritò ſignificatur obſcurum quidem intelligentia candidiſſimo & Diviniſſimo lumine adimpleri, & informe ipſius Deiformibus dealbari pulchritudinibus.*

Quid verò eſt, quòd juxta *fluenta pleniſſima reſidere* perhibentur, niſi quia Dei-

A. formes intelligentiæ circa delectabiles & ſuaves myſteriorum intelligentias negotioſè ſemper otiantur, & ipſorum quæque profunda ſcrutantes, & abſcondita producentes in lucem? Ne autem qualitatem & modum iſtarum luculentarum productionum valeat animus ignorare, ideo ſubinſertur:

Genæ ejus ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. ℣. XIII.

Quod eſt dicere: pudicæ & reverentes Divinorum myſteriorum ſunt intelligentiæ, velut quædam productiones

B. beneolentium irradiationum Hierachicè immiſſæ ab Angelis.

Nam cùm profunda humiliter, & reverenter ſublimia perſcrutantur, inde fit, ut pudica & revereutes intelligentiæ hauriantur, quibus quaſi nitentibus quibusdam *genis* Deiformis animæ facies decoratur. Benè autem hæ *genæ areolis aromatum conſitis à pigmentariis* asſimilari dicuntur: quoniam ambiguum non eſt, eas ſervare naturam benè fragrantium illuminationum Divinarum, à quibus fragrantes & beneolentes emanaverunt per Angelorum, benè inſtructorum

C. pigmentariorum, Hieratchicam operationem. An non vides, quàm iſte ſanctus Zacharias ab Angelo eſt Hierarchicè edoctus de occultis? Sic vir deſideriorum Daniel Gabrielica lingua inſtructus, ſic Johannes fragrantisſimis aromatibus pigmentariis eſt imbutus. Hinc etiam per Divinum Dionyſium traditur in Angel. Hier. c. 9. ante fin. *Formatarum ſcilicet ab Angelis viſionum manifeſtationes ſanctis viris Danieli & Joſeph per Angelos eſſe revelatas.* Sed quid eſt ab Angelis viſiones formari & eas iterum

D. explicare, niſi areolas aromatum à pigmentariis conſeri, & eos denuo pigmentare? Quia verò de virtute iſtarum intelligentiarum poſſet quis dubitare, ideo ſubſequenter adjungitur:

Labia illius diſtillantia myrrham primam.

Archangelorum Divinorum revelationes ſignum præferunt puritatis, virtutem ex ſe ſapientificam emittentes.

Siquidem Divina ſapientia, quæ de ore diſtillare perhibetur, *DEI virtutis* Sap. 7. 25. & 26.
vapor eſt & emanatio quadam claritatis omnipotentis ſincera, in qua nihil inquina-

tum incurrat. Candor eſt enim lucis æterna, & ſpeculum ſine macula, ad cujus inſpectionem neceſſarii ſunt oculi columbini. Pulchrè igitur per *labia* dilecti accipi poſſunt Divinæ ſapientiæ pulchrificè revelationes, quæ ſicut ex fonte candidiſſimè liliato emanant, ſic puriſſimum, in quod infundantur, alveolum requirunt. Unde cuicunque dilecti labia aperiuntur, ſignant eum bonæ indolis & immenſæ eſſe puritatis. Et ideo in eo *myrrha prima* jugiter *diſtillata*, à labiis dilecti fluens, hoc eſt: virtus quædam ſapientifica ſive illuminatio nunquam deficiens: quoniam inextinguibile eſt lumen ejus in ſe, B. nobis verò extinguibile, ſi tamen nos eum per ſui contrarii admiſſionem extinxerimus. Ipſius enim natura eſt indeſinenter & ſemper ampliùs elucere in animam, in quam fuerit diſtillatum, ſi non vanitatis vento aut aliquo ipſi contrario ipſi ipſum nobis extinguamus. Myrrhæ igitur prima diſtillatio Divinæ ſapientiæ eſt indeſinens illuminatio, quæ paulatim fluit ex beatorum dilecti labiorum apertione, & ex ſecreta Divinorum vera revelatione. Quales autem & cujus efficaciæ ſint iſtæ illuminativæ revelationes, ſubinſertur:

℣. XIV. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.*

Quod eſt dicere: bonum operantes illuminationes Divinæ ſunt proportionatiſſimæ, fulgentiſſimæ, & Divinorum intellectibus adimpletæ.

Si diligenter hoc advertimus, quatuor hìc nominantur circa revelationes Divinas, ipſarum videlicet operatio, proportio, refulgentia, & adimpletio. Primum quidem, ſcilicet operatio quietis acquiſitiva eſt: quoniam finis & intentio mentalium operationum quies eſt, in qua diſperſa omnia congregantur, & laſſa re- D. ficiuntur. *Modicum*, ait à DEO inſpiratus, *laboravi, & inveni mihi multam requiem.* (Eccli. 51. 35.) Secundum autem, videlicet proportio, & operationum eſt modificativa, ita ut non altiùs nec latiùs ſe extendant, nec rurſus ad infimos, aut ſtrictiùs prolabantur, niſi in quantum earum tornator & modificator Divinus radius inſpiraverit faciendum. Hinc eſt, quod arcanorum ille contemplator beatus Johannes aſſerit, Angelum, qui ſecum loquebatur, habere *arundinem auream, ut metiretur civitatem & portas & muros Je-* (Apoc. 21. 15. 16.)

A. *ruſalem*, per quod non incongruè Divinus radius intelligitur, qui totaliter Deiformis animæ eſt modificativus & modificator & menſurator doctiſſimus, adeò quòd altitudo viſionis non excedit latitudinem amoris, nec rurſus hæc longitudinem extenſionis ad ipſum, imò per omnia ſunt *æqualia*, ut idem ait, *longitudo, latitudo, & altitudo.* Nam quantum extenderis, tantum incenderis, quantum verò ſuccenderis, tantum videris: quoniam claritas & altitudo viſionis conſiſtit in virtute & intenſione amoris. Benè igitur *manus* dilecti *tornatiles* eſſe dicuntur: quoniam ipſius operationis in mente ſunt optimè proportionatæ.

Tertium autem, hoc eſt; refulgentia luminis eſt diffuſiva & omnis tenebroſitatis expulſiva, ſicut ipſi contraria, & circa ipſam tota virtute erecta, donec anima totaliter fuerit ab ipſa aut potiùs ab ipſius effectu, ignorantia repurgata & ſplendore Divinæ luculentiæ deaurata. Tunc enim dilecti noſtri manus *aureæ* meritò perhibentur, quando omnes mentis operationes ſive operationis mentalis revelationes Divino lumine perlu- C. ſtrantur. Sole namque ſuperſplendente in clypeos aureos, hoc eſt: in intelligentias Deiformes, tunc etiam ipſi montes, id eſt: altæ mentis operationes incipiunt refulgere ipſius Solaris luminis munere. (1. Mach. 6. 39.)

Quartum, videlicet adimpletio Divinorum intellectuum eſt manifeſtativa, dum ait *plena hyacinthis.* Siquidem cùm anima ad Divinum radium mentalibus operibus exercetur, Divinorum intellectibus adimpletur quaſi quibuſdam *hyacinthis*, qui ſic ab eo radio perfunduntur ſua radiola illuminatione, quemadmodum cùm pannus ſubtiliſſimus lapidi, qui hyacinthus dicitur, fuerit appoſitus, intingitur coeruleo ſplendidoque colore. Hujus autem quædam virtus admirabilis eſt, ut ſanctus quidam Theologus ait, quòd in ſereno tempore perſpicuus & gratus eſt: nubilo verò coram oculis evaneſcit. In quo Divini radii munditia intelligitur, qui ſolùm mundis intellectibus eluceſcit: impuris verò penitus tenebreſcit nullam ſibi delectationem inferens, ſed potiùs læſionem, ut ſanctus ait Dionyſius de Div. Nom. c. 7. *Læduntur enim*, inquit, *immundè ipſis participantes & ad majorem Divinorum & ſui ipſorum veniunt contemptum.*

Ac

A. Ac ſi diceret: qui tempore nubiloſæ conſcientiæ conturbatis oculis quærunt fieri in participationem Divinorum, ad tantam ſubjectionem devenient, ut non ſolùm Divina appetere contemnant, ſed & ſe ipſos totaliter negligant. Quia verò dubitari poſſet, ubi ea, quæ per *manus dilecti*, hoc eſt: per Divinas operationes acquiruntur, * & reponantur, ideo ſubinfertur:

* Cod. acquirantur.

Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris.

Quaſi dicat: Deiformis animæ intelligentia nutrimentorum Divinorum receptaculum caſtiſſimum & mundiſſimum variis viribus eſt adornata.

B.

Attende, quoniam ſicut inter cætera corporis membra nullum mollius aut tenerius eſt ventre, ita nulla inter vires animæ aptior eſt cultui pietatis intelligentiâ tam in agendo & operando piè Divina, quàm etiam fortiter & potenter ipſam & recipiendo. Sed ideo talis *venter eburneus* dicitur, quia ſicut munda capit: ita mundè & caſtiſſimè retinet non in ſe habens, quod diſſimilitudinem aliquam repræſentet, ſed potiùs omnem ſimilitudinem & Deiformitatem præferat & commendet. Dicitur *diſtinctus ſapphiris*, hoc eſt, quibusdam pretioſis viribus perornatus videlicet appetitiva boni, quæ ſplendet ex concupiſcibili: cognitiva veri, quæ rutilat ex rationali, quaſi ex pretioſiſſimis aliquibus Sapphireis lapidibus, qui omnes ex ſe cœleſtem emittunt colorem & ſplendorem, dum præter Divina nihil aliud intendunt, aut in ipſa intelligentia efficiunt.

Aliter etiam Divinorum capax & cultrix intelligentia caſtiſſima dici poteſt *diſtincta ſapphiris*. Cùm enim ipſa totaliter Divino cultui dedicata eſt & intenta, diverſimodis objectis, ſpectaculis, & ſplendoribus, delectatur caſtiſſimè & oblectatur, quod eſt rectè *ventrem eburneum variis diſtingui ſapphiris*. Sed quoniam quanto plenius & pulchrius eſt vas intelligentiæ, tantò firmiori & pulchriori indiget ſuſtentamento, propterea adjungitur:

℣. XV. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata ſunt ſuper baſes argenteas.*

Quod eſt dicere: geminæ Divinæ affectiones animæ circa pulchrum & bonum rectiſſimè ſunt & firmiſſimè ſtabilitæ ſuper motivam & cognitivam potentias boniformes.

Nulli mirandum eſt, ſi, quod de dilecto dicitur, ſponſæ attribuitur: quoniam non eſt aliud ſponſam taliter dilectum ſuum deſcribendo laudare, quàm ipſius glorioſos effectus in ſeipſo memorando, verbis, quibus poteſt, explicare. Unde ait: *Crura illius columnæ marmoreæ*, per hoc ſignificans geminam virtutem, videlicet affectionem & cognitionem circa pulchrum & bonum, quæ verè *marmoreæ* intelligentiæ receptivæ bonorum Divinorum ſunt fortiſſimum ſuſtentamentum, quod per aſſimilationem ad columnas marmoreas explicatur. Nam cùm anima munere dilecti ſui erga ſummum bonum afficitur per amorem, & circa ſummè pulchrum delectatur per cognitionem, rectiſſima ſicut *columna* in Deum tendendo, & ſolidiſſima velut *marmor* in ipſo perſiſtendo efficitur, ac per hoc profectuum intellectualium intelligentia perceptibilis fortiter ſuſtentatur, ne ad inferiora prolabatur.

C.

Pulchrè autem tales virtutes ſuper *baſes argenteas fundata* deſcribuntur: quia procul dubio amor ſuper affectum, & cognitio ſuper intellectum ſtabilitur, ſicut ſuper potentias boniformes, ex quibus totaliter anima pulchrificatur. Unde aptè ſubjugitur:

Species ejus ùt Libani, electus ùt cedri.

Ac ſi dicat: Divini radii amor cognitivus, & cognitio amativa ſive calor * ſplendens & ſplendor calens amplitudine & latitudine ac fructuum nobilitate eſt inſignis ùt Libanus: pulchritudine & fortitudine & odore præpollens ùt Cedrus.

* Cod. ſplendor ſplendens.

D.

Quid enim amplius, quid altius, quidve fructuoſius Divini radii ſplendore incaleſcente, & calore reſplendente? Per ipſam enim anima ſive intelligentia, in quam refulſerit, dilatatur ad amorem, ſublimatur ad cognitonem, fæcundatur ad Divinorum fructuum productionem.

Quæris, qui ſint illi fructus? Utique ſtrenuitas morum, puritas affectionum, ſubtilitas intellectuum, deſiderio-

rum ſanctitas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas. Meritò ergo *ſpecies* Divini radii *monti Libani* comparatur, qui tam amplitudine quàm altitudine, & nobilitate arborum eſt ornatus. Rurſus quid Divino radio pulchrius, fortius, aut etiam odore ſuavius invenitur? Siquidem per ejus pulchritudinem tam cœleſtia quàm terreſtria illuminari valentia perluſtrantur, per ejus virtutem univerſa intellectualia Deificantur, per ejus fragrantiam quæque ad olfaciendum habilia ſuavificantur. Et hoc eſt, quod ait: *electus ùt cedri.* Etenim hæc arbor valde pulchra, fortis, & odorifera eſſe fertur. Sic ergo ſponſa dilectum ſuum tam excellenter commendante, & ipſo eam in ſe profundiùs abſtrahente, ait ſponſa:

℣. XVI. *Guttur ejus ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis.*

Ac ſi dicat: ſecreta & intima ſuperamabilis radii experientia & deguſtatiò ſuaviſſima eſt, & ùt breviter me expediam, totaliter propter ſe & ſecundùm ſe eſt ſitienda.

Libet autem hìc quærere, quare ſponſa laudes *gutturis* aliis omnibus poſtponit, præſertim cùm ipſa à ſuperioribus membris incipiens ad inferiora deſcenderit. Ad hoc dicere poſſumus ſalva melioris intellectus reverentia, quoniam ad hoc ipſius *gutturis* præconium poſtpo-
Eccle. 6. 7. ſuit, ut per hoc ſignificaret, *omnem animæ laborem* & exercitia eſſe *in ore ejus* juxta Theologiæ ſententiam, hoc eſt: finem univerſæ ſuæ mentalis operationis eſſe veram experientiæ cognitionem, quæ per ſuavitatem *gutturis* figuratur. Quantò vero interior & ſecretior fuerit cognitio, tantò utique dulcior & ſuavior: quo & amplius intima & ſecretiſſima, eò ſuaviſſima & dulciſſima. Sed quare hoc? Quia videlicet ubi eſt major animæ intentio, ibi major ſenſus, & quantò totalius intendit, ſuavius ſentit. Nam virtus ad ſe ipſam congregata fortioris virtutis eſſe dicitur quam diſperſa. Unde & congruè ſponſa ſuaviſſimæ & ſecretiſſimæ deguſtationi radii totaliter intenta cum *totum* & totaliter *deſiderabilem* dicit, ſicut propter ſe & ſecundum ſe totum & totaliter diligibilem. Neque enim eſt aliud totaliter deſiderabile, niſi quod totum eſt

A. & totaliter amabile. Divinus autem radius totaliter eſt amabilis & ſuperamabilis: igitur *totus deſiderabilis.* Et hoc eſt, quod ſubdit ſponſa:

Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filia Jeruſalem.

Quaſi dicat: tam deſiderabilis, tam ſuperamabilis eſt Divinus radius, quem in tantum diligo, ut & more amicæ carnaliter diligam, idem faciendi vobis exemplum relinquens, ô animæ viſioni pacificæ mancipatæ.

Puto enim non eſſe ab re, quod
B. tam ſolerter, poſtquam ait ſponſa: *dilectus meus,* intulit: *& ipſe eſt amicus meus.* Nam, ùt aſſerit S. Dionyſius de Divin. Nom. 5. c. 10. *Divinius eſſe nomen amoris quam dilectionis*, Sancti quidem Patres tradiderunt. *Cod* tradiderunt amplius. Unde &c. Unde & Divinum Ignatium fert dixiſſe: *amor meus crucifixus eſt.* Illi quidem igitur volens apponere ſponſa rei, quod dixerat: (*talis eſt dilectus meus,*) addidit: *& ipſe eſt amicus meus.* Sed quid erit illud, niſi ſicut eum ſe mentaliter, ita etiam & car-
C. naliter diligere oſtendat? Hoc ſanè eſt illud, quod ajebat Pſalmus: *Sitivit*, in- Pſal. 62. 2.
quit, *anima mea Domine, quàm multipliciter tibi caro mea.* Ac ſi dicat: ſi tam ſitibundè perfectionem ſuam anima deſiderat, quæ aliqualiter ſenrit in præſenti conſolationes Divinas, quomodo non multipliciùs caro deſideret & ardentiùs anhelet, quæ totaliter miſeriæ eſt addicta? Dicat ergo ſecurè ſponſa noſtra: *talis eſt dilectus meus*, id eſt: quem mentaliter dilig: *& iſte eſt amicus meus.* quia eum carnaliter amo. Quomodo enim aliter illud Dominicum dictum præce-
D. ptum adimplebis: *Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: hoc eſt: ex toto ſupercontento? Scimus autem, quoniam totum cor carneum eſt, à quo procedit omnis motus & tota anima ſpiritualis eſt, à qua fluit omnis ſenſus & tota mens ſupereminens, à qua emanat omnis rationis uſus. Quid ergo vult ſibi iſta triplex totalitas, niſi quia ſecundùm omnem motum ſive vim vegetabilem, ſecundùm omnem ſenſum ſive vim ſenſibilem, & ſecundùm omnem rationem ſive vim rationabilem diligendus eſt

& aman-

& amandus dilectus? Talis dilectionis A. & amoris optat fieri æmulatrices ſponſa adoleſcentulas, dum ait: *Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Jeruſalem:* quaſi dicat: totaliter diligendus & totaliter amandus eſt ſuperdiligibilis & ſuperamabilis ſponſus meus, ſuperdulciſſimus Crucifixus.

ỷ. XVII. *Quò abiit dilectus tuus ò pulcherrima mulierum?*

Tam nimiæ bonitatis & pulchritudinis, tam ſupereximiæ dilectum eſſe audientes animæ Divinorum exercitiorum B. inexpertæ * ab anima Deiformi, quæ tam bonitatis ejus participatione quam pulchritudinis eſt ditata, quibuſdam ſcintillis amoris accenduntur ſcire cupientes, ubinam ſit vel inveniri poſſit, de quo talia prædicantur. Aut magis cœleſtium ſubſtantiarum contemplativam animam alloquentium poteſt eſſe interrogatio non dubitationis cauſâ mota, ſed potiùs excitandi amoris gratiâ propoſita. Nam dicunt:

* Cod. inexpertes.

Quò abiit dilectus tuus ò pulcherrima mulierum: quò declinavit? Et quæremus eum tecum.

Quaſi diceret: oſtende nobis locum, quo Divinus properavit radius ad refulgendum, à quo ſic meruiſti pulchrificari: quò declinavit ad manendum, ut à nobis valeat aſſociari.

Cujus ad tam mirabilem quæſtionem non elevetur cor? Non excitetur amor? Sed de hac quæſtione dubitat ſponſa cogitare, eò quòd eſt jocundiſſimum, ad quod ſequitur cordis elevatio. Si autem in promptu reſpondere habet, eſſe ſuaviſſimum, ex quo amoris provenit excitatio; dicat * igitur, quò abiit, ut refulgeat: quò declinavit, ut maneat, ſi Angelicæ ſocietatis optat * potiri ſolatio. Nec enim ſine cauſa aliquò abiret, ſive claritatis ſuæ luminoſitatem dirigeret, niſi locus foret amœniſſimus. Rurſus nec alicubi inde declinaret, niſi permanentem & perſeverantem ſui ſplendoris refulgentiam tribueret, niſi ſtatus eſſet decentiſſimus, & in omni virtute fœcundiſſimus. Unde & tam inſtanter interrogatur, ut tanti meriti & virtutis locum edoceat, ad quem dilectus ire voluerit, & in quo declinare decreverit. Sponſa itaque, ne tantorum communi felici ſocietate privetur, aut ipſæ ſuæ petitionis repulſam patiantur, ait:

* Cod. dicant.
* Cod. optas.

CAPUT VI.

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat. ỷ. I.

AC ſi dicat: Prædulciſſimus noſter ſuperſplendentis æterni Solis radius animam ſuo deditam cultui boniformiter viſitavit, & in Cherub mentis beneolentium fragrantiarum Divinarum contentivum viſitandi gratiâ declinavit, ut in ſanctis virtutum habitibus delectetur, earum actus puriſſimos in bonitatis ſuæ ſinu recondat & remuneret.

Hoc namque prudenter advertendum eſt, & omni amore amplectendum, quòd, ſicut omnis Divinæ providentiæ fluxus in animam ſuo munere deſcendens Divinæ prædicat bonitatis humilitatem: ſic noſtræ humilis rationabilitatis commendat ſublimitatem. Unde enim ipſe C. deſcendit, nos aſcendimus. *Dilectus,* inquit, *meus deſcendit in hortum aromatum.* O quanta dilecti humilitas ad tam infimum quid deſcendendo! ò quanta horti ſublimitas in tam nobile quid ſuſcipiendo! Quis autem eſt iſte *dilectus deſcendens* niſi ſuperamabilis radius à ſuperinfinito Divinæ claritatis pelago emanans? Rurſus quis eſt iſte *hortus* niſi pia mens in Divino cultu continuè ſe exercens? Nihil ergo aliud eſt, *dilectum in hortum ſuum deſcendere,* quàm Divinæ bonitatis fluxum in animam Theoricis actionibus D. emanare, tantò utique copioſiùs, quantò agit ſive operatur ſtudioſiùs & ferventiùs. Hinc eſt, quod ſummè operans ille & nunquam quieſcens à theoriis ſuis ſupermentalibus ardentiſſimus Seraphin dilecti ſui muneribus copioſiùs repletur, ſicut habetur ex Angel. Hier. c. 13. *Primus,* ait, *ſanctorum Angelorum ornatus magis habet univerſis incenſivam proprietatem & effuſivam thearchicæ ſapientiæ traditionem, & cognitivum ſupremæ Divinarum illuminationum ſcientiæ, & thorum proprietatem apertam Domini recipiendi opportunitatem ſignificantem, quia*

 plus

plus omnibus ex ſuperagente in ipſis amore A. *circa Divina ſe exercitant.*

Non autem ſimpliciter dictum eſt, dilectum in hortum ſuum deſcendiſſe, ſed additum eſt: *Ad areolam aromatum*, quaſi omnibus aliis horti locis iſte excelſior ſit & delectabilior & fœcundior. Quis verò Divina expertorum dubitet noſtræ mentis Cherub ſive Deiformitatem altiorem ſedem in anima obtinere, beneolentibus ſuavitatibus flagrare, & motus ac actus puriores producere? Illic itaque congruè deſcendere perhibetur: quia quò ſublimior & perfectior eſt dilectus, eò altioribus per puritatem & ſua- B. vioribus per amorem, & fervidioribus per operationem locis delectatur. Talis autem eſt Angelicæ ſive humanæ mentis Cherub. Nam & à materialibus eſt remotius, unde & altioris puritatis, & quò altioris, eò DEO propinquius, ac per hoc amore flagrantius, & in actionibus ſtudioſius. Sicut enim puritatis eſt elevare: ſic amoris aromatizare, & operationes augmentare: quoniam ignis totaliter eſt activus. Reſtat ergo videre, quæ fuerit deſcenſionis dilecti cauſa in hortum ſuum.

Ad areolam aromatum, ut paſcatur, inquit, in hortis & liliis convallium. C.

Hæc profectò cauſa extitit & intentio. Sed quid, quæſo, eſt *dilectum in hortis depaſci & lilia colligere*, niſi in ſanctarum virtutum Divino ſplendore virentibus habitibus delectari, & earum actus liliatos in omniſcientis ſapientiæ ſuæ gremio ſingulariter recondere, ut tantò remuneret glorioſiùs, quò collegit amplius? Videat tamen quiſque, ne fiat dilectus in ſe ipſo, ſicut racemos colligens, non botros vindemians, ſicut urticarum ſumens folia, non carpens lilia. Nam D. quanta & qualis fuerit meritorum collectio, talis & tanta eſt præmiorum remuneratio, qualis in modo videndi, tanta in intenſione fruendi. Igitur ſponſa piè contubernalium ſuarum petitioni ſatisfaciente, & quaſi non in ſuum, ſed in alterius hortum dilectus deſcenderit, innuente, ne hinc illæ credant ſe ipſas illum fore hortum, conſequenter oſtendit. Ait enim:

℣. II. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.*

Quaſi dicat: ego me ipſam digniſſimam ſuperamabili mihi habitationem exhibui, & ipſe mihi ſuæ beatiſſimæ præſentiæ fruitionem elargitur, qui in tantum inter motus puriſſimos & actus glorioſiſſimos delectatur.

Si quæratur à me, & benè quidem, quare, ſi hoc totum ſponſa dicere voluerit, cur totum non expreſſerit: congruenter dicere poſſumus, cor illius, dum hæc fari vult, deliciis dilecti eſſe occupatum. *Ego*, inquit, *dilecto meo*: quaſi diceret: hortum irriguum & areolam aromatum in me ipſa præparavi ex virtutum abundantia & amoris flagrantia. Vide, quoniam ſicut ex virtutum productionibus hortus dilecti fit irriguus: ſic ex amoris redolentia areola ſpargitur aromatica, ad quam frequenter deſcendit dilectus & declinat. Unde & ipſius perſuaviſſimum deſcenſum & ſuperdulciſſimum declivium ſponſa nequiens exprimere, verbis utitur imperfectis, putans nullius latere intelligentiam, quod intro ſentit per experientiam. Nam ſubdit:

Et dilectus meus mihi.

Puta, quia nunc dilectum tuum ** inter horti ſui lilia depaſcentem attentiſſimè contemplaris, & inenerrabilibus deliciis occuparis, & idcirco tantùm ore dimidio memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ nobis eructas, ejus plenitudinem exprimere non valens, quàm ſuavis dulcedo & dulcis ſuavitas ſit ſuperamabilis & ſuperlucentis Divini radii jocundari aſpectibus, delitiari hauſtibus, frui dulcedinibus, viſitari influitionibus, licet ad hoc ipſe exprimendi nullatenus ſufficit intellectus, ad quod tamen ſentiendum & amplectandum promtiſſimus & aptiſſimus eſt affectus.

** *Cod.* ſuum int.

Dilectus itaque ad ſponſam converſus, cernenſque ipſam Divina pulchritudine redimitam & harmonia Angelica inſignitam ait ad ipſam:

Quàm pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Jeruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata! ℣. III.

Quaſi dicat: valde admirabilis tuæ pulchritudinis refulgentia, quæ mei amoris es cuſpide vulnerata, valde delectabilis tuæ ſuavitatis decor & decora ſuavitas,

tas, ſicut contemplationi quietiſſima prædotata, & ſuperadmirabilis formidinis ad inſtar Hierarchiæ Angelicæ ordinata.

Sciendum quippe eſt, quòd omnis Deiformis animæ pulchritudo inde refulget, unde ipſa anima ex amore ardet. Nam ex virtute amoris pendet omnis ſplendor pulchritudinis. Si ergo cupis pulchritudine fulgere, priùs ut ſtudeas, oportet per amorem ardere. Hinc eſt, quod ait dilectus ad ſponſam ſuam: *O quàm pulchra es amica mea!* Ac ſi dicat: niſi *amica* fores, *pulchra* non eſſes. Nunc verò, quia mihi per amorem ardentiſſimum copularis, admirabili pulchritudine B. perluſtraris, dum per omnia diſciplinis cœleſtibus te informas, & Angelicis motibus te conformas, tanto nobiliùs, quantò ſuaviùs diſpoſita interiùs. Poſt pulchritudinem namque amoris additur ſuavitas dulcorum:

Suavis, inquit, *& decora ſicut Jeruſalem.*

Unde *ſuavis?* Ex *decore*. Unde *decora?* ex *ſuavitate*. Unde *ſuavis* ſimul *& decora?* Ex *Jeroſolyma* ſive pacifica contemplatione. Siquidem dum no- C. ſtræ mentis intelligentia quietiſsimè & pacificè cœleſtium contemplationi ſive ſpeculationi intenta eſt, & totaliter dedita, ſuavificando decoratur, & decorando ſuavificatur ex perceptione & manifeſtatione Divinorum radiorum, quorum ſuavitas eſt inæſtimabilis & decor incomparabilis. Sapiunt enim naturam ſui, à quo emanant, fontalis luminis, quod dulce & ſuave eſt ad guſtandum, decorum & delectabile ad videndum.

Meritò igitur ſponſa dici poteſt *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, id eſt: ad ſimilitudinem Hierarchiarum Angeli- D. carum pulchrè diſpoſita, quæ talibus ac tantis muneribus eſt dotata. Nam cum prima & ſumma Hierarchia, quæ tribus illis terribilibus Angelorum ordinibus eſt diſtincta Seraphin, Cherubin & Thronis, participat Deiformis anima amoris ſemper mobilis incentivo, ſupremæ donationis luminis communicativo, & DEI nobiliſsimè ſuſceptivo: cum media verò, quæ Dominativis, Roborativis & Poteſtativis Spiritibus eſt ornata, participat libertatem ab omni indebita ſubjectione, inſeparabilem unionem ex forti ad DEum

A. converſione, & infuſam ordinationem ex Divinæ bonitatis illuminatione: cum tertia autem & infima, quæ ex Principativorum Archangelorum, Angelorum beneformibus ſubſtantiis decoratur, participat noſtra ſponſa ſurſum actionis inferiorum ducativam, Thearchicorum nudationem revelativam, & ſanctorum intellectuum inſtructivam virtutem.

Verè igitur *terribilis* aſpectu & quàm admirabilis eſt dicenda, quæ ſi omnium ſupercœleſtium caſtrorum & Angelicarum Hierarchiarum virtutibus & donis eſt dotata, non tam ex ipſorum ordinatione malignis ſpiritibus timorem incutiens, quàm bonis lætitiæ & amoris & admirationis materiam excitans. Unde enim ſancti Angeli lætantur, deiformis animæ Hierarchicam diſpoſitionem admirantur, inde mali triſtantur & tremebundi efficiuntur. Quomodo ergo meritò pavere non debeant, dum ipſam cernunt ſic per amorem ardere, ſic per ſapientiam refulgere, ſic per Divinam in ſe præſentiam eminere? Aut quomodo eis *terribilis* non videatur, quam vident ab omni pedeſtri ſubjectione abſolutam, DEO virtuoſiſſimè counitam, & in ſingulis boniformiter & Deificè ordinatam? Rurſus qualiter ejus aſpectum non refugiant, quam conſpiciunt ſurſum actioni tam virtuosè principari, quibusdam arcaniſſimis & ſecretiſſimis illuſtrari, & Divinorum altiſſimis intellectibus informari?

Talia igitur & tam eximia de ſponſa ſua referente dilecto, ac per hoc ipſa amore ejus accenſa, ad ipſius altiſſimam contemplationem ſe, ultra quàm neceſſe ſit, fortiter elevante, ait dilectus:

Averte oculos tuos à me: quia ipſi me avolare fecerunt. ℣. IV.

Quod eſt dicere: virtutes tuas contemplativas ab reverenti meæ majeſtatis ſcrutinio comprime, quoniam ipſæ majoris meæ avolationis cauſa extiterunt.

Plerumque etenim contingit DEO dilectam animam ob nimium amoris exceſſum & familiarem quandam ſui ſuperamabilis dilecti experientiam plus ſapere quàm oportet: & dum de ipſius privata amicitia confidens ad altiorem Divinorum ſecretorum contemplationem, quàm

con

conveniat, aut ſibi datum, ſic ſe exten- A. dir, ut, quem ſuaviter ante & fortiter amplectebatur per humilem amorem, nunc altiùs à ſe avolare fecerit per ſupervacuam perſcrutationem: quod tamen eidem facilè remittitur, quoniam non ex præſumptione inducente, ſed potiùs ex amoris calido ſuperſervente hoc eam egiſſe conſtat. Hinc eſt, quòd ipſa tam citò & tam dulciter ab ipſo eodem dilecto, quem offendit, ad humilitatis formam reducitur, & de cauſa, propter quam ſe elongaverit, inſtruitur: *averte*, inquit, *oculos tuos à me &c.* ac ſi dicat: quia non malitioſè moveris, ſed ſimplicitate tolleris, B. ideo es ſuaviter reducenda non graviter punienda. Nam, ùt à ſancto traditur Dionyſio ad Demophilum: *Doceri, non puniri convenit ignorantes: ſicut & cæcos non punimus, ſed manuducimus.*

Notare ergo potes, quoniam idcirco Divinæ bonitatis ſuavitas, & ſuperſplendentis ipſius radii claritas electis interdum occultatur & elongatur: quia aut tepidiùs quæritur, aut irreverentiùs perſcrutatur, quod utique cum magna diligentia eſt cavendum, ne nobis id Evan-
Matth. 20. 15. gelii proponi contingat: C. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum,* me ipſum tibi præſentem exhibendo? Nunquid
Prov. 23. 5. non alibi clamat beata Theologia, *Ne oculos noſtros erigamus ad opes, quas habere non poſſumus, alioquin facient ſibi pennas & evolabunt in cœlum.* Sed quid eſt ſibi pennas facere & in cœlum avolare niſi eò altius à nobis eas elongari, quò indiſcretiùs ad eas obtinendas noſtri ſpeculativi oculi eriguntur? Itaque revereamur ea, quæ occulta ſunt DEI juxta B. Dionyſi conſilium intellectualibus & inviſibilibus cognitionibus honoremus, ne inde contingat, noſtros intellectuales D. oculos obſcurari, unde illuminari debuerant. Nam ſi ſecundùm ejus Divinam ſententiam, occultum, quod ſuper nos eſt, ſilentio eſt venerandum: quantò magis ipſum, quod reſervatum eſt, animo reverendum?

Ne ergo ſponſa propter hoc, quod ſibi objectum eſt, crederet deſiſtendum ab altis mentalibus actionibus, ideo ait dilectus:

✠. IV. *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.*

Ac ſi diceret: tuæ ſubtiliſſimæ mentis actiones aſſimilantur multitudini intelligentiarum ſurſum activarum, quæ ex multis ſacræ ſcripturæ myſteriis refulſerunt.

Vide, * quoniam in mentalibus theoriis non prohibetur ſubtilitas aut altitudo, dum tamen humilitas in agendo ſit, & reverentia ſervetur in ſcrutando. Aliàs enim periculum eſt, ne actio potiùs repulſam quàm finem debitum conſequatur. Cùm enim ait: *capilli tui,* mentalium actionum commendat ſubtilitatem: cùm verò ſubjungit: *ſicut grex caprarum*, earum ſurſum actionis & elevationis acceptat agilitatem. Quod autem ſubinſert: *quæ apparuerunt de Galaad*, ſcripturæ inſinuat auctoritatem. *Galaad* enim *acervus teſtimonii* interpretatur. Horum igitur verborum is eſt ſenſus: talis ſit ô ſponſa tuarum ſubtilitas theoriarum, qualis eſt agilitas ſurſum tollentium ſententiarum, quæ ex altis ſcripturæ myſteriis emanaverunt. Nam emanando illuminant, & illuminando elevant.

* Cod. Unde.

Sicut igitur hujusmodi ſententiæ ex ſacræ ſcripturæ profluunt auctoritate: ſic tuæ ſubtiles actiones ex Divinæ mentis procedunt maturitate, & ſic amplius extendantur, Deificationis ſuæ cæſariem in Divinæ bonitatis arcem reflectentes juxta illud ſancti Prophetæ: *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Pſal. 18. 15. Unde *prævenerunt oculi mei ad te diluculo*, Pſ. 118. 148. quaſi diceret: priùs ſpeculativas meas virtutes in horto lucis intellectualis dirigo ad te contemplandum, quàm inveſtigativas præparem ad tua eloquia meditandum, ut tantò ſequatur eloquiorum ſanctorum ſubtilior perſcrutatio, quantò purior ac major & maturior ante præceſſit Divinorum contemplatio. Siquidem in contemplatione humana intelligentia intelligibili lumine amoris accenditur, quo facillimè omnis ſcripturæ obſcuritas illuſtratur, illuſtrata intelligitur, intellecta ſuavius & dulcius opere completur. Dum enim theoricus intellectus ſui intellecti formam induerit, non modo leviſſimum, ſed etiam delectabiliſſimum eſt ei hoc exſequi, quod intendit. Unde & taliter diſpoſitam dilectus ſponſam ſentiens ſuam ajebat:

Dem-

Dentes tui ſicut grex ovium, quæ aſcenderunt de lavacro. A.

Quaſi dicat: tui accutiſſimi & fortiſſimi intellectus ſunt velut ſimpliciſſimæ & mundiſſimæ intelligentiæ, quæ de veritatis balneo exierunt.

Nota, quoniam largo loquendi modo tot ſunt Deiformis animæ intellectus, quot ſunt niſus ad diverſa Divinorum oblectamenta. Hoc enim idipſum meretur, ut ipſa vel in ipſis aliquid intelligat. Unde meritò dici poteſt, quod & in niſu eſt intellectus, & B. in intellectu niſus, ita ut magis nitendo clariùs intueatur, & clariùs intelligendo fortiùs nitatur. Hos autem idcirco *dentibus* comparamus: quia, ſicut ipſi acumine & fortitudine vigent ad dura quæque atterendum cibaria: ſic hujuſmodi nimirum intellectus aut niſus univerſa nutrimenta intellectualia tam invalida quàm fortia ſui fortis deſiderii cuſpide comminuentes trajiciunt ad Deificam animæ vivificationen & impinguationem, quemadmodum dicitur per Prophetam: *Sicut adipe & C. pinguedine repleatur anima mea.* (Pſal. 62. 6.) Benè igitur intellectus *gregi ovium de lavacro aſcendentium* comparantur: quia, dum ipſi multùm & ſimplicibus intelligentiis ſive objectis de purgatiſſimo lucis alveo, aut de Theologiæ ſtagno emanantibus fortiter intendunt, ipſorum formam induunt & inbibunt, ut tales ſint formaliter intellectus, quales ipſorum intelligentiæ: tales dentes ſponſæ, quales greges ovium de lavacro aſcendentium. Si autem iſtius induitionis & inbibitionis intellectualis modum ignoras, interroga materiale ferrum, quo- D. modo formam ignis induit. Similiter etiam qualiter lana colorem inbibat, ut ſic per hujuſcemodi manuductionem pervenias ad ſupermentalis illius unitionis intelligentiam.

Quia verò Divinorum intelligentiæ ſic ex ſontalis lucis lavacro emanant, quòd tamen ſteriles non manent, ideo benè adjungitur:

Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

Hoc eſt: univerſæ Divinorum intelligentiæ habent virtutem à diſſimilitudinibus ſeparandi & cœleſtibus uniendi, nec eſt invenire inter ea aliquam otioſam.

Nam cùm anima in alicujus ſupermentalis rei eſt actualiter intelligentia conſtituta, neceſſe eſt ipſam à materialibus abſtrahi ipſius, & in Divina ſubvehi Divini intellectus virtute, qui ſicut ab omni materiali diſſimilitudine eſt elongatus: ſic ad Divinam ſimilitudinem ipſum aptiſſimum eſſe conſtat. Itaque *fœtus gemelli* omnium ſpiritualium intelligentiarum ſunt à diſſimilitudinibus ſeparatio, ad omnia Divina aſſimilatio, quorum unus eſt purgativus, ab impuris ſeparans, & reliquus perfectivus Divinis aſſocians. Idcirco autem in eis *nulla ſterilis* reperitur: quia nunquam aliqua Divina intelliguntur actualiter & experientialiter, quando aliquid impuritatis in anima obtinet.

Unde cernens dilectus ſponſam ſuam tam nobiliter purificatam per ablationem à diſſimilitudinibus & tam mirabiliter Deificatam per unitionem ad ſupermundana, ait:

Sicut cortex mali punici, ita gena tua abſque occultis tuis. ℣. VI.

Quaſi dicat: qualis eſt pulchritudo ſive claritas Divini radii, talis eſt ſpecies tuarum affectionum, exceptis privatis diſtributionibus tibi inditis.

Si diligenter attendimus, paulo ante nobis monſtratum eſt, dilectum ſponſæ fore *candidum & rubicundum*, per quem ſuperamabilis Divinus radius figuratur, ſicut ibi diſſertum eſt. Cùm itaque affectiones animæ Deiformis nulla ſplendeant claritate, nulla rubeant charitate, quæ non à Divino emanent radio, ſicut omnium virtutum totalis * formatio: reſtat, ut qualis eſt ipſe ſpeciei, talia ſint & ea, quæ ab ipſo ſpecificantur ſive pulchrificantur aut informantur. (* *Cod.* totaliter.)

Si autem quæris, cur ipſe radius tot diverſis nominibus nuncupetur, ut nunc *dilectus*, nunc *malum punicum*, aut quolibet alio nomine dicatur, ſanè dicendum, ipſum multis & variis di-

ſtributionibus abundare, & ideo meritò diverſis vocabulis appellari. Quomodo enim non debeat dici *malum punicum*, qui & rubicundum reddit ignificando, candidum illuminando; rotundum proficiendo, gemmulis plenum variis diſtributionibus adimplendo? Pulchrè igitur *genæ* ſponſæ *cortici mali punici* aſſimilari dicuntur: quia dubium non eſt, affectiones ſponſæ tali ſpecioſitate vigere, quali pulchritudine conſtat Thearchicum radium refulgere, dum eodem lumine ſeu formâ decoratur illuminatum cum illuminante, ſicut patiens cum agente.

Quod verò dicitur: *abſque occultis tuis*, ad illas inditas diſtributiones puto pertinere, quæ nunquam in publicum efferuntur, ſed in intimis cordis ſecretiſſimè cuſtodiuntur ſicut prætioſiſſimæ & paucis intellectibus aptæ. Hinc eò nobiliùs novis irradiationibus perluſtrantur, quò ſapientiùs & reverentiùs humiliter occultantur. Unde per B. Dionyſium in Eccle. Hier. c. 2. *Dicimus*, inquit, *quod eſt Divinæ beatitudinis bonitas ſemper ſe eodem & eodem modo habens, proprii luminis bonum operantes radios extendens copioſè ad omnes intellectuales viſiones.* Igitur quantò ſecretiùs fuerit, quod intro latet & intellectualius, tanto certum eſt radiari copioſius. Hinc etiam eſt, quòd alibi ſuas certi[illegible]pàs intellectuales viſiones petit unitivo & diſcooperto lumine adimpleri, quod & intellectuali Petro legimus contigiſſe, dum eximium
Act. 12. 7. illu *lumen refulſit in habitaculo*, quo latebat, non tam materiali quàm ſpirituali.

Ne autem putet ſponſa ſe ſolam Divina ſimilitudine & pulchritudine redimitam, ideo benè per dilectum dicitur:

℣. VII. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.*

Quod eſt dicere: multæ & perfectæ ſunt animæ, quæ ad Divinam unitionem & regiam generationem & ſu-A. pernaturalem ſublimitatem admittuntur: plures verò, quæ ad hujusmodi exſequenda fortiter exercentur: infinitæ autem, quæ tantùm bonis deſideriis commoventur.

Siquidem ſexies decem *ſexaginta* fiunt, in quo non ſola pluralitas, ſed cum pluralitate perfectio per denarium numerum intelligitur, quæ de *reginis* intellectualibus prædicatur. Nam plures ſunt, quantum ad numerum, quàm ſexaginta, perfectâ propter numeri myſterium, quod tibi diſcutiendum relinquo. Scimus autem
B. materiales reginas triplici inter alias gaudere proprietate; quoniam ad cubile regium admittuntur, regiam ſtirpem generant, & regio diademate coronantur. Quid igitur dicere eſt dilectum: *ſexaginta ſunt reginæ*, niſi multæ & perfectæ ſunt animæ Divina unitione fruentes, motus Deificos emittentes, & ſublimi perfectione refulgentes?

Præterea quid per *octoginta concubinas* niſi illas animas, (accipimus) quæ etſi iſta non habeant, tamen ad ea ob-
C. tinenda viriliter laborant? Etenim *octoginta* ex octies decem ſurgit: per quod exercitium circa perfectionem ſignificatur, & jam ſicut denarius numerus eſt perfectionem ſignans, ſic octonarius laborem & exercitium exprimens. Hinc eſt, quòd David octavus filius Iſai ad laborem regalis exercitii eligitur. Sic & Noë cum octo animabus regendam arcam ingreditur. Sic & octo beatarum virtutum exercitia ſunt, quibus ad veram beatitudinem pervenimus. Benè igitur *octoginta* dicuntur eſſe *concubinæ*: quia eſt nume-
D. rus animarum ad perfectionem laborantium, & in ea ſe exercitantium major, quàm eandem jam obtinentium. Unde & pauciores ſunt reginæ quàm concubinæ, & animæ nondum perfectæ, quæ ob hoc concubinarum nomine nuncupantur, quoniam ad aliquam unitionem ſive copulam admittuntur, ex qua ſi boni & naturales motus, non tamen perfecti & gratuiti & Deifici generantur, ſicut ex unitione perfecta & vera minime procedentes.

Quod

Quod autem ſequitur: *& adoleſcentularum, quarum non eſt numerus*, ad illas referendum eſt animas, quæ quibusdam noviter exferveſcentibus (motibus) ad Divinam inhiant perfectionem: quæ licèt nondum in magnam utilitatem, in decorem tamen & honorem Aulæ regiæ cedunt ſive Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Novit namque ſuperdulciſſimus dilectus noſter benignè ſibi complacere ſuper
Pſal. 68. 32. *vitulos novellos cornua producentes & ungulas*, hoc eſt: ſuper rudes adhuc animos, novos motus, & affectiones adoleſcentulas pullulantes.

Quia verò inter omnes regias concubinas & adoleſcentulas noſtra ſponſa majori reſplendet ſanctitate, propterea aptè adjungitur:

℣. VIII. *Una eſt perfecta mea, columba mea, una eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ.*

Quaſi dicat: dilecta mea ſingularis eſt ab aliis in mentis ſimplicitate, perfectionis ſublimitate, ferventi charitate, & Divinæ dulcedinis ſuavitate.

Unde enim ait: *una eſt columba mea*, ſingularitas oſtenditur ſimplicitatis, ex qua Divina affabilitas & inſpiratio obtinetur juxta Theologiæ ſententiam,
Prov. 3. 32. qua dicitur: *cum ſimplicibus ſermocinatio ejus*, id eſt: intellectualis allocutio & inſpiratio, quæ maximè in mundis cordibus actitatur. Quod verò ſubdit: *una eſt perfecta mea*, totius virtualitatis perfectionem ſingularem innuit, quod non eſt humanæ virtutis ſed Angelicæ adminiſtrationis & Divinæ diſtributionis.

Quid autem ſibi vult, quod ſequitur: *una eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ*, niſi quòd ipſi ſingulariter eſt ardenti charitate mancipata, & nobiliter per ſuavitatem Divinæ dulcedinis adoptata. Sicut enim per maternum affectum fervens ſignificatur charitas: ita per teneritudinem *genitricis* Divinæ dulcedinis exprimitur ſuavitas, quibus dilecti ſponſa tam copioſè perfunditur, ut quaſi ipſa ſola filia charitatis & electa Divinæ dulcedinis videatur. Unde quia hoc non tam intenſivo deſiderio deſiderandum,
A. quàm ingenti demonſtratione venerandum, ideo congruè ſubinſertur:

Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicaverunt: reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.

Quod eſt dicere: tam incipientes quàm perfectæ & proficientes animæ ſive ſubſtantiæ infimæ Hierarchiæ, ſupremæ, & mediæ, ſponſæ dilecti gloriam admirantes, ipſam laudibus eximiis extulerunt.

Non enim DEO, ſed & Angelis
B. & hominibus fit ſpectaculum anima Deiformis, DEO quidem ſicut amore ardentiſſima, Angelis autem ſicut per puritatem caſtiſſima, hominibus ſicut per humilitatem ſublimiſſima & Divinæ influitionis capaciſſima. Tamen quia *ſtella à ſtella differt in claritate*, idcirco tam ho- 1. Cor. 15. 41.
mines quàm Angeli diverſis his nominibus diſtinguuntur. *Viderunt*, inquit, *eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicaverunt*, * id eſt: incipientes animæ vel infimæ Hierarchiæ ſubſtantiæ, quarum eſſe * & benè eſſe ex matre omnium
C. Divina bonitate non eſt dubium finaliter proceſſiſſe. Similiter etiam *reginæ & concubinæ laudaverunt eam & viderunt eam*. Sed quid per *reginas* niſi perfectas animas & ſuperioris Hierarchiæ ſubſtantias intelligimus, quæ omnes pretioſiſſimo univerſæ perfectionis diademate, amore, cognitione, fruitione quaſi quibusdam refulgentibus gemmis conſerto pulchrificè coronantur? Inſuper quid per *concubinas* congruentiùs accipimus, quàm proficientes animas, aut ſubſtantias mediæ Hierarchiæ, quæ inter inferiores & ſuperiores quaſi inter duo Divina ube-
D. ra & extrema amatoriè collocantur, non hinc ad inferius per pedeſtrem ſubjectionem depreſſæ, neque inde ad ſuperius ultra, quàm datum ſit, elatæ?

* Cod. prædic. & incip.
* Cod. eſt & bene eſſe.

Quæ autem harum omnium ſit prædicatio & laus de anima Deiformi, ſubſequenter adjungitur:

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? ℣. IX.

A. Quod eſt dicere: quantæ excellentiæ eſt hæc anima, quæ de ſtatu in ſtatum proficit quaſi lux primaria ſe diffundens, clara ùt lumine participans, clariſſima ùt fontali lumini unitiſſima, admirabilis velut Angelorum turma ſapientificè adornata!

Hìc nempe prudenter annotandum eſt, nihil æquè inter rationalis animæ actiones Angelica admiratione dignum, ſicut eùm ipſa tenebras ſuæ mortalitatis egrediens per contemplationis exceſſum per Divinorum ſpirituum regionem luculenter progreditur, quod utique minimè B. facere poteſt niſi ſuper eam primò Solaris radius oriatur, cujus ſuperbona & ſuperdulci excitatione & advocatione egrediatur, egreſſa *progrediatur*, & progrediens ingrediatur in potentias ſe ducentis. Hinc eſt, quòd ad hoc ipſum per ſanctum Iſaiam de novo anima confortatur : Iſa. 60. 1. 2. *Surge*, inquit, *illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt : & ambulabunt gentes in lumine tuo &c* : quaſi aliter ſic diceretur: ò anima viſioni pacificæ mancipata, te contra te eleva amativè ſuſcipiens illu- C. ſtrationem Thearchici radii ad te perficiendum venientis, & propter hoc glorioſè ſuper te orientis: & ſi hoc egeris, naturales tui motus proficient in tui illuſtratione, & gratuiti (erunt) in tui refulgentia ſuper te emanantes.

Meritò itaque perfectæ animæ aut ſupercœleſtes ſubſtantiæ admirantur de dilecta ſponſa, *quæ progreditur*, id eſt: de profectu in profectum, de ſtatu in ſtatum, de lumine in lumen graditur: & hoc *quaſi Aurora conſurgens*, hoc eſt: velut Divini radii primaria lux ſe ipſam in animam paulatim diffundens. Non D. enim ſimul & ſemel perfectam illuminationem recipit anima, ſed gradatim, quemadmodum & per Divinam Theologiam traditur : Prov. 4. 18. *Juſtorum*, ait, *ſemita, primò quaſi lux ſplendens, poſtea procedit, deinde creſcit uſque ad perfectum diem*. Hinc eſt, quòd in prædicta admiratione de triplici luce agitur, ſcilicet de luce *auroræ*, *Lunæ*, & *Solis*, quarum prima minor eſt ſecundâ, & ſecunda tertiâ. Tunc autem fit anima *quaſi aurora conſurgens* ſive lux ſplendens, cùm jam à tenebroſitate omnium materialium eſt abſoluta per illuminationem Divini radii ſe advocantis, & illuminantis, & in ſe attrahentis. Tunc verò procedit *pulchra ùt luna*, quando majoribus illuminationibus perluſtrata creata inviſibilia contemplatur. Tunc autem *electa ùt Sol*, quando ad perfectam diem augmentata, quando ipſa fontali lumini unita ab ipſo totaliter radiatur, ita ut fiat thronus ejus, id eſt: alta collocatio in DEum, ſicut Sol in conſpectu Angelorum, & ſicut luna perenniter illuſtrata.

Unde benè ab eis *terribilis* dicitur *quaſi ordinata caſtrorum acies* : quia eò amplius eſt admirabilis, quò Angelicæ diſpoſitioni ſimilis. Nam ſicut caſtra ordinatiſſimè collocantur, & tamen ad regis imperium facilè commoventur: ita nimirum cœleſtes ſubſtantiæ licèt Hierarchicè ſint diſpoſitæ, tamen ad ſuperſubſtantialis diſtributionis nutum de majori in majorem cognitionem proficiunt. Eodem modo anima Deiformis quamquam Angelicis illuminationibus ſit ſapientificè redimita, tamen ad Thearchici radii juſſum de lumine in lumen, de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu proficiſcitur lætabunda, quod valde eſt admirationis Angelicæ excitativum.

Igitur relatis à dilecto, quæ ad ſponſæ præconium pertinent, tam in ſua, quàm in cœleſtium mentium perſona, vehementer ipſius ſanctimonia delectatus & ſpiritualibus delitiis illectus, ejus ingreſſus initia ait :

Deſcendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inſpicerem, ſi floruiſſent vineæ, & germinâſſent mala punica. ℣. X.

Quod eſt dicere : principaliter viſitavi animam dulciſſimis refertam virtutibus, ut delectarer in ejus humilibus perfectionibus, & attenderem, ſi adhuc fragrâſſet Divinorum theoria, & pullulâſſent intelligibilia lumina.

Attende, quoniam deſcenſus dilecti *in hortum nucum* nihil aliud eſt, quàm intenſa Divina diſtributio in animam Deiformem, quæ ab hoc *hortus nucum* dicitur, quia tam virentes affectiones quàm maturas virtutes in ea ſemper eſt reperire. Nux enim exteriùs dura in cortice, ſed dulcis interiùs in nucleo meritò vir-

tutes

tutes figurat, quæ etſi foris aliquam aſperitatem prætendant in actibus, tamen dulciſſimis delectationibus intus vigent in habitibus, ſic frequenter Divinis dulcedinibus irrigatæ. Cauſa verò hujus deſcenſus triplex eſt: ſcilicet pomorum convallium viſio, vineæ floritio, & malorum punicorum germinatio: *ut viderem*, inquit, *poma convallium*, hoc eſt: ut delectarer in perfectionibus humilibus. In *pomo* enim rotunditas, in *convalle* profunditas intelligitur, ex quibus congruè perfectio humilis deſignatur. Unde nihil aliud dilectum eſt *videre poma convallium*, niſi ipſum profectibus humilibus delectari. Magnæ quippe virtutis eſt ſublimitatem perfectionis habere, & nunquam profunditatem humilitatis deſerere, ſed inde ſemper humiliari profundiùs, quò ſe agnoſcit perfici ſublimiùs. Cum dulcedine ergo & rotunditate perfectionis ſemper habeant profunditatem humilitatis, qui volunt, ut in hortum eorum dilecti diſtributio condeſcendat. Non enim ſufficit habere poma dulcis perfectionis, niſi ſint de convalle infimæ humiliationis.

Cauſa autem ſecunda *vineæ florentis* eſt *viſio*: *& inſpicerem*, ait, *ſi floruiſſent vineæ*, id eſt: ſi adhuc ſuam fragrantiam emiſiſſet mentalis theoria ſive intellectualis actio. Sicut enim vinea ex paxillis conſtat & vitibus: ſic mentalis theoria ex puris motibus ſive intellectibus, ſive Divinis affectionibus generatur. Quæ benè tunc *florere* dicitur, quando per ejus bonam negotiationem in tantum anima in DEum proficit, ut quadam indicibili fragrantia corporaliter reſpergatur, ita ut ab ea omnis ſerpentina calliditas propulſetur. In hujuſmodi verò vineæ floritione eò amplius delectatur dilectus, quò non tantùm floritionem ſuavis fragrantia, ſed etiam multarum illuminationum refulgentia comitatur. Unde etiam dicit, ſe inſpicere velle, *an germinarent mala punica*, hoc eſt: utrum intellectualia adhuc lumina pullulaverint, ex quibus anima intellectualiter fit rubicunda per ſignificationem, & gemellis * plena per Divinorum multiplicem objectorum viſionem. Hinc eſt, quod Divinus tradit Dionyſius 1. cap. de Myſt. Theol. *Intellectualem animum videre multa lumina cum fulgore emittentia mundos*

* ſ. leg. gemmulis.

Iſa. 58. 11.

A. *& multum effuſos radios*, id eſt: puras & multimodas viſiones: quemadmodum & alibi per bonam Theologiam idem promittit: *implebit*, ait, *ſplendoribus animam tuam*.

Talibus ergo ſponſa ex deſcenſu dilecti in ipſam debriata diſtributionibus, ita ut ſui ipſius penitus ſit oblita, ait:

Neſcivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. ℣. XI.

Ac ſi dicat: ſtatum, in quo fui nunc, B. penitus ignoravi, & ipſa amativa & vivificativa diſtributio me totaliter immutavit propter ſurſum vectivas virtutes Divini amoris.

Notandum enim eſt, quòd plerumque ad deſcenſum Divini fluxus tantis ſuavitatibus & dulcedinibus anima occupatur, ut quaſi omnino ſe neſciat. Quod per Theologiam Geneſeos optimè nobis figuraliter demonſtratur, dum ob nimiam copiam & abundantiam tam delitiarum quàm divitiarum oblitus eſt regis pincerna interpretis ſui. Hoc autem fit, quando animus Divino cultui deditus ob in- C. gentem affluentiam diſtributionis perſuaviſſimæ & ſuperdulciſſimæ obliviſcitur rationis ſive intellectus, quorum unum rerum materialium, alterum verò intelligibilium eſt interpretativum. Unde quia ad tantum exceſſum non eſt dubium, animam rationabilem valde alienari, ideo benè ait ſponſa, *ſe à ſua anima conturbari*, hoc eſt: ab amante & vivificante Divina diſtributione vehementer immutari. Re autem vera talis immutatio eſt dexteræ excelſi: quoniam in anima glorioſius conſolatur & delitiatur. Unde per talem extaſim amplius *conturbatur* ſive im- D. mutatur.

Gen. 40. 23.

Si ergo quæratur à ſponſa, cur ab intelligibili bono nutrimento, ſe amante & vivificante Thearchica diſtributione fuerit *conturbata*, reſpondet, quòd *propter quadrigas Aminadab*, id eſt: propter ſurſum vectivas virtutes Divini amoris. Nam Divinus amor quò fuerit intenſior & virtuoſior, eò ad ſurſum agendum & ſubvehendum intelligentiam ad Divina contemplanda aptior & fortior. Secundùm autem quantitatem ſurſum actionis circumſcribitur & determinatur magnitudo extaticæ conturbationis aut immutationis.

tionis. Et idcirco ſponſa noſtra tantò A. ampliùs eſt *conturbata*, quantò per fortitudinem *quadrigarum Aminadab* eſt ſublimiùs ſurſum acta & ſubvecta.

Illud verò non eſt prætereundum, quare per Aminadab, qui *ſpontaneus meus* interpretatur, Divinus ſignificetur amor. Cujus rei cauſam hanc fore æſtimo: quoniam ſolo Divino amore mediante anima ſponte Divino jugo & cultui ſubjugatur, & per ipſum omne difficile & contrarium voluntariè tolerantur nullo ad aliquam remunerationem habito reſpectu, ſed tantùm ad eum, quem ſolùm propter ſe ipſum diligit, ſuperamabilem B. & ſuperdulciſſimum Crucifixum.

Itaque cernentes adoleſcentulæ Deiformem animam à ſuis aſpectibus amoveri, & in quadrigis igneis more Eliæ aſportari, ajunt unanimiter exclamantes:

℣. XII. *Revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.*

Quaſi dicant: ô anima captiva amoris vinculis, redeas purificata, ignificata, illuminata, & intelligibilibus fragrantiis C. ſuavificata, ut ſic tuæ pulchritudinis ſpecie delectemur.

Attende, quoniam hæc exclamatio quater geminata adoleſcentularum eſt intelligentiæ, id eſt: aliarum virium animæ vehementer deſiderantium ipſius reditum ſive deſcenſum à contemplatione cœleſtium propter quadruplicis boni effectus utilitatem inde conſequendam. Cùm enim noſtræ mentis Seraph adminiculantibus ardentis deſiderii virtutibus ad contemplanda cœleſtia elevatur, quatuor glorioſiſſimis diſtributionibus inſignitur, purificatione, ſcilicet, ignificatione, D. & redolitione. Purificatur autem, cùm ab omnibus diſſimilitudinibus elongatur. Ignificatur, cùm ardoribus ſempiternis inflammatur, cùm ſuperlucentibus irradiationibus fulgurатur. Suavificatur, cùm ſuperolentibus Divinis fragrantiis & odoribus delectabiliter adventatur, ita ut nihil ſit ibi penitus ſordidum vel frigidum vel tenebroſum, vel fœtidum, ſed potiùs omni pulchritudine nitens, omni calore vigens, omni lumine micans, & omni odore fragrans. Unde talibus delitiis & margaritis ſentientes adoleſcentulæ ſive inferiores animæ vires intelligentiam ornatam, ejus ſuppliciter & uniformiter acclamant reditum dicentes: *Revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere, intueamur te.*

Sunamitis autem tantum ſonat, quantum *captiva* vel *mortificata*, per quam noſtræ mentis Deiformitas meritò figuratur, quæ ſic fortiſſimis Divini amoris ligaminibus compeditur & captivatur, ut penitus omni voluptati materiali ſive diſſimilitudini moriatur. Quòd verò quater dicitur: *revertere*, ipſarum adoleſcentularum aviditas eſt notata erga quadruplicem illum effectum aſſequendum, ac ſi dicat: *revertere*, ut tua puritate purificemur: *revertere*, ut tua ignificatione ignificemur: *revertere*, ut tua illuminatione illuminemur: *revertere*, ut tua fragrantia ſuaviſicemur. Dubium enim non eſt, quin omnes vires animæ, ſive ſit ſenſus, ſive imaginatio, ſive ratio, ſive intellectus, eò amplius in ſuis actibus proficiant, quò intelligentia plus in Divina profecerit, cùm ipſarum omnium profectus & uſus ab iſtius dependeant unitate non principaliter, ſed ſecundariò. Ipſius namque eſt primò à Divina bonitate emanantes diſtributiones ſuſcipere, ſuſceptas verò ſuis inferioribus ſecundùm earum proportionem boniformiter erogare.

Sed quid eſt, quod addidit: *ut intueamur te*, niſi quod ipſæ inferiores animæ vires, quæ famulantur intelligentiæ, in ejus pulchritudinis ſpecie vehementiſſimè delectantur? Ejus enim Deificatio ipſarum eſt admiratio, contemplatio & delectatio. Hinc eſt, quòd omnis ſenſus & vires ſpiritualium ſemper ad intima & ſuperiora recurrunt, ita ut plerumquè difficile ſit eorum impetum & aviditatem poſſe vel ad modicum refrenare. Propter quod S. Job ajebat: *Suſpendium elegit anima mea, & mortem* Job. 7. 15.
oſſa mea, hoc eſt: tam debilia quam fortia præcordiorum meorum ad ſuperiora intelligentiæ elevantur, de exterioris hominis mortificatione penitus non curantes. Sequitur ſeptimum Capitulum.

CAPUT VII.

℣. I. *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?*

Dilectus noſter ſicut amore ſuæ ſponſæ ſortiter vulneratus & in ſuavi intuitu ejus pulchritudinis occupatus (quoniam ubi amor viget, ibi videt oculus) intendens in eam ait uni ex magis familiaribus dilectæ ſuæ contubernalibus:

Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?

Quod eſt dicere: quid aliud intueri poteris in Deiformi ſponſa quàm dulciſonas harmonias virtutum Angelicè immiſſarum?

Si diligenter advertimus, tria hæc de ſponſa maximè commendabilia proferuntur, ſcilicet continua circa Divina converſatio, ſuavis in delectationibus modulatio, & mirabilis in virtutibus ordinatio. Primum autem elicitur, eò quòd dicitur: *in Sunamite, captiva*, per quod nobis apertè oſtenditur, tantum eſſe amorem ejus & zelum erga cœleſtia, ut nunquam inde aliquatenus ſeparetur, ſcilicet dilectione, cognitione
Eccle. 4. 12. & fruitione quaſi triplici quodam *funiculo, qui difficilè rumpitur*, ibidem perpetualiter captivetur. Quò enim ibi amat ardentiùs, eò videt ſubtiliùs, fruitur ſuaviùs, ac per hoc diutiùs & dulciùs commoratur. O felix captivitas, neſcia prorſus ſervitutis miſerorum, ſed in libertatem gloriæ potiùs tradita filiorum. Suavis verò in delectationibus modulatio per id habetur, quod dicitur: *choros*: Eſt enim chorus modulata vocum concordia, per quod ſuaviſſima harmonia intellectualium delectationum aut inſpirationum animæ Deiformis manifeſtè innuitur, de qua vobis dicitur
Eccli. 5. 20. per quendam Divinitus inſpiratum: *In magna*, ait, *domo auctus eſt ſonus ſuavitate plenus*. Magna autem domus anima eſt Deiformis, ſupermanentium capaciſſima. In hac augetur ſonus ſuavitate plenus, cùm ex ingenti delectatione cœlitus tinnientium inſpirationum ſuavitate quadam indicibili adimpletur, ita ut in tympano & choro, in chordis & organo non ceſſet laudare ſuperlaudabilem juxta illud ſancti Tobiæ: *Per omnes vicos Jeruſalem alleluja cantabitur*: Quaſi diceret: per ſingulas vires animæ viſioni pacificæ mancipatæ laus & jubilus inenerrb ilis celebrabitur. Tob. 13. 22.

Mirabilis autem in virtutibus ordinatio ex eo, quòd ait: *caſtrorum*, intelligitur. Nam caſtra ſunt tentoria ad exercitium militiæ prudentiſſimè ordinata. Quid igitur per hoc intelligimus, niſi ſingula virtutum munimina in ſponſa noſtra Angelicè diſpoſita? Amat enim cùm Seraphin, cognoſcit cum Cherubin, judicat cum Thronis, præſidet cum Dominationibus, operatur cum Virtutibus, tuetur cum Poteſtatibus, regit cum Principibus, revelat cum Archangelis, & cum Angelis cuſtodiæ deputatur: quia omnia caſtra ſunt perfectæ animæ, in quibus ſingulas has virtutes tutiſſimè ob intellectuale militiæ exercitium receptat, ita quòd videns dilectus ſponſam ſuam ad aggreſſum ſuæ militiæ progredi, ſapienter ait:

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis!

Ac ſi dicat: valde ſunt puriſſimi motus tüi in ſuis delectamentis, tu quæ es progenies radii principalis.

Sciendum eſt enim, tot eſſe *greſſus* Deiformis animæ, quot ſunt ipſius motus in DEum & profectus, qui meritò *pulchri* dicuntur: quia à ſuis contrariis fortiter ſeparantur, nullatenus permittentes materialibus immunditiis ſe coinquinari. Hinc eſt, quòd pedes in Angelis ſecundùm B. Dionyſium Eccle. Hier. cap. 3. ſignificant *anagogicè motivum & acutum, & velox ad Divina ambulatione ſempiterna motionis*, id eſt: virtutem ſe à materialibus movendi & intellectualia ſcindendi, ſicut pedes ſecant aërem, id eſt: celeriter in Divina proficiendi propter virtutem deſiderii ſemper in DEum ſe promoventis. Unde & ab hoc Theologia ſanctarum mentium alatos figurat pedes, ut per hoc manifeſtè monſtraretur tam ipſorum munditia per ſeparationem à diſſimilibus, quàm eorum agilitas per volatum ad ſuperiora.

Horum autem *calceamenta* ſua ſunt oblectamenta, dum ſcilicet affectus Divina dulcedine, & intellectus Thearchico lumine calceatur. Sine iſtis calceamentis

mentis nullo modo poſſunt prærupta & ardua montuoſæ regionis, id eſt: intelligibilium peragrari. Unde & hoc proprium in ſe ipſo Propheta expertus ajebat: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua.* Quaſi diceret: niſi nobis infuderis tui intelligibilis luminis claritatem, & cœleſtis dulcedinis veritatem, non valens ad contemplationis altitudinem pervenire, aut in potentias Angelicarum Hierarchiarum introire.

Pſal. 42. 3.

Illud verò minimè eſt omittendum, quòd ipſa ſponſa *filia principis* nominatur, id eſt: progenies radii principalis, quod fit per ipſius bonam actionem & animæ affectuoſam paſſionem, ex quo Deificatio generatur, quæ eſt proles Divina. Inde eſt, quòd omnes ſpirituales animi Dii vocantur, non per habitum naturæ, ſed per participium gratiæ, ſicut dicitur per Pſalmum: *Ego dixi: Dii eſtis &c.* Quia tamen Divina generatio non eſt niſi per conjunctionem animæ ad DEum, ideo benè additur:

Pſal. 81. 6.

Junctura femorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.

Hoc eſt: conjunctio tuorum principalium motuum ſunt velut quædam aurifrigia ornamenta, quæ operationem ſapientiſſimi radii ſunt fabricata.

Certum quippe eſt, hoc idem eſſe *femen*, ſeu *femina* in mulieribus, quod femur ſive femora in hominibus. Quid igitur per pulchram *juncturam feminum* ad corpus in hominibus, myſticè in perfecta anima eſt intelligendum niſi glorioſiſſima conjunctio piorum ipſius motuum ad plenitudinem Divinorum. Nam dum ex dextero latere amor animæ ſuperardenti conjungitur igneitati, & ex lævo cognitio ſuperſplendenti claritati unitur velut in una eadem re ſe jungentes, hoc eſt: in DEO tunc quaſi in figura quadam & cum pulchritudine micantia ornamenta ipſi animæ circumponuntur. Quæris, quæ ſint illa? Profectò ardor lucens & lux ardens, quæ ſunt *monilia* non niſi per operationem artificioſiſſimi radii fabrefacta, à quibus puto illam emanare *gloriam filiæ regis ab intus in fimbriis aureis* ſplendidè prodeuntem, ita ut varietatibus & dulcoloribus cir-

Pſ. 44. 14

A. cumamicta longè lateq; ipſius ſpeciei claritas diffundatur.

Quoniam autem per conjunctionem principalium motuum ad DEum ſequitur plenitudo & perfectio amoris, ideo aptè ſubjungitur:

Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.

Quod eſt dicere: vis tuæ intellectualis concupiſcentiæ eſt quædam plena & perfecta diſtributio ſuperabundans in fluitionibus.

B. Notum nobis ſiquidem eſſe debet, virtutem concupiſcendi in mulieribus ſedem habere in umbilico, quemadmodum viris in lumbis. Unde meritò ardens concupiſcentia Deiformis animæ erga dilectum ſuum per *umbilicum* ſignificatur, ex quo eam appetit delectabiliter & intellectualiter counire, ut inde motus & actus Deifici generentur. Hinc arbitror eſſe vocem illam, qua dicitur: *da mihi liberos, alioquin moriar.* Sed ideo hæc ipſa ſancta concupiſcentia *crater tornatilis* dicitur: quia plenæ & perfectæ diſtributionis eſt contentiva. * Plenitudo autem notatur in *cratere*, quia concavus: perfectio verò, quia *tornatilis* & rotundus. Talis perfectio eſt virtus intellectualis concupiſcentiæ ſive amor Divinus. Nam ſemper eſt plenus, quia capaciſſimus: ſemper perfectus quaſi rotundiſſimus. Semper plenus quidem propter abundantiam diſtributionum, quarum eſt contentivus, ita ut ex nimia plenitudine ſemper quaſi extaſim patiatur: ſemper perfectus verò propter interminabilitatem illuminationum & DEI viſibilitati unitionum, quarum eſt operativus, ita ut ſine ipſo nulla perfectio habeatur, aut aliquid iſtorum obtineatur. Aſſimilatur etenim ſuo fontali pelago, à quo manat, quod ſemper eſt plenum, ſemper perfectum, & ideo ab ipſo pleni & perfecti rivuli derivantur. Unde per S. Dionyſium traditur in Epiſtola ſua ad Titum, quòd ipſa *ſuperſapiens & bona ſapientia craters ab eloquiis Divinis comparatur, ſicut myſticum continens & ſanctum potum propinans, & alimentum tribuens, unum quidem fortiter manens, aliud verò humidum & perfuſum.*

Gen. 30. 1.

* Cod. continua.

Quomodo autem hic *crater* rotundus & apertus & ſuperpropinativus exiſtat,

* C. d. ibi. ſtat, & quid iſta alimenta & potus ſigni- A. ficent, non hic eſt diſſerendum, ſed tibi * potiùs requirendum. Dicimus igitur, quòd Divinus amor *crater tornatilis* dicatur tum propter plenitudinem diſtributionis, quam continet, ſcilicet dulcedinis, luminis, ſuavitatis & hujusmodi, tum propter perfectionem unitionis, quam continet, tum etiam propter abundantiam ſuæ influitionis, quam ex ſui plenitudine emittit. Unde meritò ipſe *nunquam egere poculis* dicitur, id eſt: ſemper emanationibus abundare. Nam minus dicit, & plus ſignificat. Vis ſcire, quomodo abundet poculis? Audi, quid Theologia dicat: B.
Gen. 2. 10. *Et fluvius*, inquit, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum.* Quis eſt iſte *fluvius egrediens?* Profectò Divinus amor ardeſcens. Quis eſt *locus voluptatis?* Animus Deiformis. Quæ eſt *Paradiſi irrigatio?* Nihil melius, quàm delectabilium virtutum perfectio, ſive ipſius innenerrabilis quædam ſuavitas & dulcoratio, quæ ab ipſo Divino amore flagrantiſſimè emanans per totam animam copioſiſſimè ſe diffundit, ipſa totaliter intelligentias ab uſu rationis penitus alienans. Hæc ſunt illa dulcia pocula, quibus C. ſanctus Jeremias extitit inebriatus, & quaſi à vino madidus. Hæc eſt illa fortiſſima diſtributio, quæ facta fuit in corde ejus
Jerem. 20. 9. quaſi *ignis æſtuans*, ita ut nullatenus poſſet ſuſtinere, quin illum eructaret. Igitur quia indeſinens diſtributio intelligibiliũ poculorum majorem parit teneritudinem deſideriorum, propterea benè ſubjungitur:

Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis.

Ac ſi dicat: teneritudo tua circa dilectum eſt velut cumulus ſive abundantia cibi regii caſtiſſimis ſenſuum motibus circumdatus. D.

Notandum, quòd teneritudo circa DEum nihil aliud eſt niſi amor quidam dulciſſimus, quo anima non patitur individuum ſuum à ſuis gremiis, oſculis & amplexibus ſeparari, aut aliquid committere, quo ipſius dulcis præſentia moleſtetur. Hæc autem teneritudo benè per *ventrem* ſignificatur: quia ſicut inter membra ipſe venter eſt tenerior: ita iſta virtus inter reliquas eſt dulcior ad ſentiendum, ſuavior ad appetendum, & mollior ad contrectandum ipſum dilectum dulciſſimum, ſuaviſſimum & molliſſimum.

Sed quid eſt, quod *acervo tritici* hujuſcemodi virtus comparatur, niſi quòd ex ipſa maxima copia & affluentia cibi regii generatur? Nam quanto ipſe dilectus amatur tenerius, eò paſcitur & cibatur uberius: & quo amor fuerit tenerior, tantò & cibus, id eſt: ſuavitas affectionis erit abundantior, quæ ſic eſt cibus Divinus, quemadmodum triticum cibus regius eſſe fertur.

Quod verò ſubditur: *vallatus liliis*, ipſos puriſſimos & caſtiſſimos materialium ſenſuum motus puto ſignificari, quibus ipſe acervus tritici, ſive abundans amoris ſoliditas circumſepitur & circumornatur, ne ei adulterinus amor ſe immiſceat, ut tantò creſcat altiùs, quò puriùs cuſtoditur. Summa enim cum diligentia eſt ſervandus talis cibus, quo ipſe dilectus paſcitur & nutritur. Hinc eſt, quòd nobis per ſanctum Zachariam traditur: *Quid* Zach. 9. 17.
aliud bonum ejus, & quid pulchrum niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Quaſi diceret: nihil eſt in electis, quod melius vel pulchriùs reputet DEus, quàm ipſam amoris ſolidationem, qua non ſolus cibus Divinus conficitur, ſed vinum ſpiritualis lætitiæ exprimitur, ex qua affectiones & actiones puriſſimæ producuntur. Unde aptè ſubjungitur:

Duo ubera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

Hoc eſt: plenæ duæ diſtributiones ſunt veluti uniti & contemporanei effectus amantiſſimæ charitatis.

Quæris, quæ ſunt iſta *duo ubera*, vel duæ plenæ ſponſæ diſtributiones? Reverà hæc ſunt dulcedinis ſuavitas & luminis claritas, quæ de intimo ipſius pectoris fluunt abundanter ad parvulorum adhuc motuum nutrimentum. Lacte enim opus habent ſuavis luminoſitatis, & lumine dulcedinitatis, non ſolido cibo fortiſſimæ contemplationis Divinitatis.

Pro tanto autem *duobus hinnulis gemellis capreæ* hæ diſtributiones aſſimilari perhibentur: quia dubium non eſt, ipſam mentis dulcedinem & claritatem duos eſſe effectus pares & coævos Divinæ charitatis, quæ velut *capreæ* curſum habet agiliſſimum ad mentaliter ſurſum agendum, & viſum acutiſſimum ad intelligibilia contemplandum. Nam nihil eſt, quod in tantum mentales motus acceleret & viſus

viſus ſubtilizet, ſicut ignita & luculentiſſi- A. ma charitas. Igitur talis cerva vel caprea ſit nobis chariſſima & amantiſſimus hinnulus ipſius. Ubera ejus inebrient nos omni tempore, & ſic in amore ejus continuè delectemur. Ita enim ſiet, ut per hoc noſtræ mentis Deiformitas in altiſſimis ſtationibus intelligibilium collocetur. Nam ſequitur:

Collum tuum ſicut turris eburnea.

Hoc eſt: tuæ mentis intelligentia eſt in altiſſima & caſtiſſima contemplatione B. intelligibilium ſublimata.

Vide, quoniam ſicut mediante collo corpus unitur capiti & caput corpori: ita mediante intelligentia anima unitur DEO & DEus animæ. Et ideo benè per *collum* ipſa intelligentia deſignatur, ſicut DEI & animæ unitiva, & nutrimenti intelligibilis trajectiva ad ipſius animæ incrementum. Unde tali nutrimento ſponſa noſtra delicatiſſimè alita in tantum crevit ipſius ſublimitas, ut *turri eburneæ* comparetur.

Sed quid per *turrim eburneam* convenientiùs intelligitur, quàm ipſa altiſſima & C. caſtiſſima intelligentiæ contemplatio ſive ſtatio, ad quam ſponſæ Deiformitas eſt ſublimata? Nam ſicut per *turrim* altitudo ita per *ebur* caſtitas figuratur, quæ ambo de contemplatione perfectæ animæ prædicantur: Altitudo quidem, quia usque adeo de terrenis ad cœleſtia ſublimatur, ut inde poſſit DEI celſitudinem contemplari: caſtitas verò, quia nil inquinatum & impurum incurrit, aut alia aliqua diſſimilitudine inquinatum, ſed potiùs omni ſplendore coruſcum.

Quia verò quantum ſponſæ contemplatio eſt ſublimior per exceſſum chari- D. tatis, & caſtior per munditiam puritatis, tantò etiam eſt copioſior in ſpectaculis veritatis, ideo benè ſubjungitur:

Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon, quæ ſunt in portis filiæ multitudinis.

Quod eſt dicere: tuæ intellectuales viſiones ſunt velut affluentes emanationes diſtributionum in anima ſpirituali, quæ ſunt in propatulis intelligentiæ multitudinem motuum generantis.

Si quæratur à nobis, cur intellectuales viſiones per *oculos* deſignentur, ſanè dicendum eſt, quòd ſicut oculi ſenſibiles ſunt illuminativi ad quæcunque materialia pertractandum: ſic ipſæ intellectuales viſiones ſive objecta aut apparitiones ſunt ſplendificativæ & manuductivæ rationalium therориarum ad finem debitum conſequendum, hoc eſt: perfectionem unitionis. Quæ viſiones idcirco *piſcinis* * *in Heſebon* comparantur: quia ambiguum non eſt, eas ad modum affluenter emanantium diſtributionum in anima dilecta augmentari, ut ex ipſis quaſi ex quibusdam uberrimis fluentis myſtica Heſebon, id eſt: ſpiritualis anima irrigetur. Interpretatur enim Heſebon *cingulum triſtitiæ* & *cogitatio mœroris*, per quod non incongruè DEO dilecta anima figuratur, quæ interdum quodam ſalubri baltheo triſtitiæ cingitur, & perutili nonnullo mœrore afficitur, donec egrediatur ùt ſplendor electus ejus, qui reformet corpus humilitatis ejus configurando ipſum corpori ſuæ refulgentisſimæ claritatis.

* *Cod.* piſcinæ entibus in &c.

Quid verò eſt, quod ait: *quæ ſunt in portis filiæ multitudinis*, niſi quia ipſæ affluenter emanantes piſcinæ diſtributionum intelligibilium ſunt in ipſis propatulis intelligentiæ Deiſormis? Vis audire, quæ ſunt hujus intelligentiæ propatula? Amor ſiquidem & cognitio ea ſunt, juxta quæ cunctæ Divinorum intuitiones quaſi quædam intelligibiles piſcinæ ſtatuuntur, & omnis turma affectionum & caterva intellectuum commoratur cum reliqua cæterorum multitudine. Ex ipſis etiam & per ipſa velut per quasdam portas egreditur anima ad dilectum ſuum, & ipſa ad eum ingreditur. Hæ ſunt illæ portæ, de quibus dicitur per Pſalm. *Diligit Dominus portas Sion*, id eſt: amorem & Pſal. 86. 2. cognitionem contemplativæ animæ: *ſuper omnia tabernacula Jacob*, id eſt: plus quàm omnes ſtrenuas exercitationes animæ deditæ actioni. Itaque quia ubi major claritas & abundantia viſionum, ibi major etiam eſt redolitio diſtributionum, ideo pulchrè ſubinſertur:

Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

Ac ſi dicat: vis tua fragrantiarum intelligibilium diſtributiva & præceptiva altiſſimæ cuidam & candidisſimæ prominentiæ aſſimilatur, quæ intuetur verſus beatisſimum Crucifixum.

Atten-

Attendo, quoniam ſicut materialis A. naſus inſtrumentum eſt olfaciendi quæque: ſic anima benè diſpoſita virtutem ſive vim quandam habet, qua mediante percipit & diſcernit univerſas intelligibiles fragrantias. Hinc eſt, quod per Divinum Dionyſium traditur nobis in Angel. Hier. c. 15. *Olfactuum*, inquit, *diſcretivas virtutes ſuper mentem beneolentis diſtributionis, ſicut eſt poſſibile, receptivum, & non talium ſcientiâ diſcretivum & totaliter effugativum.* Quaſi diceret: nos dicimus virtutes noſtras olfactivas, id eſt; nares, per quas nos diſcernimus olfactibilia, ſignificare in Angelis ſive B. Deificatis animis vim quandam receptivam juxta captum ſuum intelligibilis diſtributionis & Divinæ ſuavitatis variè & copiosè eiſdem mentibus diſtributæ; quæ quidem eſt beneolentis ſuper mentem, quia etiam incomparabiliter ſeparat intellectum Angelicum. Inſuper & vim quandam ſigna diſcernendi per ſcientiam qualibet Divinæ ſuavitati contraria & diſſimilia & eadem omnimodè effugiendi & evitandi. Et inde arbitror ſponſæ *naſum turri Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*, comparari: quia ipſius C. virtus intelligibilium olfactiva prominentiùs & puriùs, quàm poteſt, ſe ad ſuperiora elevat, ſuæ contemplationis obtutum & ſuæ poſtulationis ſpem dirigens ad ſuperdulciſſimum Crucifixum, ut inde optimè ſpirantes fragrantias per circuitum intelligibilis regionis eò copioſiùs ſuſcipiat, quo ſuper ſe aſcendit altiùs, & ipſum promiùs contemplatur. Nam enucleantè Divino Dionyſio Eccle. Hier. cap. 10. *Novimus Thearchiciſſimum JEſum ſubſtantialiter beneolentem intelligibilibus beneolentibus diſtributionibus Divinæ delectationis intellectuale noſtrum ad-* D. *implentem.* Qui non immeritò per Damaſcum, quod *potus ſanguineus* ſonat, deſignatur: quia luce clarius eſt, ipſum ſuperſubſtantialem fontem (eſſe,) à quo omnes ſanguinei potus, id eſt; univerſi hauſtus vitales in cœleſtes ſive rationales ſpiritus derivantur, ſine quibus nulla ſpiritualis creatura ſubſiſteret aut viveret, quemadmodum nec aliquod ſenſibilium animalium poſſet abſque irrigatione ſanguinis vegetari: quia anima omnis viventis in ſanguine eſt conſtituta.

Quoniam igitur beneolentium fragrantiarum & vivificatarum hauſtum etiam repletiones omnium intelligibilium delectationum affluenter comitantur, ideo benè ſubjungitur:

Caput tuum ut Carmelus, & coma capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus. ℣. V.

Quod eſt dicere: tuæ mentis Cherub eſt velut omnium delectationum mollitudine & teneritudine abundans, & actiones mentis tuæ ſunt ſicut Theoria Divina unita intelligibilibus diſtributionibus.

Evidens namque eſt, ipſum caput tanquam dignius cæteris membris præſidere. Sic nimirum intelligentia omnibus viribus animæ eſt prælata ſicut Deiformior. Poteſt autem pluribus vocabulis denominari, vid. ſuperior pars rationis propter majorem dignitatem, ſive intelligentia ad ſubtiliationis perſpicacitatem, aut Deiformitas propter majorem DEI ſimilitudinem, ſive boniformitas propter majorem bonitatis participationem, aut Cherub mentis propter clariorem DEI cognitionem, ſive Seraph mentis ob ardentiorem dilectionem. Quocunque igitur modo nominetur, dicendum, pro tanto ipſum *caput* mentis *Carmelo* aſſimilari, quod ſonat *mollis* vel *tenellus*, ſive *ſcientia circumciſionis*, quia dilectum ſuum ſuperdulciſſimum radium & molliùs ſentit, & teneriùs diligit, & clariùs cognoſcit ea, quæ ſunt ab anima reſecanda & circumcidenda.

Hujus verò *coma* ſunt innumeræ & pulchrificæ actiones ab ipſo fluentes, & ipſi inſeparabiliter adhærentes, quæ benè *purpuræ regis vinctæ canalibus* comparantur: quia ex ipſis actionibus tanquam ex ſuis filis ſubtiliſſimis Theoria Divina quaſi *purpura regis* contexitur, quæ eò deiformiori colore pulchriùs decoratur, quò copioſiùs in ipſis diſtributionibus velut intelligibilibus *canalibus* tincturarum intelligibilium contentivis ſubmergitur. Hoc autem totum alludit artificio, quod in materiali purpura obſervatur. Cùm enim ipſa ſit pannus pretioſus filis contextus, tingitur ſanguine cujuſdam piſcis, qui murex dicitur, qui & capitur in mari Tyrio, propter quod & purpura Tyria nomi-

nominatur, ſi ſanguis ille infunditur canalibus, ut bona ſit tinctio & abundans. Quid igitur purpura niſi mentalis Theoria ex puriſſimis actionibus contexta? Quid ſanguis muricis niſi ſplendor igneus Deifici radii ex pelago infiniti luminis emanantis? Quid infuſio purpuræ in canalibus, niſi unitio Theoriæ cum diſtributionibus pleniſſimis, quibusdam beati radii illuminationibus & delectationibus? Inde eſt, quòd ipſe dilectus ſponſam ſuam ex hujusmodi perfuſionibus quàm plurimùm decoratam attentè admiratur dicens:

℣. VI. *Quàm pulchra & quàm decora es chariſſima in delitiis!*

Ac ſi dicat: valde appares admirabilis, valde exiſtis delectabilis ſponſa mea in affluenti perfuſione Divinarum delitiarum.

Si tamen quæris, unde tam appareat admirabilis ſponſa ſponſo, dicendum eſt, quoniam ex indita fulgenti pulchritudine. Si verò non tam ex iſta delectabilis, profectò ex ſupernaturaliter addita ſuperdulci delitiarum plenitudine. Nam & inditam habet pulchritudinem anima Deiformis, per quam digna eſt animari; & ſuperfuſam ſuperſuaviſſimarum delitiarum plenitudinem, qua oculos ſe intuentium apta eſt delectare. Hinc eſt, quod ait Pſalmus: *Glorioſa dicta ſunt de te civitas DEI.* (Pſal. 86. 3.) Quæ ſunt hæc, quæ dicuntur? *Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Sed qui ſunt hi fines ſponſæ niſi ſuarum intellectualium actionum terminationes, quæ unitione pacifica circumſcribuntur? Qui verò adeps, quo ſatiatur, niſi ſuperfuſarum delitiarum ſolida pinguedo, qua ſuperdelectabiliter ſaginatur? In uno ergo iſtorum redditur admirabilis: in altero autem delectabilis chariſſima DEI ſponſa, ita ut meritò tam pulchram quàm decoram eam dicat.

Sed quoniam juxta bonitatem delicatiſſimi nutrimenti habet fieri & augmentatio intelligibilis nutrimenti, ideo benè ſubjungitur:

℣. VII. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris.*

Quaſi dicat: extenſio tuæ intelligentiæ altæ plenitudini cœleſtis contemplationis configuratur, & virtutes tuæ ſuſceptivæ intelligibilibus diſtributionibus comparantur.

Siquidem nihil aliud eſt *ſtatura* animæ Deiformis quam ipſius recta extenſio, & ob ſupernam rectitudinem & firmitatem dicta ſtatura quaſi ſtans tuta, eò quòd in Divino eſſe tantò ſolidetur fortiùs, quò extenditur altiùs. Quæ pulchrè aſſimilata dicitur eſſe *palma*, id eſt: altæ & pulchræ contemplationi, quia ſecundùm proportionem intellectualis extenſionis. Hinc, ni fallor, eſt, quod parviformis ille Zachæus legatur aſcendiſſe altiùs, ut videret ac videretur clariùs ab ipſo ſpecioſiſſimo formâ non tam præ filiis hominum quàm præ vultibus Angelorum ſuperbeatiſſimo JEſu Chriſto. (Luc. 19. 3. &c.) Ideo autem Divina contemplatio per *palmam* deſignatur: quia ad ipſius ſimilitudinem aſpera eſt in imo, & frondoſa in medio, fructu dulciſſima in ſupremo. Nam etiam circa Divinam contemplationem (hæc) concurrunt, ſine quibus nullatenus finem debitum obtinet. * Et primum quidem eſt aſperitas operis ſive actionis mentalis, per quam initiatur. Secundum dilatatio affectionis ſive fervor orationis, per quam altiùs lævigatur. Tertium verò dulcedo & ſuavitas viſionis, per quam dulciformiter terminatur ſive perficitur.

(* Cod. obtinent.)

Quod autem ſponſæ *ubera botris* aſſimilari dicuntur, puto ſignificari, quod ipſe affectus & intellectus animæ Deiformis, qui ſunt virtutes lactis dulcifluì ſuſceptivæ, intelligibilibus diſtributionibus comparentur, quæ dum velut botri in ſponſæ uberibus fortiter exprimuntur, eis ſuæ Deificæ ſimilitudinis ſignacula largiuntur, ita ut omnino talia ſint contentiva, qualia contenta effecerint.

Itaque à dilecto altitudinem contemplationis ſuæ ſponſæ notabiliùs commendata, nunc, ut in ea ſe oſtendat quàm plurimùm delectari, adjungit.

℣. VIII. *Dixi: aſcendam ad palmam, & apprehendam fructus ejus.*

Ac ſi dicat: hoc ſine dubitatione eveniet, hoc abſque immutatione continget, quod dirigam greſſum meæ conſidera-

ſiderationis in virtutem altæ contempla- A. tionis, & in ejus dulciſſimis & pretioſiſſimis effectibus delectabor.

Gratias tibi ſuperdulciſſime, ſuperſuaviſſime, ſuperpretioſiſſime amor meus, qui tam nobile edictum facere decreviſti, non ob aliquam tui neceſſitatem, ſed propter filiorum tuorum immenſam bonitatem. Duo autem in præmiſſo verſiculo ſunt attendenda: cur videlicet pro *dirigere* dictum eſt: *aſcendam*: & quare pro *delectari* poſitum eſt: *apprehendam*. Cujus rei cauſam hanc fore puto ſalva reverentia intelligentiæ ſanioris. B. Cùm enim dictum ſit ſuperiùs tria debere conſiderari in contemplatione, ſcilicet labor manualis, & mentalis actionis magnitudo, ſive fervor orationis, & ſuavitas unitionis & viſionis, congruè pro verbo *directionis* poſitum eſt verbum *aſcenſionis*: & quia Divina conſideratio inchoat à poſtremo per medium uſque ad ſuperius aſcendendo, qualiter unumquodque animæ exercitium fideliter & viriliter propagatur. Ubi autem proſpexerit ab actione abeſſe negligentiam, & ab oratione inſolentiam, atque à viſione immunditiam & irreverentiam, tunc C. procul dubio *apprehendit fructus ejus*: quia in hujuſmodi contemplationis ſanctiſſimis affectionibus adeo delectatur, ut non tantùm aſpiciat ad delectationem, ſed etiam aſpiciat ad conſervationem, & animativè apprehendat ad bonam & conſertam & coagitatam & ſupereffluentem remunerationem.

Si autem quis mente ſolicitatur, volens fructus contemplationis ſcire, qui ſunt iſti effectus, in quibus tantùm delectus delectatur, poſſumus dicere, quòd ſunt ſeptem, ſcilicet ignificatio calidiſſima, unctio ſuaviſſima, extaſis perfectiſ- D. ſima, ſpeculatio lucidiſſima, deguſtatio delicioſiſſima, quies & unitio pacatiſſima, & gloria ſupergloriofiſſima, & de quibus ſpecialis extat Tractatus juxta Divinam bonitatem noſtræ poſſibilitati communicatam.

Thomas Abbatis Tractatus de ſeptem fructibus contemplationis.

Quia igitur ad aſcenſum dilecti ad palmam animæ Deiformis multa diſtributionis copia infunditur, ideo aptè ſubjungitur:

Et erunt ubera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui ſicut malorum.

Ac ſi dicat: tuæ omnes virtutes Divinis ſuavitatibus & dulcedinibus redundabunt, & fragrantia aviditatis tuæ erit odor intelligibilium radiorum.

Meritò per *ubera* ſponſæ ejus virtutes ſingulæ deſignantur: quia omnes ſunt Thearchicarum influitionum capaciſſimæ. Quælibet enim virtus ſuæ propriæ delectationis quaſi cujuſdam lacteæ diſtributionis contentiva eſt. Hæ autem tunc dicuntur fieri velut *botri*, cùm ex deſuper abundanter fluentibus Divinis ſuavitatibus & dulcedinibus adimplentur, ita ut parvuli earum motus ſugant & repleantur ab uberibus conſolationis earum, mulgentes fortiter & deliciis affluentes. Delectatur quippe dilectus ſuper ipſas quaſi flumen pacis, & velut torrentem botros inundantem. Non igitur mirum, ſi *odor* ſponſæ fiat *ſicut malorum*, hoc eſt: flagrantia deſideria ipſis erunt ſicut odor intelligibilium radiorum, quæ tantis earum beneolentibus diſtributionibus eſt perfuſa. Aut certè per ejus odorem intelligere poſſumus quamlibet ſanctorum verborum pronuntiationem animæ boniformis, quæ eò ſilentiùs, reverentiùsq; ab aliis acceptatur, quò ipſa intra ſe ipſam quidquid profert, ſuaviùs experitur, & flagrantiùs idipſo dulcoratur.

Unde quia hoc ipſum eſſe in ſponſa ſua dilectus minimè dubitat, congruè adjungit:

Guttur tuum ſicut vinum optimum. ℣. IX.

Quod eſt dicere: intima experientia, vel interior prolocutio Divinorum eſt velut ſuavitas quædam probatiſſima.

Sicut enim guttur materiales eſcas guſtu dijudicat, per quod intellectualis experientia figuratur: ſic rurſus mediante ipſo elementa formantur, per quod univerſa Divinorum verborum locutio deſignatur. Quodcunque ergo iſtorum per *guttur* ſponſæ accipiatur, ipſum *vino optimo* comparatur: quia tam intelligibilium alimentorum experientiam quàm Divinorum ſermonum eloquentiam mirabili quadam ſuaviſſima probitate, ſuavitate * certiſſimum eſt redolere. Hinc * *ita Cod.* eſt, quòd Divinus Paulus tali gutture perornatus, talique vino optimo potiſſimè debriatus ajebat: *Chriſti bonus odor ſu-* 2. Cor. 2. *mus in omni loco.* Sed unde hoc? Quòd 15. mente

mente excedebat DEO intimè Divina A. experiendo, & iterum ſobrius erat hominibus eadem Divina modeſtè & reverenter proloquendo, propter quod ipſius ſuaviſſimus odor longè latèque ſpargebatur.

Sciens itaque ſponſa non ſolùm ex ſua vivifica ſuavitate cæteros debriari, ſed etiam ipſum dilectum & Angelos delectari, ait:

Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.

Ac ſi dicat: ipſa meæ experientiæ B. & eloquentiæ Divinorum optima ſuavitas aptiſſima eſt ad dilecti mei beatiſſimi Crucifixi delectationem, & minorum & majorum ipſius Angelorum attentam examinationem.

Luce clarius eſt, quoniam ſi ſola humanæ conditionis attendatur infirmitas, nec Divinæ providentiæ coſideretur benignitas, nihil nobis eſt tam ſanctum tam juſtum, tam devotum, ut *dignum ad*
Iſa. 64. 6. *potandum dilecto* debeat putari, cùm *omnes juſtitia noſtra panno menſtruato* comparentur. Si verò ad ſuam benignam provi- C. dentiam ſolùm dirigatur reſpectus, nihil in nobis eſt tam minimum bonum, quod non apud eum maximum & digniſſimum reputetur. Quomodo igitur ſponſa noſtra de dilecti ſui totaliter bonitate, non ſua aliqua virtute confidens, non ſecurè dicat *vinum ſuum optimum* ex optimo *dignum eſſe ad potandum dilecto*, hoc eſt: ad eum ſuaviter delectandum aptiſſimum? Et quidem hoc poteſt dicere eò ſecuriùs, quò ſe ſentit unitam ſuaviùs. Nam omnia noſtra bona per unitionem ad DEum perficiuntur, & digna delectationi ejus redduntur. Hinc puto eſſe illam bo- D. nam enuntiationem, qua per ipſum
Apoc. 3. 20. Thearchiciſſimum JEſum dicitur: *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſiquis mihi aperuerit, introibo ad illum & cœnabo cum illo & ille mecum.* Quaſi diceret: ego inceſſanter meam affectionem meis illuſtrationibus excito, & ſi quis eas ad intima ſua avidiſſimè introduxerit, delectabor in ejus affectionibus, & ipſe in meis deliciabitur diſtributionibus.

Sed quid eſt, quod ſubdit: *labiis & dentibus illius ad ruminandum*, niſi quòd tam à minoribus quàm à majoribus Angelis noſtræ mentis ſuavitas attentiſſimè examinatur? Idcirco autem per *labia* quorumlibet occultorum verborum expreſſiva, & per *dentes* ciborum ſortium inciſivos minores & majores Angelos dixerim figurari: quia per illos latentia quæque nobis myſteria reſerantur, & per iſtos univerſa fortia Divinorum proventuum nutrimenta validiſſimè atteruntur & comminuuntur, trajicientes * ipſa ad * *Cod.* trajicientia.
ſui ipſorum Deificam unitionem. Talibus verò nimirum vinum optimum animæ Deiformis eſt *dignum ad ruminandum*: quia omnes ipſius ſuaves experientias vel fragrantes affectiones, aut ſtrenuas actiones diligentiſſimè examinant, ne quid difficultatis ibi oriatur, ut eas poſt omnem repurgationem conſpectui ſui dilecti ſuperamabilis repræſentent, quemadmodum de puriſſimis orationibus & actionibus boni Tobiæ legimus ſore factum. Tob. 12. 12.

Igitur ſponſa noſtra tantorum beneficiorum in ſe experta humanitatem, & ipſam ipſius erga ſe cognoſcens dilectionis ſuavitatem, ait ſponſa:

Ego dilecto meo: & ad me converſio ejus.

Quod eſt dicere: me ipſam totaliter ſuperdiligibili radio me committo, & ad meam aviditatem ejus diſtributio eſt converſa.

Quoniam inter omnia bona animæ Deiformis hoc præcipuè eſt notandum, videlicet quòd ipſa ſe totam totaliter diſpoſitioni Divini radii committat ſive in interioribus promovendis, ſive exterioribus exercendis. Hoc autem voluit deſignare ſponſa noſtra, dum dixit: *Ego dilecto meo*: quaſi diceret: totam me toti ſibi committo, & ſuæ diſpoſitioni me ſubdo, nihil mihi de me relinquens. Ut enim ait ſanctus Dionyſius de Div. Nom. cap. 7. *Melius eſt eſſe DEI & non noſtri ipſorum.*

Si verò quæris, quam utilitatem ex hujuſmodi totali commiſſione ſponſa conſecuta ſit: magnam, utique reſpondendum eſt. *Et ad me*, inquit, *converſio ejus*, hoc eſt: ad meam ſitibundam aviditatem ejus diſtributio, ejus influitio eſt converſa adeò copioſiùs, quò me ſibi committo totaliùs, ita ut nunquam deſiſtat influere abundanter, ut & ego me ſibi ſubjiciam inceſſanter, ſicut arbitror eſſe

Zach. 1, 3. eſſe illud: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: quaſi diceret: ſi vos ipſos meæ benignæ diſpoſitioni ſubdideritis totaliter, ego fluenta meæ bonitatis convertam ad alveum veſtræ capacitatis.

Quia verò poſt quietem ſuſceptionis & paſſionis evigilandum eſt ad exercitium actionum, ideò benè ait ſponſa:

℣. XI. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

℣. XII. *Manè ſurgamus ad vineas: videamus, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.*

Quaſi dicat: irradia mihi per amabilis tui radii luminis claritatem, & ſic pariter exeamus ad exercitium lectionis, quieſcamus in receptaculis meditationis, & intelligibili diluculo aſcendamus ad mentales theorias.

Pulchrè Deiformis anima dilectum ſuum ſuperdulciſſimum radium ad ſui invitat comitatum: quia ſine illo nulla proficit lectio, nulla afficit meditatio, nulla eluceſcit contemplatio. Quò autem ipſius luciflua præſentia obtentâ, profectura ſit, per ſequentia declaratur: *egrediamur*, inquit, *ad agrum*, hoc eſt: de penetralibus & abditis unitionis exeamus ad exercitium lectionis, ſtudium prædicationis, aut laborem cujuslibet bonæ manualis operationis, ut ſic in ipſo exteriori homine ſtigmata refulgeant beatiſſimi Crucifixi. Quæris, quæ ſint illa? Utique mortificatio cogitationum, ſenſuum & membrorum, quæ ex hoc triplici acquiruntur exercitio. Nam ex attenta lectione crucifigitur aſpectus: ex frequenti prædicatione affectus, & ex vili actione manuali actus illiciti cohibentur. Hoc autem totum virtute fit comitantis ſanctiſſimi radii, qui eſt caſtiſſimus, malum ſuccidens affectum: qui eſt pudiciſſimus adulterinum obtundens aſpectum: qui eſt honeſtiſſimus turpem reſtringens actum.

Sed quia poſt laborem dulciùs ſapit quies, ideo benè additur: *commoremur in villis*, id eſt: quieſcamus in receptaculis meditationis interim ruminantes fructus operationis, donec erumpat *mane* intelligibile illuminationis, & ſic

A. ſurgamus *ad vineas* & ad mentales theorias nos ipſos viriliter erigamus. Eſt autem differentia inter meditationem & theoriam. Nam meditatio eſt earum vel eorum, quæ intra mentem ſunt conſtituta, collatio, quæ eſt quodammodo ignefactivum ad theoriam. Theoria verò eſt eorum, quæ mentem excedunt, ignefactiva, illuminativa & ſurſum activa quædam inveſtigatio totaliter animi vendicans ſibi ipſi actum.

Quoniam autem inter theorias alia aliis eſt dignior, ſublimior, & fructuoſior, utpote illa, quæ eſt circa Divinam B. caliginem, propterea benè ſubintulit ſponſa: *Videamus, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi germinaverunt mala punica*, Divina objecta. Nota quòd *videre anima* eſt aliquid intelligibilium diligenti mentis oculo contemplari: quod quidem minimè poteſt, niſi eidem oculo Thearchici radii coruſcatio ſe infundat. Hinc eſt, quòd ipſa ſponſa ſignanter dixit: *videamus:* Quaſi dicat: niſi mecum videris, aut loco pupillæ meo oculo te immiſeris, non videbo.

Sed quid deſideras videre? *Si*, in- C. quit, *floruit vinea*, hoc eſt: ſi adhuc in mente erupit Divina theoria ſive ſuperſplendentis caliginis incontemplabilis contemplatio. Non enim iſta ſicut aliæ erumpit theoria, ſed omnimodè diſſimiliter, ſuperexiſtens ſuperſubſtantialiter. Ejus namque eruptiones ſuperſplendentes quædam ſunt coruſcationes & irradiationes ex ipſa quaſi florigerè pullulantes, cujus fructifica parturitio eſt ad exceſſus diſpoſitio. Parturitio enim tantum dicit actum patiendi. Sic tales flores, coruſcationes, fructus parturiunt: quia ipſos rationis uſus jam quaſi ſuſpen- D. dunt, etſi nondum ad plenum auferunt.

Quod verò dicit: *ſi floruerunt mala punica*, de intelligibilibus objectis eſt intelligendum, quæ modò in ipſo tali ſtatu incipiunt pulchrificè, hoc eſt: pulcherrima & flagrantiſſima ipſius animæ conſpectibus viſibiliter ſe præbere, quod valde eſt jocundiſſimum & dulciſſimum.

Poſt hæc autem ipſa ſuperſubſtantialis theoria, id eſt: Divina caligo ſive ſuperſplendens lux quæ DEus eſt, incipit non videndo videri, & non contemplando contemplari: & tunc verè accidit, quod per ſponſam ſubjungitur: *ibi*

dabo

dabo tibi ubera mea, quaſi omnem amorem meum & cognitionem tibi impendo, imò potiùs tu tibi ipſe impendes & vindicabis, dum ad contemplationem beatæ caliginis me adduxeris. Ibi quippe anima ob nimium viſionis exceſſum ita abſorbetur, ut nihil ſentiat ſe amare, nihil percipiat ſe videre, * ſuper intellectum amans & videns. *Dat* ergo ſponſa prædilecto ſuo tunc non ex ratione amando & cognoſcendo. Hinc eſt, quod Divinus Dionyſius Myſt. Theol. c. 1. de anima in tali ſtatu conſtituta ait: *In eo, quod nihil cognoſcit, ſuper mentem eſt cognoſcens.* Quod ſic intelligendum eſt: pro eo, quod nihil percipit ſe cognoſcere ſecundùm rationem, dicendum eſt, quod ſuper mentem eſt cognoſcens, hoc eſt: ſuper rationem.

* *Cod.* videre, ſed ſuper &c.

Jam ſponſa rediens ad ſeipſam cernensq; omnia ſua intima odore intelligibili reſperſa ait ad dilectum:

℣. XIII. *Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi.*

Ac ſi dicat: perfectæ virtutes reſperſerunt fragrantiam in ſenſibus & actibus noſtris.

Si diligenter animadvertimus, non immeritò per *mandragoras*, quæ radicem habent ad inſtar imaginis fœmineæ, nec non & poma valde redolentia producunt, virtutes perfectas deſignavimus, quòd piiſſimi DEI bonitatem habent pro radice, à qua præmia perfectiſſima ſive actiones fragrantiſſimæ generantur, de quibus benè dicitur, quòd dederunt *odorem in portis*. Quare dubium non eſt, omnes ſenſus, quàm actus animæ Deiformis mirabili quadam ſuavitate vigere, ex qua maxima ſpirat fragrantia diſpoſitis olfactivis.

Si verò quæris, cur ſponſa non ſimpliciter dixerit: *portis*, ſed addidit: *noſtris*, reſpondendum eſt, quòd ipſa ſibi nihil deputat proprium aut peculiare, præſertim cùm ſe totam in amabile dilecti ſui obſequium deputaverit ſive in ſentiendo ſive in agendo. Unde quidquid benè ſentit, ſtrenuè agit, totum in ſui laudem & gloriam refundit, à quo omnis voluntas & perfectio miniſtratur.

A. Quia tamen poſſes credere, hæc ipſam tantùm agere de recenter collatis, non quondam exhibitis beneficiis, ideo meritò ſubadjungit: *Omnia poma: nova & vetera, dilecte mi, conſervavi tibi.* Quaſi dicat: univerſorum perfectorum operum fragrantias tam noviter collatorum quàm hactenus exhibitorum ad tuam gloriam deputavi ſuperamabilis JESU Chriſte. Proprium enim eſt perfectæ animæ, omnia perfecta ſua opera tam præterita quàm futura ſive præſentia, atque ex ipſis benè ſpirantes laudis odores & bonorum fragrantias intra cordis B. ſui arcana ad dilecti ſui gloriam & magnificentiam reſervare, cantans & pſallens cum illa beata anima & dicens: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Psal. 113. 9. Hinc eſt, quòd de Divinis viris ſanctus Dionyſius in Eccle. Hier. cap. 4. dicit, quòd *nec apparentia vanè pulchra & juſta, ſed vera exiſtentia amant, neque ad opinionem inſpiciunt à multitudine irrationabiliter laudatam.*

Tali igitur ſententia ſuffulta ſponſa noſtra: *Omnia poma, nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi*: hoc eſt: laudem C. & gloriam omnium ſuorum operum perfectorum præſentium aut præteritorum dilecto ſuo reſervare decrevit, & in armariolo ſui cordis, ne fortè foris expoſita poſſent porcorum pedibus vel dentibus conculcari, (cuſtodire.) Sequitur Càpitulum Octavum.

CAPUT VIII.

Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat? ℣. I.

D. SCiens ſponſa noſtra Deiformitate inſignita, nullatenus poſſe ſe plena dilecti ſui præſentia perfrui, niſi ſuæ interioritatis confinia egrediatur, ſive vehementi deſiderio ipſius inflammata, & à ſe ipſa egreſſa optat eum ſola in campo intelligibilium reperire dicens:

Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & me jam nemo deſpiciat?

Quis

Quis tanti boni ſublimitatem lar- A. gietur, ut te germanum meum Divinum delectantem in plenitudinibus Deiformitatis meæ reperiam extra me, & uniar tibi, & de cœtero nullus me Angelorum abjiciat?

Attende, quia ſponſa dilectum ſuum interrogando alloquitur, non quaſi de ipſius bonitate diffidens, ſed potiùs de ſua mirans infirmitate, ne forte tam humili tam ſublimis ſuum recuſet aſpectum præbere. Quia verò nullus niſi ipſe ſolus hoc ei poteſt tantum conferre munus, ideo ipſa veris & ſanctis blanditiis nititur ipſum attrahere. Et primò B. quidem vocat eum *fratrem*, quoniam tam Thearchicus radius ſuperſplendidiſſimus DEI filius, quàm univerſa intellectualia, & ſpiritualis creatura, ab eodem patre luminum emanaverunt, ille per æternam generationem; hæc per benignam creationem.

Secundò autem dicit eum *ſugere ubera matris ſuæ*, hoc eſt: delectantem in plenitudinibus intelligentiæ & Deiformitatis ſuæ. Quod quidem fit, cùm ipſa intelligentia ſuaviſica & dulcedine Divini radii reſperſa & claritate & lu- C. minoſitate beati luminis dealbata, ab ipſo Thearchico radio ſuaviùs dulcoratur & dulciùs demulcetur, ita ut ſugendo magis impleat, & implendo magis ſugat. Hunc igitur ſponſa noſtra deſiderat *foris invenire & ipſum deoſculari*, hoc eſt: ipſum totaliter ſe factum clarè & lucidè contemplari, & ex contemplatione ſuæ ſuperbeatiſſimæ unionis dulcedinem experiri. Nec enim aliter in campo intelligibilium per contemplationem invenitur niſi per ebrietatem alienationis. Hinc eſt, quod per Dionyſium traditur Myſt. Theol. cap. 1. *Etenim ex-* D. *ceſſus tui ipſius & omni irretentibili abſoluto mundè ad ſuperſubſtantialem Divinarum tenebrarum radium cuncta auferens, & à cunctis abſolutus ſurſum ageris.*

Quæ verò ex hujus inventione & deoſculatione utilitas ſubſequenter patet per hoc: quod ait: *& jam me nemo deſpiciat.* Quaſi dicat: ex quo invenero te per contemplationem, deoſculata fuero te per unitionem, nullus Angelorum me quaſi fornicariam abjiciet, aut quaſi adulteram deſpiciet, ſed magis velut ſororem & ſponſam factam venerabitur obſequendo, & diliget amplectendo.

Quoniam autem poſt ſemel adeptum vinculum unitionis vix ſuſtineri poteſt ſolutio ſeparationis, ideo benè ſubjungitur à dilecta:

Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. ℣. II.

Ac ſi dicat: fortiter te capiam, & intromittam in ſecreto memoriæ meæ, & in quietem conſcientiæ meæ.

Tunc namque dilectus *apprehendi* dicitur, cùm ex prælibata jam ipſius dulcedine toto corde, tota anima, & totis viribus amatur & deſideratur. Tunc verò *in domum matris & in cubiculum genitricis ducitur*, cùm nec à ſecretis memoriæ, nec à quiete conſcientiæ aliquatenus elongatur, ſed ſemper ante cordis oculos ſtatuitur, & in manibus adaptatur, ne per oblivionem vel per negligentiam tantæ ſuavitatis dulcedo amittatur. Sed cur per *matrem* memoria, & per *genitricem* conſcientia deſignatur, niſi quia ab illa quarundam ſcientiarum intelligibilium formarum memoratione, & ab hac bona & ſimplici quadam voluptatis intentione materno affectu depaſcimur & nutrimur, & ad altam radiorum contemplationem providè generamur? Quaſi enim filius putrimento matris, ſic ipſa anima paſcitur ſibi bonis formis à memoria propinatis. Ideo dicit: *Memor fui DEI, & delectatus* Pſ. 7.6.4.
ſum & exercitatus ſum. Præterea ſicut infans lacte genitricis ſuæ tenerrimè educatur, ſic pura voluntate & ſimplici intentione ipſius conſcientiæ anima vegetatur, & augmentatur.

Quia verò per fortem apprehenſionem & intimam dilecti introductionem in ſecretum memoriæ, & in quietem con- III.
ſcientiæ non ſolùm intelligentia illuminatur, ſed etiam ipſe intellectus debriatur, ideo benè ſubinſertur:

Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

Quaſi dicat: in illo ſecreto & in illa quiete tu meam intelligentiam radiabis; & ego propinabo tibi hauſtum ex fervore amoris dulcedine temperato, & novam

novam quandam deguſtationem perfe- A. ctorum operum meorum & intellectum Divinorum.

Dum enim anima in ſecreto ſuæ conſcientiæ & memoriæ ob jocunditatem formarum intelligibilium ſe ei inceſſanter objicientium quietatur, nec non in tranquillitate boniformis conſcientiæ ob puritatem & ſimplicitatem externam delectatur, non eſt dubium, ipſam ſapientificis dilecti ſui irradiationibus illuſtrari eò ſplendidiùs, quò repauſat quietiùs, & requieſcit ſecuriùs. Unaquæque enim forma intelligibilis per memoriæ beneficium repræſentata animam ſuam * relinquit B. illuminatam, ita ut miro modo etiam de ignotis ſpiritualibus doceatur, docta verò mirabili quodam fervore accenditur, quæ ſuavi dulcedine Divini amoris *conditum* & temperatum velut egregium quoddam *poculum* dilecto ſuo exhibet, ut in eo delectetur ſuaviùs, quò miniſtratur libentiùs & abundantiùs.

* *Cod.* ſuam ei rel.

Nec tantùm in hoc contenta eſt, ſed etiam *muſtum malorum granatorum ſuorum* ei ſtudet propinare, hoc eſt: novam quandam etiam dulciſſimam deguſtationem ſuorum perfectorum operum & Di- C. vinorum intellectuum ſibi præſentare: quæ meritò perfecta opera & Divini intellectus per *mala granata* deſignantur: quia tam illa quàm iſti quibuſdam innumeris gaudiolis & dulcedinibus quaſi quibuſdam condenſis gemmulis adimplentur, ex quibus prudentiſſimi quædam muſti intellectualis deguſtatio exprimitur, qua vocatus dilectus vehementisſimè debriatur. Quæ quidem debriatio nihil aliud eſt, quàm ipſius ſuperſubſtantialis radii ad perfectam animam unitio: quod benè per ſequentia verba ſponſæ declaratur. Ait enim:

℣. III. *Leva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Hoc eſt: contemplatio intelligibilium ſub capacitate meæ intelligentiæ eſt redacta: & contemplatio ſuperintelligibilium me in ſui amorem totaliter vendicabit.

Si attentè verba ſponſæ examinentur, duo nobis ſupermentalis unitionis effectus proponuntur, unus, qui in re, ſcilicet capacitas intelligibilium, dum ait: *Leva ejus ſub capite meo*: alius verò in ſpe, videlicet apprehenſio Divinorum, dum addit: *& dextera illius amplexabitur me.* Primò enim Divinus radius animæ unitus ipſam purgat & emundat ab omni diſſimilitudine ipſam obfuſcante: deinde eam ampliat & ditat, donec apta ſit intelligentia, quæ *caput* eſt animæ, claritatem intelligibilium velut *levam* dilecti, ſive fortem aliquam radii operationem ſuæ capacitati ſubjicere. Cùm verò ipſam ei ſubjecerit & ſuppoſuerit, tunc meritò ardentiſſimè incipit ad *amplexum dexteræ*. hoc eſt: ad Divinorum ſive ſuperintelligibilium apprehenſionem ſuperdulciſſimam anhelare, qua obtenta ita in ipſius verum amorem & ſuavem fruitionem vendicatur, ut vix valeat inde ſeparari ſicut à dilecto utriſque manibus fortiter amplexata, ac per hoc ipſius brachiis conſopita.

Quantum autem talis quies placeat ipſi ſponſo, per reſponſionem factam adoleſcentulis, dilectam inquietantibus demonſtratur. Nam dicit:

Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. ℣. IV.

Ac ſi dicat: per amoris mei reverentiam vos conteſtor animæ contemplationi cœleſtium inſudantes, ne ſomnum contemplationis, aut ſoporem unitionis Deiformis ſponſæ interrumpatis, donec idipſum ſibi videbitur faciendum.

Animadverte, quia, niſi dilectus ſuæ ſponſæ quietem pacatiſſimam zelaret, nequaquam pro ea adoleſcentulas tam ſolicitè adjuraret. Non enim patitur eam ſuſcitari à ſomno contemplationis, non ab unitionis ſopore vigilari. D. Quæris, quare? Nam in uno intellectuale ipſius animæ matrimonium pertractatur, & in reliquo conſummatur. Sicut enim nihil aliud eſt animam contemplationi vacare, quàm mutuos inter ſe & dilectum ſibi præbere conſenſus, & placidæ collocutionis affectus: ſic nihil aliud eſt ipſam per unitionem ſoporari, quàm veraciter ipſius cum dilecto ineffabile matrimonium conſummari. Unde ne eam tanti boni reddi permittat expertem, importunas adoleſcentulas conteſtatur, ne ſuſcitent, neque evigilent eam, *donec ipſa velit*, hoc eſt: quouſq; ipſa totum inter ſe

& bea-

& beatum radium connubium ſentiens A. conſummatum voluntariè ad adoleſcentularum profectum & ſtudium excitetur. Aliàs valde timendum eſt, ne ante tempus ſuſcitata & evigilata poſſit ulteriùs obdormire, ſed vaga & profuga effecta ab adulterinis amatoribus rapiatur.

Igitur adjurationi dilecti adoleſcentulæ acquieſcentes, ipſamq; ſponſam vehementer ab amplexu dilecti quietiſſimè proficientem clariori oculo admirantes ajunt:

ỽ. V. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delitiis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?*

Quod eſt dicere: quantæ probitatis eſt hæc anima Deiformis, quæ tam viriliter ſurſum agitur de ariditate mortalitatis, dulciſſimis delectationibus abundans, appodiata ſuper ſuum prædulciſſimum JEſum Chriſtum?

Hìc ſanè notandum tria eximia circa ſponſam noſtram adoleſcentulas admirari, ipſius videlicet probitatem, felicitatem, & privatam quandam amicabilitatem erga dilectum ſuum: probita- C. tem, dum ipſam cernunt de *deſerto aſcendentem*: felicitatem, dum vident *delitiis affluentem*: privatam amicabilitatem, dum eam contemplantur *ſuper ſuum amantiſſimum innitentem. De deſerto* quippe *aſcendere* eſt probitatis, *deliciis affluere* felicitatis, *ſuper Dilectum inniti* peculiaris charitatis. *Quæ eſt iſta*, inquiunt, *quæ aſcendit de deſerto*, id eſt: elevatur à ſolitudine & ariditate ſuæ corporeitatis ad choros Angelicæ jocunditatis, tam viriliter, tam potenter, ut nihil ſit, quod impediat, nihil occurrat, quod retardet? Hoc planè eſt magnæ virilita- D. tis & eximiæ probitatis, corpus deſerere, & cœleſtibus propiare. Talis non

Prov. 16. 32. eſt dubium, quin *animo ſuo dominetur*, & ideo probior eſt dicenda *expugnatore urbium munitarum*.

Sed quid? Nunquid de deſerto aſcendit aliquo ſqualore vel inedia deficiens? Non profectò, ſed magis *delitiis affluens*, hoc eſt: mellifluis ſuavitatibus & ſuaviſſimis mellifluitatibus Divinarum diſtributionum abundans, quod ipſius ſponſæ felicitatis eſt expreſſivum. Sed unde hæc omnia ſunt? Utique à dilecto ſuo ſuperdulciſſimo Crucifixo & Thearchico radio, ſuper quem *innititur* & ſuperappodiatur quaſi ſuper ſontem affluentiſſimum & ſundamentum ſtabiliſſimum, a quo inceſſanter emanat omnium delitiarum affluentia. Qui ſuper hunc non innititur, revera nullis delitiis dicendus eſt dulcorari, & nullis virtutibus fulciri, ſed potiùs omni amaritudine & infirmitate repleri ſicut ab ipſo principali fonte delitiarum & virtutum robore reprobatus, vel potiùs non roboratus.

Non ſic ſponſa, *quæ ſuper dilectum ſuum* viriliter *innititur*, & innitendo de- B. litiatur. Ipſa enim eſt intellectualis ſuperregio fulgens habitu, roſeoq; vultu & colore perfuſa, nec non gratis ac nitentibus oculis decorata, quæ aſſumptis duabus famulis, hoc eſt: amabili experientia & lætabunda cognitione Divinorum ſuper unam quidem, id eſt: ſuper experientiam innititur quaſi præ delitiis & nimia ſuaviſſimarum diſtributionum teneritudine ſe ipſam non valens ſuſtinere: altera, ſcilicet cognitio ipſam ſequitur defluentia in humum indumenta ſuſtentans, hoc eſt: omnes ipſius influitiones ad in- C. feriores emanantes regens & dirigens, ne materialibus inquinationibus immundentur. Aut certè meliùs per has famulas intelligere poſſumus duplicem dilecti naturam, ſcilicet Divinam & humanam, quarum certum eſt ob univerſorum providentiam inceſſanter famulari ſingulis ſingula ſecundùm dignitatem propriam tribuendi: quarum una ſcilicet Divinitas delitiarum intellectualium eſt delectativa, unde ad innitendum delectabilis: altera verò ſcilicet humanitas labentium & defluentium virtutum ſuſtentativa, propter quod ad commendandum eſt D. peramabilis. Itaque ſponſa noſtra cum dilecto ſuo tam feliciter, & tam delectabiliter proficiſcente, ne fortè de loco, ubi ad hoc ipſum peragendum excitata ſit, ſolicitetur, ait ſibi dilectus:

*Sub arbore malo * ſuſcitavi te.* * *Cod.* mali.

Ac ſi dicat: ſub ſtatu firmiter radicati & in altum extenti Divini amoris te ad intellectualiter vigilandum animavi.

Non enim aliter DEI dilecti anima ad intellectualem contemplationem excitatur, niſi cùm eam dilectus ſub firmiter radicato Divino amore, & in alta-

titudinem deſideriorum extento viderit
Epheſ. 3. 17. quieſcentem. Hinc eſt, quòd Deifor-
18. 19. mis ille Paulus ſuos diſcipulos exhortatur dicens: *In charitate radicati & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem DEI.* Quaſi dicat: primò neceſſe habetis in Divino amore radicitus & funditus ſolidari, ut ſic perveniatis ad veram DEI cognitionem, quæ eſt dilatativa ad intelligendum & operandum: quæ eſt longificativa ad perſeverandum: quæ eſt ſublimitativa ad contemplandum, & profundificativa ad mentaliter excedendum: per quam etiam devenietis ad ſupermentalem unitionem, quæ eſt omnis intellectualis plenitudinis contentiva. Quæ quidem unitio meritò dicitur *ſupereminens charitas ſcientiæ DEI:* quia ad ipſius experientiam & notitiam niſi per ſupermentalem unitionem, quæ eſt continentia omnis intellectualis plenitudinis, amorem, & charitatem nullatenus pervenitur.

Sic igitur manifeſtè perpendere potes, quomodo per *arborem malum* Divinus amor figuretur, qui pro radice habet charitatem, pro trunco deſiderium, pro ramis latitudinem intelligentiæ, longitudinem perſeverantiæ, ſublimitatem contemplationis, & profundum extaticæ abſorptionis, pro malo quoque fructum dulciſſimam habet ſuavitatem unitionis, per quam omni intellectuali plenitudine adimpletur.

Quia verò non nunquam contingit, ut ex perceptione tantorum bonorum per ſubreptionem anima extollatur, ideo benè adjungitur.

Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

Quod eſt dicere: te in tali ſtatu exiſtente, & inde ſuperbiente refrigerata eſt affectio tua & denigrata cognitio tua.

Nam niſi ſummo ſtudio & grandi cautela ipſa bona cuſtodiantur, quæ per contemplationem acquiruntur, faciliter amittuntur aut etiam aliter corrumpun-
Iſa. 6. 2. tur. Hinc eſt, quod per ſanctum Iſaiam *duabus alis volare*, & quatuor velari Seraphim perhibentur, ut per hoc ſignificaretur, majorem debere haberi cautelam in cuſtodiendo acquiſita per contemplationem, quàm in acquirendo nondum habita. Quod ſi per incuriam neglectum fuerit, paulatim *mater noſtra*, inquit, *corrumpi*, hoc eſt: ipſa animi affectio omnium noſtrorum parvulorum motuum altiva refrigerari, ita ut flante aliquo vento tentationis concreſcat gelu mentalis refrigerationis.

Inſuper etiam *genitrix noſtra violatur*: quia ipſa Divinorum cognitio beatorum & pulchriorum intellectuum generativa denigratur, ne poſſit adeò lucidè & perſpicuè dilecti ſui ſpeciem contemplari, ita ut ſequenter libeat excla- Pſal. 37. 11.
mare: *Cor meum conturbatum eſt: dereliquit me virtus mea* (quæ benè ardenter luceſcebat) *lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum*, quo tam luculentiſſimè contemplabar.

Ut autem ab hujuſmodi peſte ſponſa valeat liberari, ſequenter per dilectum ſuum ſapientiſſimè eruditur:

Pſal. 4. 7.
Pone me ùt ſignaculum ſuper cor tuum, ùt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ùt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.

Ac ſi dicat: ſtatue me ùt firmam cuſtodiam ſuper intentionem voluntatis tuæ & actionis tuæ, quia fortiter eſt abſtractiva dilectio cordis, & vix mitigativa executio actionis.

Sciendum quippe eſt, nihil eſſe tam utile tam delectabile ad cuſtodiam omnis noſtræ actionis, intentionis & voluntatis, ad inflammationem amoris & charitatis, ſicut cùm ipſe dilectus noſter, prædulciſſimus Crucifixus jugiter ante cordis oculos ponitur & ſtatuitur, ne inde inhoneſti aliquid emittatur, aut immundum quidpiam ab extra immittatur. Et tales revera poſſunt cantare cum Propheta:
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Pſal. 4. 7.
Domine, dediſti lætitiam in corde meo. Hoc autem fit, quando ipſius ſuperbeatiſſimam paſſionem continuè, quantum fas eſt, meditamur, ardenter & dulciformiter imaginamur, ſicut Divini vultus imaginativam, illuminativam, & delectativam & omnimodæ lætitiæ declarativam.

Quod

Quòd igitur ait: *pone me ùt ſignaculum ſuper cor tuum*, ad intentionem voluntatis eſt referendum, quæ nobiliſſimo ſuperſuaviſſimi Crucifixi meditationis annulo continuè eſt ſignanda, ùt eò dirigatur rectiùs & ſervetur incorruptiùs, quò ſignatur glorioſiùs. Quòd verò ſubjungit: *ùt ſignaculum ſuper brachium tuum*, de fortitudine actionis intelligendum eſt, quæ ſemper debet bulla Divinæ diſpoſitionis & gloriæ conſignari, ut quidquid à nobis agitur, totum ipſo diſponente fiat, & ad ejus laudem & gloriam referatur.

Sed quæ nobis ex hoc provenit B. utilitas? Profectò magna. Nam inde intentio voluntatis fortiùs accenditur, & actionis exſecutio duriùs intenditur. Hinc eſt: quòd ait: *quia fortis eſt ùt mors dilectio*: quia ſcilicet per hoc inflammaberis ad amandum, adeò ut intellectualiter anima à corpore ſeparetur & Divinis uniatur: *dura ſicut infernus æmulatio*, qua ſuſcitaberis ad operandum in tantum, ut nunquam executione bonorum operum ſatieris velut infernus, Prov. 30. 16. qui *nunquam dicit: ſufficit*, aut aliquibus cruciatibus mitigatur, ſi tamen ipſum C. cor ſemper & brachium ſigillo beatiſſimi Crucifixi fuerint conſignata. Aliàs enim cito ipſa dilectio, quantumcunque fortis, debilitaretur & æmulatio actionis, quantumcunque dura, procul dubio molliretur. Unde non tibi videtur 1. Phil. 23. in illo fuiſſe *fortis ùt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio*, qui ajebat: Galat. 6. 9. *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto?* Et: *bonum facientes non deficiamus. Tempore enim ſuo metemus?* An non fuit per exceſſum amoris abſorptus & abſtra- 2. Cor. 12. 2. ctus, ut *ſive in corpore, ſive extra corpus* ſe fore raptum usque ad tertium cœlum, D. penitus ignoraret? præterea nunquid ſic fuit zelo æmulationis accenſus, ut nocte & die laborare manibus propriis non ceſſaret, ſed tamen ideo omnia illi e- Philip. 3. 8. rant (*ùt ſtercora*) quia tam fortiter ſuperdilectum ſuum ſuper cor & brachium conſignaverat, ut per nullam mortem aut vitam aliquam vel creaturam poſſet ab ipſius amore ſeparari?

Hinc eſt, quod de talibus nobis traditur à beato Dionyſio de Div. Nom. cap. 7. ante fin. *Ita, inquit, ſapientiæ noſtra principes & duces pro veritate moriuntur omni die, teſtificantes, ſicut eſt conveniens, & verbo omni & opere, & unitiva Chriſtianorum vera DEI cognitione omnibus ipſam eſſe ſolam veram & unam & ſimplicem DEI cognitionem.*

Sed quia hæc omnia ab ipſa procedant ardentiſſima DEI charitate, ideo meritò ſubinfertur:

Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

Quod eſt dicere: Animæ Divini amoris contentivæ ſunt animæ ardentiſſimæ & ſuperardentiſſimæ.

Nam per *lampades*, quæ vaſa ſunt pinguiſſima, congruè Deiformes animæ figurantur, quæ usqueadeo ſunt ignitæ & inflammatæ, ut præ nimio Divini amoris ardore intra ſe ipſas totaliter eliqueſcant, ita ut & aliæ ſe eis jungentes ex flammis ipſorum dulciter ſuccendantur. Hinc eſt illud, quod bona clamat Theologia: *Surrexit E.ias quaſi ignis, & verba ejus quaſi facula ardebat.* Eccli. 48. 1. *Sicut ignis* quidem: quia interiùs fortiter inflammatus: *ſicut facula* verò, quia in igne zeli ipſius & prædicationis devorabatur omnis terrenitas aliorum.

Et rectè *lampades ignis atque flammarum* dicuntur animæ Deiformes, quia in ipſis eſt reperire ſplendorem caſtiſſimæ puritatis, oleum pinguiſſimæ dulcedinis, papyrum candidiſſimæ ſimplicitatis, ignem ferventiſſimæ charitatis, & flammas ſuperexcedentis & ſuperegredientis intellectualitatis. Inde fortè eſt, quod intellectualis Ezechiel ait *aſpectum animalium*, hoc eſt: animarum Deiformium eſſe *quaſi aſpectum carbonum ignis ardentium*, Ezech. 1. 13. ardorem Divini amoris fortiter ebullientium, *& quaſi aſpectum lampadarum*, hoc eſt: ſuperexcedentium theoriarum.

Quia igitur charitas, quantò eſt ardentior & Divinior, tantò inæſtimabilior, idcirco benè adjungitur:

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.

Quaſi diceret: multæ paſſiones materiales nequibunt ſuffocare ardentiſſimam

mam & Diviniſſimam dilectionem bea- A.
tiſſimi Crucifixi, neque præpotentes
ruentes Diabolicæ illuſiones proſternent
eam.

Nulli nempe dubium eſſe debet,
boniformem ſponſam validiſſimo ardo-
re Divini amoris & ſupercalidiſſimi
radii inflammatam, nullis poſſe mate-
rialibus paſſionibus ſive interiùs enatis
ſive exteriùs oblatis ac illatis à ſtatu
ſui ardoris aliquatenus immutari. Ipſe
enim Divinus amor ſui ſuperſubſtantia-
lis ignis amoris omnia conſummantis, B.
à quo emanat, gerens naturam, nihil
juxta ſe patitur morbidum vel ſordidum,
vel frigidum, vel tepidum vel infirmum:
ſed magis omnia morbida ſanificat,
ſordida mundificat, frigida ignificat,
tepida calificat, & infirma fortificat ex
ſui ipſius ſuperconvaleſcente ardore.
Quapropter benè ait dilectus, quòd
aqua multa non poſſint extinguere: quia
ipſæ quidem fluidæ & materiales paſ-
ſiones etſi ad modicum aliquem ſtupo-
rem afferant, tamen ad ardorem ipſius
intellectualiter ardentis ignis penitus
conſumuntur. Ipſe eſt enim ille ad- C.
mirabilis *iguis*, de quo bona tradit
Sap. 19. 19. Theologia, quòd *in aqua valebat, & a-
qua extinguentis naturæ obliviſcebatur.*
Inde etiam eſt, quod ipſe ſignificabi-
lis ignis, per quem Divinus figuratur
amor, inter alia multa dicitur eſſe à B.
Dionyſio Angel. Hier. 15. cap. *ſupe-
rans omnia, acutè pergens, nullam reci-
piens pedeſtrem ſubjectionem.* Superat
autem omnia, quia eſt ſortiſſimus ad
corrodendum: acutè pergit, quia ſubti-
liſſimus ad penetrandum: nullam reci-
pit pedeſtrem ſubjectionem, quia agi-
lis eſt ad ſurſum ferendum. Sic & de D.
Divino amore intellige.

Quid verò ſibi vult, quod ſequi-
tur: *& flumina non obruent illam*, niſi
quia in ſuperdulciſſimo Crucifixo for-
titer ſolidata charitas nullatenus poteſt
ab ipſis etiam præceps imminentibus dia-
bolicis tentamentis aliquatenus infirma-
ri? Nam ùt ait Evangelica Theologia:
Matth. 7. 25. *Venerunt flumina & flaverunt venti, &
irruerunt in domum ſapientis, & non ce-
cidit: fundata enim erat ſupra firmam
petram*, ſcilicet fortiſſimum Crucifixum,
ſuper quem omnia tam cœleſtia quàm
terreſtria ſolidantur & ſtabiliuntur.

Itaque quoniam ipſa beata chari-
tas virtuoſiſſima & beatiſſima eſt, ac per
hoc incomparabiliſſima, ideo meritò
ſubinfertur:

*Si dederit homo omnem ſubſtantiam do-
mus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil
deſpiciet eam.* ℣. VII.

Quod eſt dicere: ſi quiſpiam bo-
nus vir totaliter exteriora & interiora
ſua expoſuerit pro charitate acquirenda
& conſervanda, aut etiam augmentan-
da, tamen homo totum pro nihil re-
putabit.

Nam ipſa eſt illa pretioſiſſima *mar-* Matth. 13.
garita in agro exercitationis abſcondita, 46.
quam ſi volumus adipiſci, neceſſe eſt,
ut quæcunque habemus, vendamus, &
omnes animæ vires & corporis ad ipſius
jocundum exercitium tribuamus. Non
enim aliter obtinetur niſi per ardentiſſi-
mum & attentiſſimum ſtudium medita-
tionis, orationis, lectionis, & maxi-
mè ſuperſuaviſſimi Crucifixi imaginatio-
nis. Benè igitur ait dilectus noſter:
*Si dederit homo omnem ſubſtantiam do-
mus ſuæ*, id eſt: omnes vires animi &
corporis expoſuerit, illas ardenter deſi-
derando, has fideliter operando pro
ſuperdulciſſimo charitatis habitu, *quaſi
tamen nihil deſpiciet eam.* Quia, ùt
ſancta tradit Theologia, *omne aurum* Sap. 7. 9.
*& argentum in comparatione illius arena
eſt exigua.* Sive enim totum poſſideas
aurum ſapientiæ, ſive omni reſplendeas
argento eloquentiæ, aut etiam quibus-
cunque materialibus divitiis, ſine dile-
ctionis ardore ſuperamabilis Crucifixi
totum eſt arena ponderans, non penna
ſublevans. Si verò ſupertotaliter arſe-
ris ejuſmodi charitate, ipſa tua ſapien-
tia erit ſuaviſſima, eloquentia efficaciſ-
ſima, & omnes materiales divitias pe-
dibus conculcabis, te ipſum leviter ad
cœleſtia ſublevando per virtutem ipſius
Divini amoris in te boniformiter ope-
rantis. Eſt enim omnis diſſimilitudinis
rejectivus & omnis ſimilitudinis amati-
vus,

vus, agiliter ſuperſuavificativus ab omnibus ſenſibilibus & intellectualibus abſorptivus, & DEO totaliter unitivus.

Non igitur exhibere nos pigeat *omnem ſubſtantiam domus* noſtræ *pro dilectione* acquirenda, ſi non habemus: pro conſervanda, ſi habemus: aut etiam augmentanda, ſi ejus deſiderio fortiter ardemus, quia *omnia bona venient nobis cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Ita ſupercœleſtes ſubſtantiæ dilecti noſtri comites finem ipſius prolocutionis expectantes, nec non & novellæ ſponſæ infantiam intuentes ajunt intra ſe:

Ibid. 11.

℣. VIII. *Soror noſtra parvula eſt, & ubera non habet.*

Quod eſt dicere: anima devota minima eſt in experientia Divinorum, & intelligibilium diſtributionum receptaculis caret.

Pulchrè ſpiritus ætherei devotam animam *ſororem* nominant: quaſi ipſi cum ea ejuſdem ſuperſubſtantialis fontis & luminis ſunt rivuli & ſcintillæ, & ejuſdem ſuperbeatiſſimæ gloriæ cohæredes. Unde pro ea tanto ſtudioſiùs & benigniùs ſolicitantur, quò ei affinitate intellectuali dulciùs, & ſuaviùs, & inſeparabiliùs conjunguntur. De duobus autem circa eam, ſi diligenter attendimus, ſoliciti redduntur, quia videlicet cùm non ſit apta ad agendum * Divina, dicunt eam *parvulam*, hoc eſt: ad labores actionum ineptam. Ad patiendum verò, dum ajunt: *& ubera non habet*, id eſt: virtutes intelligibilium diſtributionum receptivas. Adhibeat ergo Deiformis anima ſuper eo affectum ampliſſimum & intellectum fortiſſimum, ut affluenter emanantes ſuſcipere poſſit dulcifluas luminoſitates & lucifluas dulcedinitates, quæ ſibi à dilecto pro ſubarrhatione intellectualis matrimonii per Angelos tranſmittuntur, qui longè antequam hæc ei donativa largiuntur, cognoſcentes ipſam minùs beatam diſponi Divinis dicunt: *quid faciemus ſorori noſtra in die, quando alloquenda eſt?* Ac ſi dicant: quod amiculum tribuemus devotæ animæ in hora claritatis & luminoſitatis, quæ ſibi revelanda eſt.

* Cod. agendum vel patiendum Div.

Animadverte, quo fervore, quo ve amore nobis eſſet ſpiritualibus exercitiis vacandum, dum pro nobis promovendis ipſæ cœleſtes ſubſtantiæ tam ſolertes & ſtudioſæ redduntur. Non enim hoc ideo quærunt, quaſi dubitent, ſed ut fortiùs excitent audientem. Nam devota anima erga DEum dilectum ſuum ſpiritu ſanctæ zelotypiæ concitata plerumque intelligit, quando intellectualibus diſtributionibus eſt viſitanda. Unde Deiformes ſpiritus hoc de dilecti adoleſcentula præſentientes ipſam ſapientiſſimè ſtudent reddere cautiorem, ne ſubitò præoccupata tanti luminis donatione privetur. *In die*, inquiunt, *quando alloquenda eſt*, hoc eſt: in luminoſa claritate, & clara luminoſitate, quæ ſibi revelanda eſt. Hoc autem ideo dicunt, ut ipſa perpendat, quòd diſtributione luminis ſit perfundenda, ſicque ſuam intelligentiam mundet puriùs, dilatet ampliùs, roboret fortiùs, ut per hoc copioſiùs radicetur.

Hinc eſt, quod per Theologiam devota anima præmonetur: *Exue te Jeruſalem ſtola luctus & vexationis tuæ, & indue te decore & honore, circumda te diploide juſtitiæ, & impone capiti tuo mitram æterni honoris. DEus enim oſtendet ſplendorem ſuum in te, qui ſub cœlo eſt.* Quaſi diceret: remove à te omnem diſſimilitudinem, & omni ſancta ſimilitudine adorneris, ut ſic capeſcatior ſis ſplendoris Divini radii, qui te totaliter eſt perfuſurus.

Baruch. 5. 1. 2. & 3. Vulgata aliter.

Quia verò omnis humanæ intelligentiæ fortitudo potiùs infirmitas quàm firmitas eſt dicenda, niſi Divinitus adjuvetur, ideo meritò ab eiſdem Angelis ſubinfertur:

Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea. ℣. IX.

Quod eſt dicere: ſi eſt intelligentia adoleſcentulæ amoris glutino, & incorrupti luminis ſententiarum lapidibus ſolidata, fabricemus ſuper eam intelligibiles theorias.

In vanum quippe nititur arcem Sion expugnare, ſive per virtutem animi contemplationis gratiam obtinere, qui priùs intra ſe ipſum ex indiſſolubili cæmento charitatis & ſpiritualium ſententiarum lapidibus fabricam non conſtruxerit. Hinc eſt,

eſt, quòd tantùm ſub conditione ipſæ cœleſtes ſubſtantiæ opem ferre decernunt de votæ animæ: *Si,* inquiunt, *murus eſt, ædificemus ſuper eam.* Quaſi dicant: niſi murum habeat, non ſuperædificabimus: quoniam non ante debent propugnacula ædificari, niſi antea ſtruatur murus.

Ex hoc perpendere potes, quòd ad gratiam contemplationis obtinendam aliquid à nobis exigitur, aliquid etiam ab ipſis Divinis ſpiritibus nobis gratuitè condonatur. A nobis autem exigitur fervor & deſiderium amoris & attentum ſtudium Scripturarum, ex quibus intellectualis *murus* conſtruitur. B. Quo fabricato ab ipſis Angelis *propugnaculis argenteis* communitur, hoc eſt: theoriis intellectualibus, quæ operatione Angelica in ipſa intelligentia fabricantur. Quæ pro tanto dicuntur *ædificari ſuper murum*: quia frequenter ipſam intelligentiam excedunt in tantum, ut non ſibi niſi cum labore earum ſummitas & altitudo contingatur.

Si verò quæris, cur per *propugnacula argentea* theoriæ intelligibiles deſignentur, dicendum eſt, propter ipſarum egregiam fortitudinem ad Divina C. nondum habita expugnandum, vel habita defendendum, ſonoroſiſſimam & dulciſſimam earum harmoniam ad univerſarum intelligibilium virtutum militiam delectandum.

Quia ergo non ſolùm ſunt neceſſaria propugnacula, quibus fortia expugnentur, ſed etiam propatula, per quæ amabilia & amicabilia admittantur, ideo benè per eoſdem adjungitur ſpiritus Deiformes:

Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.

Ac ſi dicant: ſi ipſa devotæ animæ intelligentia apta & prompta eſt ad intellectualem operam, ornemus eam diſtributionibus Divinis.

Contingit namque plurimùm, non nullas devotas animas ad ſuſceptionem ſui dilecti ſuperdilecti & ſuperdulciſſimi nimiùm inſoleſcere, dum tantùm feneſtram ſimplicis deſiderii, non *oſtium* latæ affectionis ei aperire conantur. Et tales profectò pulchrifica *compinctione tabularum cedrinarum*, hoc eſt: diſtri- A. butionum Divinarum privantur. Quæ verò attollunt portas ſuas, ut ingrediatur rex gloriæ, hæ Angelorum nimirum doctæ miniſterio quibuſdam ſolidis, perfectis, & benèolentibus diſtributionibus Divinis velut aliquibus *tabulis cedrinis compinguntur*, ut ex pulchritudine & redolentia aditus introëuntis ſponſi aſpectus & olfactus delectentur. Et tunc verè accidit, quod per ſanctum traditur Dionyſium Eccle. Hier. cap. 3. poſt med. *ut noſtra quidem mentis obſcurum impleatur copioſo & Diviniſſimo lumine, & informe Deiformibus ornetur pulchritudinibus.* Studeat ergo unuſquiſque Deiformitatem ſuam non feneſtram coarctantem, ſed potiùs *oſtium* patens exhibere dilecto ſuo, ne tanta compinctionis gloriæ fiat expers. Ita tandem fiet, ut quò latiùs cordis oſtium dilataverit ad eum ſuſcipiendum, eò fortior & aptior reddatur ad Divinorum exercitium perferendum. Hinc eſt, quod per ipſam ſponſam eiſdem Angelis loquentibus ſubſequenter reſpondetur: ℣. X.

Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.

Quod eſt dicere: Deiformiter ſum intelligibilibus ſtabilita, & ſecundùm affectum & intellectum altiſſimè ſublimata, quo per dulciſſimam dilecti præſentiam ſum pacatiſſimè quietata.

Vide, quoniam ſponſa duo innuit neceſſaria ad laborem ſpiritualis militiæ leviter ſuſtinendum, fortitudinem munitionis, qua viriliter reſiſtatur, cùm ait: *ego murus*: & altitudinem ſpeculationis, qua de longe videatur, dum D. ſubjungit: *& ubera mea ſicut turris.* Dicitur autem eſſe *ſicut murus*: quia intelligibilibus firmiter ſtabilita, imperforabilis omnino manet à ſagittis & ſpiculis inimici, & talis, qualis erat Deiformis anima Jeremiæ, quæ data fuerat *in civitatem munitam*, ut nullatenus caperetur, *in columnam ferream*, ne aliquatenus dejiceretur, *& in murum æreum*, ut nullo modo perforaretur. Profectò hic eſt *murus litus* beati Amos Prophetæ, ſuper quem *vidit Dominum ſtantem & in manu ejus trullam cæmentarii*, ut, ſi for- Jer. 1, 18. Amos 7. 7.

ſi fortè aliquid inde corruerit, paratus ſit A. reſtaurare. Quomodo enim non murus litus anima boniformis, quæ omni caret dubietatis ſcrupulo & aſperitatis motu, ſuper quem jugiter dilectus ſederet ad ipſam dulciter quietandum, & cum *trulla cæmentarii*, hoc eſt: cum providè agente ſapientia Divini magiſterii ad ipſam doctè reſarciendum?

Quæ igitur eſt ſicut *murus* ad reſiſtendum, eſt in *uberibus ſicut turris* ad præcavendum. *Et ubera*, inquit, *mea ſicut turris*, hoc eſt: affectus & intellectus B. meus ſunt vehementisſimè ſublimati, ita ut per unum omnia mala à remotiſſimis afficientia, per aliud verò univerſa propè irruentia caveantur. Unde benè ipſum affectum & intellectum nomine uberum expreſſit: quia dum *ſicut turris* in Divinæ contemplationis altitudinem elevantur, alter ſuaviſſima dulcedine omnis malæ afficientiæ rejectivâ: alius verò caſtiſſima claritate omnis falſæ illuminationis repulſivâ, plenariè adimpletur.

Sed quid eſt, quod ait: *ex quo fa-* C. *cta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, niſi quia ex tunc ſolùm incipit anima ſicut murus intellectualiter ſtabiliri, & ſecundùm affectum & intellectum velut turris Deificè ſublimari, intellectualiq; dulcedine & lumine repleri, quando per dilecti præſentiam in ſe exiſtentem incipit ab omnibus materialibus paſſionibus & phantaſiis imaginabilibus quietari & pacificari? *Sponſam* ergo *coram dilecto reperire pacem* eſt eam per ipſius præſentiam ab omnibus ſe inquietantibus ſive materialibus ſive ſpiritualibus reddi pacificam & tranquillam: & tunc jam li- D. berior ſolidatur, ubi murus ubertim Divinis diſtributionibus adimpletur, & ut turris per contemplationem nobiliſſimè ſublimatur.

Quia verò dubitari poteſt, utrum ſponſa noſtra tantam pacem coram dilecto promeruerit reperire, ideo ab ipſis ſuis contubernalibus Angelis ſubinfertur:

℣. XI. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.*

Ac ſi dicat: ipſa Deiformis anima quodam modo extitit ſpirituali cultui pacificè mancipata, dum in ea pace & tranquillitate exiſteret, quæ Deificos habet actus.

Attende, quoniam DEI dilecta anima tunc fit *vinea pacifico*, quando ipſe ſuperpacificus & ſuperpacatiſſimus Divinus radius eam ſuis beatiſſimis illuſtrationibus extollit & exercet, putat & inpinguat, ut botros afferat ſuaviſſimarum affectionum. Quod quidem ſolùm contingit ipſa exiſtente in ea pace, quæ multos & Deificos habet actus, ſive in ea tranquillitate, qua multis & ſanctis ſuperdivinis actibus & motibus exercetur, ut quò ſcilicet ſtudioſiùs à ſuo pacifico excolitur, eò in pluralitate ſanctorum motuum & actuum quaſi *populorum* multitudine augmentetur.

Quia tamen Deiformis anima ipſa, (quantum) creſcit & multiplicatur in bonis actibus, tantum honoratur ab Angelicis ſpiritibus, ideo benè adjungitur:

Tradidit eam cuſtodibus.

Hoc eſt: poſuit eam ſub cuſtodia & protectione Angelorum ſive ſpirituum ſupernorum.

Nam licèt unaquæque fidelis & ſancta anima ſuo ſpeciali gaudeat cuſtode & conſolatore, tamen ad ipſius intellectuale nutrimentum ab aliis beatis ſpiritibus ſive ſubſtantiis viſitatur, conſolatur, & cuſtoditur ex ipſius dilecti præcepto, quibus dimittitur delicatiſſimè conſervanda. Hinc eſt, quòd Divinus ille Patriarcha Jacob intellectualibus ſuis oculis *vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes*, Gen. 28. 12. quaſi ad ipſius auxilium paratos exiſtentes, & ejus contemplativas virtutes feliciſſimè delectantes, & gratiſſimam exhibentes familiaritatem. Quomodo enim non cuſtodiant, conſortent, & delicient ipſi Angeli, quem vident ab ipſo rege gloriæ tam tenerrimè cuſtodiri, viriliter confortari & ſuaviſſimè delectari?

Non ſolùm autem illos delectari (contingit,) ſed & ipſe in nobis delectatur verè noſtris profectibus congaudendo,

do, ita ut non tantùm gratias eos digne- A. tur accipere, ſed multo pretio comparare. Unde ſequitur:

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

Ac ſi dicat: virtuoſiſſimus Crucifixus pro merito profectuum ſponſæ dat perfectiſſimas refulgentias Angelorum, ſive immittit radios perfectiſſimè reſplendentes.

Novimus namque bona tradente
Jer. 31. 22. Theologia, *à femina circumdatum virum*, B. hoc eſt: in Thearchica Virgine Diviniſſimum DEI Filium incarnatum, virtutem quidem DEI & ſapientiam exiſtentem, virtutem fortiter ſuſtinendo, ſapientiam verò prudentisſimè demonſtrando, hoc nimirum eò ſuaviùs in ſuæ ſponſæ fructibus ac profectibus delectari, quò duriùs ex his, quæ paſſus (eſt,) didicit obedientiam DEI Patris, aſcendens in palmam & apprehendens fructus ejus. Unde quia in ſe ipſo expertus fuit labores noſtrorum defectuum, dulciùs acceptat fructus noſtrorum profectuum. Hinc eſt, C. quòd non gratis attentat petere fructus ſuæ ſponſæ quaſi momentaneè & leviter productos, ſed pro *mille argenteis* comparat ſicut cum longo labore & ſtudioſiſſimo exercitio congregatos. Quid autem per hos *mille argenteos* à dilecto allatos convenientiùs intelligimus, quàm perfectiſſimos intelligibiles radios perfectiſſimè refulgentes, in ipſius ſponſæ intelligentiam copioſiſſimè perfuſos. Sicut enim per millenarium perfectio, ſic per argenteos refulgentia & ſonoritas deſignatur, quæ omnia in ipſis beatiſſimis radiis eſſe minimè dubitantur. Nam per- D. fectiſſimi ſunt ſicut ab æterno Sole æternaliter emanantes: refulgentiſſimi, quia ſuperſubſtantialiter reſplendentes, ſicut ſonoroſisſimè delectantes, & totaliter ipſam animam in Angelicum tripudium convertentes. Itaque quantò ipſa Deiformis anima per diſtributionem intelligibilium radiorum ditatur feliciùs, tantò ab ipſo dilecto gratiùs acceptatur. Ideo benè per ipſum adjungitur:

℣. XII. *Vinea mea coram me eſt.*

Quod eſt dicere: ipſa Deiformis anima meis intelligibilibus radiis acquiſita vehementer meo conſpectui eſt accepta.

Meritò dilectus noſter ſuperdulciſſimus Crucifixus boniformem animam dicit *vineam ſuam*, ſicut mille argenteis ſive perfectisſimis & candidisſimis radiis acquiſitam ſive potiùs irrigatam. Dum enim ipſis ſuperlucentibus ſplendoribus per dilectum anima adimpletur, quaſi ſupermentaliter irrigatur. Quæ quidem irrigatio nihil aliud eſt, quam quædam ipſius intellectualis vineæ vendicatio & acquiſitio tantò utique gratior, quantò fructuoſior. Nec enim alias ſpeciali quodam modo eam *coram ſe eſſe* diceret, niſi eam vehementisſimè acceptaret, & ſuo conſpectui placeret ſicut odoris ſuavisſimi & benè clarisſimi & boniolentisſimi productivam, qui DEI & hominum eſt lætificans.

Quia verò ipſius vineæ tam mera bonitas non ſolùm procedit à pinguisſima illuſtratione radiorum, ſed & à ſtudioſisſima cuſtodia Angelorum, ideo per dilectum congruè ſubinfertur:

Mille tui pacifici: & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus ejus.

Ac ſi dicat: perfectisſimi ſunt radii quibus tu totaliter tranquillaris, & etiam perfectisſimi ſunt ſplendores, quibus perfunduntur Angeli, qui cuſtodiæ fructuum hujus vineæ deputantur.

Si quæratur, cur per *mille pacificos* ſponſæ intelligibiles radii deſignentur, meritò dici poteſt, quòd ſicut ipſi ſunt totaliter in ſe perfecti, ſic illius animæ, in qua copioſisſimè perfunduntur, ſunt totaliter perfectivi, ipſam perfectisſimè unientes & totaliter pacificativi, eam ab omni diſſimilitudine liberantes. Unde in eo, quod dicitur 1 *mille*, notatur eorum perfectio ſive perfecta unitio ad perfectum: in eo autem, quòd *pacifici*, pacatisſima & tranquillisſima eorum deſignatur efficacitas ad ſubjectum.

Quid autem ſibi vult, quod ſequitur: *& ducenti hie, qui cuſtodiunt fructus*

ctus ejus, niſi quia magis perfecti aut duplo perfectiores ſunt radii, quibus Angeli cuſtodiæ vineæ deputati pleniſſimè perluſtrantur? Centenarius enim ſicut millenarius numerus eſt perfectus, cui ſi reliquos centum addas, ducenti deſignant perfectionem, quæ ſecundùm legem Hierarchicam in Angelicis diſtributionibus obſervatur propter eorum fidele miniſterium erga intelligibiles vineas, ſcilicet DEO devotas animas ſalutariter gubernandas. *Omnes* quippe *domeſtici ejus*, ùt ait Theologus, *veſtiti ſunt duplicibus*, hoc eſt: duplo perfectioribus diſtributionibus Angeli ſunt perfuſi quàm nos. Nam cùm ad nos per ipſos Divinæ perfluant diſtributiones, neceſſum eſt, ut eò magis eis debeantur perfectiores & copioſiores, quò ipſi nobis ſunt capaciores, & propter nos cuſtodiendos ſtudioſiores, ut ſic non tantùm Deiformitas capaciſſima repleatur, ſed etiam ipſorum erga nos fidelis ſtudioſitas ſive fervens zelotypia remuneretur.

Non ſolùm enim vineas, hoc eſt: animas noſtras *cuſtodiunt*, ſed etiam *fructus ejus*. Vineas quidem, ne a malis interiùs germinantibus corrumpantur, fructus verò, ne à malignis furibus & doctiſſimis diripiantur. Aut certè & meliùs *vineas cuſtodiunt*, dum animas noſtras intelligibili lumine ſuo ambiunt & circumdant: *fructus* autem, dum eos in tuto ſuæ memoriæ retinentes conſpectui noſtri dilecti ſuperdulciſſimi repræſentant.

Igitur cernens dilectus ſponſam ſuam tam fideliter ab Angelicis ſpiritibus cuſtodiri, ac per hoc ipſam in ſuis vernantibus delectationibus ſecretisſimè commorari, ait ei:

℣. XIII. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.*

Quaſi dicat: ò tu ſponſa mea, quæ jugiter commoraris in virentibus delectabilibus ſententiis Scripturarum, aut ſuaviſſimis odoribus orationum, vel fragrantisſimis materialium laboribus actionum, Angeli te attendunt: age igitur, ut virtus tua meis auribus intimetur.

Deiformis ſiquidem animæ eſt ſemper in hortis habitare, hoc eſt: aut in virentibus aut delectabilibus Scripturarum ſententiis jugiter commorari, ut tam intellectualis viſus ex viridi luminoſitate, quàm guſtus ſapore delectabili recreetur, aut in ſuaviſſimis orationum ferventium odoribus, quibus intellectualiter excitetur, aut fragrantisſimis materialium actionum laboribus. in quibus modicum remiſſa facta poſtmodum fortiùs incendatur.

Hi profectò ſunt tres ſponſæ *horti* delicatisſimi, in quibus dum continuè commoratur, Scripturarum ſententias attentisſimè ruminando, ferventisſimè orando, & fidelisſimè laborando, tunc nimirum ab ipſis ſuis *amicis*, Angelis videlicet eò *auſcultatur* attentiùs, quò per hoc proficit vehementiùs. Sed quid eſt Angelos habitare in hortis, ſponſam *auſcultare*, niſi tacitis ipſis ſanctis profectibus congaudere, ſcilicet attentæ meditationi, ferventi orationi, & ſtudioſisſimæ actioni, ex quibus viva quædam emanat *vox*, in qua dilectus mirabiliter delectatur? *Fac*, inquit, *me audire vocem tuam.* Quaſi dicat: ita attentè, ita ſtudioſè meditare, ora, & operare, ut inde virtus exhalet ſuaviſſima, quæ per Angelos in tuis profectibus tacitè delectantes meis auribus intimetur, & intimata feliciter remuneretur.

Sciens itaque ſponſa dilectum ſibi appropiaſſe, rogat eum longiùs recedere, ut ſic ipſa eum ſequendo amplius à ſe ſeparetur. Ait enim:

Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum ſuper montes aromatum. ℣. XIV.

Ac ſi dicat: dulciter flagito, amor mi, ut a mea Deiformitate altiùs te elonges, conformis factus agiliſſimæ levitati & leviſſimæ agilitati, ſuper fragrantisſimas intelligentias Angelorum.

Pulchrè Deiformis anima optat *dilectum fugere*, hoc eſt: eum à ſuæ mentis Cherub altiùs exaltari, ut ſic ipſa tantò remotiùs à ſe ſeparetur eum inſequendo, quò ipſe longiùs abierit ab ipſius aſpectibus ſe amplius abſolvendo. Et ne fortè nimiùm elongaretur, ita ut non poſſit inſequi fugientem virium pauper-

 tate,

tate, taxat ei modum, ut ſcilicet non A. fiat ſicut aquila volans, aut navis prætervolans, ſed velut *caprea*, *cervorumque hinnulus*, quorum ſequi poſſet agilisſimam levitatem & levisſimam agilitatem usque ad *montium aromatum* vertices. Non enim tales beſtiæ altiùs ſe extollunt, quàm ſint montium ſummitates.

Quid autem per *montes aromatum*, ſuper quos vult ſponſa dilectum ſuum exaltari, magis congruè intelligimus, quàm ipſas altisſimas intelligentias Angelorum, ad quas apta & idonea eſt Deiformis anima ſublimari? B. Non enim aliter hoc optaret, niſi fore ſe ſciret habilem & potentem ad dilectum proſequendum ſuper tam altisſimas, & beneolentisſimas ſummitates, inter quas recreari & converſari mirabiliter delectatur.

Advertendum eſt igitur, quoniam Liber iſte ab uno optabili incipit, videlicet à deſiderio vel experientia unitionis, dum dictum eſt: *oſculetur me oſculo oris ſui*: & ſimiliter in aliud optabile terminatur, ſcilicet in affectum Angelicæ converſationis, quod per fugam dilecti more capreæ & hinnuli ſuper montes aromatum deſignatur. Ex hoc autem duo arbitror figurari ad Deiformis animæ documentum, ut ſcilicet ſemper juxta poſſibilitatem ſuam anhelet ad experientiam Divinæ unitionis, & altitudinem Angelicæ converſationis, quorum unum intellectualis noſtræ pasſionis, alterum verò perfectivum eſt actionis. Dum enim anima DEO unitur perfecta pasſione, frui dicenda eſt. Cùm verò *ſuper montes aromatum*, ſive inter altas & fragrantes intelligentias Angelicas converſatur, perfectè agere nullatenus dubitetur. Talia nobis ſuperdulcisſimus Crucifixus meritis & intercesſionibus ſuperſuavisſimæ Matris ſuæ Mariæ & omnium cœleſtium catervarum concedat, qui vivit & regnat per infinita ſecula ſeculorum.

Amen. DEO gratias.

Explicit Vercellenſis ſuper Cantica Canticorum. 62.

Digitized by Google

00566320o

Digitized by Google

Digitized by Google